

---

---

SELVAGIO

Antiguedade

Christianas

v. 1. . . . .

---

---

4486

ST  
A  
C  
---

4486

**BIBLIOTECA  
PROVINCIAL Y DEL INSTITUTO  
DE GUADALAJARA.**

Estante


Tabla

Número de la tabla

STIMULATUM

SECRETANARUM

SECRETANARUM



ANTIQUITATUM  
CHRISTIANARUM  
INSTITUTIONES

NOVA METHODO  
IN QUATUOR LIBROS TRIBUTÆ  
AD USUM SEMINARII NEAP.

AUCTORE

JULIO LAURENTIO SELVAGIO

PRESBYTERO NEAP.

ET IN EODEM SEMINARIO J. U. ANTECESSORE.

EDITIO SECUNDA

Omni diligentia, & cura emendata.

TOM. I. LIB. I. PARS I.

2268



VENETIIS MDCCXCIV.

Typis DOMINICI DE MAZO  
SU PERIORUM PERMISSU.







## ANTELOQUIUM.

---

I.



*Christianarum Antiquitatum studium majoribus olim nostris maxime excultum, deinde vero, occupante omnia barbarie, sensim neglectum, ac pæne abjectum, ubi primum emerfit e tenebris, tantum repente sui desiderium excivit, ut nemo fuerit sacrarum scientiarum vel mediocriter cupidus, quin illico aliquid sibi inde degustandum exstimaverit. Neque vero id immerito, aut temere factum dicet quicumque ejusce disciplinæ utilitatem, atque adeo in Re Christiana, ut par est, gerenda necessitatem perceptam animo habuerit. Enimvero indecorum plane, ac praposterum videtur id in Christiana doctrina, id est in Religionis negotio prætermitti, quod in ceteris liberalibus, profanisque disciplinis tradendis summa ope observari videmus.*

II. Quot enim prisca, quot nostra hac ætate sapientes, doctissimique viri non minimum ope-

re pretium sese facturos putarunt, si aut Philosophiæ, aut Matheseos, aut alterius cujuscunque scientiæ Originibus investigandis adpellerent animum? Quot conscripta volumina! Quam docta illa, & laboriosa! In his certe accurate edocemur tum a quibus initiis singulæ artes, ac disciplinæ profectæ sint, tum quomodo creverint; donec ad eam quasi robustam maturitatem pervenerint, in qua nunc temporis conspiciuntur. Quin eo demum ventum est, ut quoties quispiam scientiarum sacris se initian- dum tradit, non ante ei aditus pateat, quam earundem origines, atque antiquitates sedulo perceperit.

III. Atque id, quod hæcenus dixi, in superstitiosis etiam diversarum gentium ritibus perscrutandis, baud secus ac in liberalibus disciplinis sollicitè, vel religiose observari satis constat. Pudet referre quibus, quantisque commentariis referta sint Bibliopolarum scrinia, quorum aliis antiqua Romanorum *Θέωσις*, aliis Græcorum, Phœnicum, Chaldeorum, atque Ægyptiorum vetus *Μυθολογία* pertextitur, atque ejusmodi jam inde a primis cujusque populi originibus repetuntur; ut illud mirari in præsentiarum subeat tot Christianis Divinæ Religionis splendore dignitatis id studium jam pridem neglectum, ex quo mirum sane quantum splendoris, ac majestatis Religioni ipsi accedat.

IV. Nam quantum non adjumenti suppetit ordinandis tuendisque Catholicæ fidei dogmatis ab penitiori Christianæ antiquitatis notitia? Quum earum pleraque tantam habeant cum sacra antiquitate conjunctionem, ut vix, aut ne vix quidem eadem novisse queas, nisi ultimam antiquitatem, idest veteres, qui tunc fuerunt mores, ritus, ac disciplinam mente, atque in-  
tel.

telligentia complectaris. Profecio Salvator ipse, ut ab Patre missionis certum indicium per se Judæis prod-ret, eis, ut divinos antiqui sacri Fœderis Codices, ac veteres suorum patrum traditiones repeterent, auctor fuit. Iisdem, ac divinus Magister, vestigiis insistens Stephanus Martyrum corypheus Cilices, Asianos, aliorum-que gentium Hebræos revisiturus, eodem veluti ἀνατριπίπτω usus est argumento. Tum Actorum XVII. impense laudantur Berceses, quod quotidie veteres Sacros Libros scrutantes, eorum oracula cum Christianæ Religionis, que tunc gliscebat, dogmatis conferebant, ac veluti ad libellam exigebant, ut acceptæ Evangelicæ Prædicationis placitis firmiter adhererent.

V. Neque vero minus, ut ab Hebræis ad Christianos redeam, excoluere hoc studium veteres, qui in Ecclesia usque ad VI. fere sæculum floruerunt Patres, quibus hæc una ferme νεωτερισµὸς debellandi ratio erat, ut sicubi nova exurgeret opinio, eam continuo objecto sacræ antiquitatis lumine falsitatis arguerent. Ecce id plus vice simplici sapientissimi Ecclesiæ Patres Tertullianus, Ireneus, Epiphanius, alii-que, qui productis in medium Apostolicis institutis, antiquis Ecclesiæ ritibus, ac veteris regiminis πολιτείᾳ plerosque hæreticos perstrinxerunt.

VI. Quin cautum id, sancitumque majoribus nostris erat, minime omni vento doctrinæ ferri, agitarique, sed unius antiquitatis norma regi; hanc respicere, hanc ediscere, ab hac ne latum quidem unguem discedere. Percellere adhuc aures videntur pæne intermorientis Ignatii Martyris voces, quibus, si quando in itinere Christianas offendisset Ecclesias, eas, ut ne ab antiquis traditionibus discederent, graviter, impenseque admonebat.

VII. Neque porro deseruit id studium seculis temporibus. Testes do Hieronymum, atque Eusebium Pamphilum, alterum veterum Scriptorum Catalogi, alterum Chronici auctorem, quibus certe operibus universam pæne antiquitatis notitiam posterorum bono complexi sunt: Eusebius maxime, in cujus Historia pleraque veterum Patrum quantivis pretii fragmenta visere est, quibus præcul dubio caruissemus. Et mirum porro cuiquam videbitur, si ad usque sæculum VI. siquidem tanti erat antiquitatis scientia, nusquam interturbatam, aut certe oblitam Apostolicam disciplinam acceperimus, si strenuos ferventesque Episcopos, si temperantiores Clericos, si denique modestiores Laicos fuisse legamus? Equidem sic statuo: Quandiu tenax antiquitatis studium perduravit, tandiu tum dogmaticam Christianæ Religionis partem felicitate quanta maxima ab hæreticorum Josephismatis vindicatam, tum constantem Christianæ discipline tenorem perstitisse: ubi tamen remissus coli captum est, hunc quoque sensim remississe, insolentes laicos, ambitiosiores Clericos effectos, tum toto supposititios libros, ut genuinos palam divenditos, ab quorum lectione si dogmata excipias Sponsi Ecclesie Christi Domini pollicitationibus integra, inviolataque æternum permansura, omnis fere pessimum erit antiquitas.

VIII. Contra vero statim ac ab XVI. sæculo rursus Christianarum Antiquitatum scrutandarum cura incessit animos, omnia ferme in antiquum locum rediisse certum est: disciplinam restitutam, repressam laicorum licentiam, Clericorum fastum coercitum, discretos ymagines ab apocryphis factus, tum Catholicam magis magisque florentem viguisse doctrinam, ac ipsam adeo Ecclesiam antiquo iterum splendore, ac ma-

majestate exornatam. Adeo omnibus Christianis Clericisque id studii juxta necessarium esse videtur.

IX. Præterea Rituum Ecclesiasticorum studium, quod Antiquitatum Ecclesiasticarum maxima pars est, tantum abest, ut inutilis, aut levioris momenti existimandum sit; quin potius in illud incumbere omnium prorsus Christianorum quam magni interesse videatur. Ecclesiæ enim in illis instituendis is præcipue *σκοπος* fuit, nimirum Christianæ Religionis placita, veluti quibusdam imaginibus oblecta, fidelium oculis exhibere. Profecto sicuti Christus Sacramenta instituit, ut spirituales, ac sub sensu non cadentes quasdam veritates tanquam sub sensibilibus quibusdam speciebus positas Ecclesiæ suæ membris insinuaret: haud secus Ecclesiæ reliquas Christianas veritates ritibus, sive symbolis expressas fidelibus æque mente, ac sensu constantibus representare maluit, quam simplici tantum verborum sonitu iisdem inculcare. Igitur sicuti Christianarum veritatum, ita & Ecclesiasticorum Rituum studium omnes prorsus Christianos, præcipue vero Clericos, a quibus laici in Religionis negotio instituendi sunt, maximopere spectare dubitandum haud videtur.

X. Atque id procul dubio causæ est, cur ad has qualescunque Christianarum Antiquitatum Institutiones edendas animum adpulerim meum; quanquam, ut ne quid taceam, fuere antebac complures Viri doctissimi, qui banc Spartam jam exornarunt. Verum enim vero eorum plerique Historiam potius Ecclesiæ, quam Origines scripto tradiderunt. Alii in uno tantum, aut altero, prout se dabat occasio, antiquæ discipline loco illustrando adlaborarunt. Alii demum Patrum Scripta adjectis in ima ora notulis il-

lustrantes, etsi plurima scitu digna conscripserint, carptim tamen, ac sparsim, & quæ egre juvenibus propines nunquam multa variorum Librorum lectione implicandis. Vix ergo unum, aut alterum recensens, ut Thomam Mamachium e Catholicis, ac Josephum Binghamum e Protestantibus, quorum id maxime studium fuerit, sparsas huc illuc sacræ antiquitatis notitias colligere, ac uno veluti intuitu spectandas exhibere. At (quæ sunt plerumque optimorum Librorum fata) ille viginti hac de re pollicitus, quinque satis grandibus evulgatis voluminibus, vix quartum attingit Librum: credo quod gravioribus curis distentus, spem edendorum aliorum prorsus abjecerit: maxime quum ab postremi evulgati voluminis editione jam ferme viginti annorum spatium interceptum satis constet.

XI. Ad Binghamum vero quod attinet, præterquam quod plurima in ejus Opere hæretica, utpote ab hæretico homine profecta, offendere est, illud etiam accedit, undeno esse volumine compactum. Ad hæc nimia caritate minime vulgare vix nostratibus maxime adolescentulis obvium esse.

XII. At nos, ut nihil laudis fummis, ac sapientissimis viris præceptum velimus, aliam tamen nobis mentem, consilium aliud in hisce edendis Antiquitatibus fuisse profitemur. Neque enim tam doctis, ac veluti metam adeptis, quam tyronibus, ac vixdum carcere egressis scribimus: nec Antiquitates quascumque simul collectas, sed strictim, ac Institutionum methodo comprehensas Juvenibus nostris, quorum unice studemus commodo, exhibemus. In hoc autem Opere exornando, quæ nostræ partes fuerint, aliorum judicium esto. Certo si quid, ubiubi, quod ad rem nostram faceret, of-

offendimus, id memoratis honoris causa auctoribus adpingere non dubitamus: ut qui, non laudi inani captandæ, sed publicæ utilitati fovendæ scribimus.

XIII. Illud autem heic silentio prætervehi abs re fuerit, id nobis propositum olim fuisse, ubi primum ad ejusmodi illustrandas, & adolescentium usibus addicendas animam adjungimus: Binghami scilicet opus, qua parte in aliena a sacrosanctis Ecclesiæ Catholicæ sanctionibus, & a Tyronum commodis excreverat, ac discesserat, retexere, ac veluti undequaque recidere, atque ad severiorem Catholicorum regulam exigere, quo nostrorum commodis cautum, consultumque iretur. At secus, ut fieri solet, procedente studiorum nostrorum ratione, res tulit. Eo enim sensim delabi visi sumus, ut diversa a Binghamo vestigia persequentes, hoc quidquid est Christianarum antiquitatum cuncta conderemus; quo fortasse & quædam ab eo, sicubi usus venit, illata sunt; ut tamen nobis summos labores, ac diuturnum super hac re studium minime condonaverimus.

XIV. Opus vero quare lucem adspiciet, quaque forma breviter expediam; ejusmodi enim, Institutionum instar, quatuor in Libros tribuere placuit: Quorum primo agemus de Christianis generatim, ac in specie de Clericis, Fidelibus laicis, & Catechumenis. Secundo de Ecclesiis, Liturgiis, Jejniis, ceteroque cultu Deo, Sanctisque exhibendo. Tertio de Ritibus in Sacramentorum administratione olim in Ecclesia adhibitis. Quarto demum de veteri Ecclesiastica Disciplina in coercendis graviorum criminum reis. Porro ex duobus prioribus Libris quisque duobus voluminibus concludetur; cetera, quæ supersunt, volumina tertium, & quartum Librum complectentur.



x

XV. Hæ erunt nostræ partes, hic labor: quod  
quidem si minus aliud, id certe fore speramus,  
ut juvenes Operis qua jucunditate, qua  
suavitate illecti vehementius ediscendarum Ec-  
clesiasticarum Antiquitatum studium animo con-  
cipiant.



ALE



ALEXANDRI MARIÆ KALEPHATI

*S. Primat. Eccles. Canonici, Regiique Theologiæ  
Dogmaticæ Magistri in Regali Neap.  
Academia SS. Salvatoris.*

D E

JULII LAURENTII SELVAGII

Neapolitani Sacerdotis Virique Doctissimi  
Vita, & Scriptis

COMMENTARIUS.

**Q**UÆ duæ res potissimum ex sapientum Virorum Historia maximam solent Litterariæ Reipublicæ afferre utilitatem, nomina nempe præclara, resque gestas addiscere eorum, per quos disciplinæ omnes feliciter exortæ inter homines, atque ad altiorem in dies perfectionis gradum adductæ sunt; nec non exquirere disciplinarum earumdem primordia & progressus, ut ita posterorum animi in similia, & majora tentanda incensi, ac pro communi bono quibusdam quasi calcæribus instigati exci-

a 6

ten-

tentur : Hæ duæ res quoque me impulerunt (1), ut JULII LAURENTII SELVAGII viri clarissimi, atque pientissimi Sacerdotis, præsertim INSTITUTIONUM ANTIQUITATUM CHRISTIANARUM inter Catholicos Auctoris Primi, *commentarium* de vita, scriptisque ejus posteritati traderem.

II. Neapoli, felicissima illustrium ingeniorum altrice, ex *Philippo Selvagio*, & *Agatha Majella*, Parentibus honestissimis, hora XIV. matutina IV. Id. Augusti, die celeberrimo Romani (2) Archidiaconi S. Laurentii Marty-

(1) *Angelus Fabrenius*, Equestris Ordinis S. Stephani Prior, Pisanæque studiorum Universitati Præfectus, vir eruditissimus, mihiq; amicissimus, in Præfatione Primæ Decadis *Vitarum Italorum doctrina Excellentium &c.* scribit: „ Quod Vitas perscribam Italorum doctrina excellentium, qui sæculo XVIII. floruerunt, res profecto digna videbitur consideranti multum id conducere ad amplificandam Italiæ gloriam; & ad excitandam præclare exemplis posteritatem, ne ab eximia contellataque patrum, majorumque laude degeneret“. Hoc idem propositum mihi in causa fuit, cur ego hujusce Amici in primis carissimi gesta posterorum memoria traderem. At non *Vitam*, non *Elogium*, sed *Commentarium* me scripturum promisi; ut ita quisque intelligat, me materiam impolitam adhuc & quandoque etiam minutam collegisse, unde *Vitam Selvagii* scribere, suisque decadibus inferere possit *Fabrenius* noster. Aliud est parare ad Cœnam obsonia, aliud Cœnam dare.

(2) Non eo Romanum dico S. *Levitam & Martyrem Laurentium*, quia cum *Romæ* natum pro certo credam; sed tantummodo *Romanus* a me vocatur *Archidiaconus*. Sat mihi notum, quanta vi ingenii ex *Sacramentario Venonensi* a se primum detecto, & *Leoniano* appellato, S. Laurentium Romanis civibus addixerit Cl. *Josephus Blanchinus* Congr. Oratorii Rom. Presbyter; quantaque doctrina, animique moderatione eundem Martyrem Hispaniæ reddere curaverit solidæ eruditionis Promus Condus *Franiscus Perezius Bayerius*, S. Primat. Eccl. Tolet. Canonicus, Inclyti Hispani Ordinis Carolini Eques pensione donatus, atque Præceptor Regiorum Infantium celeberrimus, præsertim edita a *Serenissimo Infante GABRIELE BORBONIO C. Crispi Sallustii* Romanæ Historiæ Principis egregia Castellana versione. Nolo ego inter *Blanchinum*, & *Bayerium* Judex sedere, quum hic in *Historica Dissertatio*.

tyrio consecrato, Anno MDCCXXVIII. inter filios primus ortum habuit JULIUS LAURENTIUS, atque in Parœciali Templo *S. Mariæ in Kosmedin*, sive in Portam Novam, sacro fuit lavacro iniatus. Hinc sane factum, ut quoad vixit, peculiari quadam caritate erga hoc Templum fuerit animatus, in quo primum Christianæ militiæ nomen dedit, primos fideles majores nostros sancte imitatus (3), qui sacram illam Ædem, in qua ex Dei beneficio aqua & Spiritu Sancto regenerabantur, Matris dilectissimæ, semperque colendæ loco habebant.

III. Corpus a nativitate nactus apta partium compositione perfectissimum, pubertati proximus repente nonnihil deformatum sensit. Undecimo enim vix ætatis anno, nocte quadam intempesta MDCCXXXIX. dum placidus obdormire videbatur, e cubili dolentissimus profiliens, per proxima cursitans cubicula, seseque distorquens, ita clamoribus, & ejulatibus domum implet, ut lacrymas cuique ciret. Implenti quæstibus domum Parentes omnesque familiares accurrunt, nec sciscitantes caus-

---

tione de Damaso & Laurentio Hispaniæ assertis & vindicatis, Part. II. Cap. II. modeste scribat: „ Unum si  
 „ assequar, nempe ut iis, quæ mox adducenda sunt, ra-  
 „ tiociniis & responsionibus ad Blanchinî, atque Adver-  
 „ sariorum objecta, sapientum animos in Hispanorum sen-  
 „ tentiam propensiores efficiam, quamvis calculum de-  
 „ cretorum non adjiciam; satis amplam mihi mercedem  
 „ obtigisse rear pro suscepti laboris modulo. “

(3) Habemus doctissimi P. D. C. Chardon Benedictini dissertationem de Baptistariis, quam ex ejusdem *Historia Sacramentorum* sejunxit, Latinam reddidit, adnotationibus illustravit, ac alteri volumini *Disciplina Populi Dei* Claudii Fleury secundo loco inseruit *Franciscus Antonius Zacaria*. In ea Cl. Auctor a Num. XIII. ad XX. usque ad pietatem honorisque signa prosequitur, quibus veteres Christiani Majores nostri Baptismales Sacras Ædes colabant.

causam noscere quæstum possunt. Quid præternaturale fortasse suspicantibus ad orationes, piæque morem sacras Divorum Reliquias infirmo corpori applicandi ventum est. Dicitur tunc magis vehementiusque indoluisse. Verum posthac sedatis doloribus serenus dormitum rediit. Cum tamen mane a lecto surgeret, dexter humerus gibbosus, sinistroque elevatior, nec non sinistrum latus præ dextero suffossum magis, & quasi excavatum apparere. Quæ quidem corporis deformitas, & inæqualitas membrorum conspicua, compresso pectore respirationis meatus reddidere implicatos, nec ad expirandum respirandunque faciles; quod sane incommodum adeo interdum intendebatur, ut dissimulari non posset.

IV. Eo igitur ignoto morbi genere omnis corporea compago, florente adhuc pubertate, languida est effecta, atque vehementissimo illo humorum extuberantium veneno adolescens corpus quasi gelu compressum est, & exustum. Quare post hæc corpore est usus exili, parum firmo, ægritudinibus obnoxio, ut prudentissimo cuique videretur nulla pœne in disciplina *Julius* admodum profecturus, immo paucis vix annis victurus. Nihilominus, ut solent matres ardentiore prosequi caritate gnatos, qui a natura neglecti quodammodo apparent (4), & circa illos majorem adhibere diligentiam, quibus imbecillis contigit valetudo, *Agatha* ejus mater, in omnibus provida materfamilias, id præ ceteris curavit, ut hunc filium

---

(4) In primis videfis aureos Libros *Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum* &c., ubi causas enumerat, & demonstrat materni hujusce amoris, curæque diligentioris erga filios vel corpore deformes, vel imbecilles mente. *Horatius noster* de amore paterno idem elegantissime canit v. 43. Satyr. III, Lib. II.

filium suum apta ciborum potusque qualitate simul & frugalitate aleret, atque ab omni aeris inclementia tueretur. Inde profecto factum, ut paulatim firmatis aliqua ex parte viribus, corpus non mediocriter convaluerit. Accedit his, quod *Julius* ipse grandior factus, dubiæ conditionis corporis sui non ignarus, maternisque assuetus alimentis, non sine animi virtute satis laudabili, pluribus sæpe, nonnullis semper abstinerit, ad quæ naturali appetitu plerique omnes duci solent; idque ut e languoribus stomachi, atque imminentibus morbis eximia temperantia incolumis evaderet. Atque notatu quidem dignum est, quod præter ægritudinem decimo a nativitate mense, ac tumultuosam, ut diximus, dolorum impressionem undecimo ætatis anno toleratam, adulto jam corpore tandiu vixerit, quamdiu vix quisquam ex illo pubertatis casu fuisset ominatus: immo tam bene plurimum valuerit, ut non morborum violentia, non studendi assiduitate numquam intermissa, sed inopino rheudæ casu, & inde consequenti humorum perturbatione mortali, tandem obierit. Tantum materna valet providentia; tantumque recte a pueris assuescere opportunum est, & salutare.

V. Ab infantia literis a *Philippo* Patre additus, nunquam ab illis divelli passus est. Scholam frequentans a Sacerdote *Alexio Gisolfo* Terræ *Montauri*, Ludimagistro sui temporis non obscuro, Latini sermonis præcepta est probe edoctus. Hinc Humaniores Literas, Rhetoricam, & Poeticam a Sacerdote *Josepho Guidone* Neapolitano, harum deliciarum gnarissimo, didicit. Dum in his esset Anno *MDCCLXIV.*, ætatisque suæ circiter *XVI.* Clericali militiæ nomen dare firmus in animo decrevit. Quare non sine prudentissimi Sacer-

do-

dotis consilio, cui ejus liquido patebat mens, atque Superiorum licentia, veste Clericali indutus triennale posuit tyrocinium. Erat tunc temporis Neapolitanæ Ecclesiæ Archiepiscopus *Josephus Spinellus*, Cardinalis pietate, doctrina, & Ecclesiasticæ disciplinæ observantia incomparabilis, cui Clerus, ipsaque Neapolitana Ecclesia, ut Cl. Mazochius scripsit (5), semper debebunt plurimum. Hic præ ceteris optime ordinatis illud (6) mandavit, ut secundum antiqua Ecclesiarum instituta (7), atque Pontificum (8), & Conciliorum decreta

(5) In Epistola (sive potius elegantissima Oratione Pænegyrica) qua æternæ celebritatis vir *Mazochius Commentarium* suum in *Vetus Marmoreum Sanctæ Neapolitanæ Ecclesiæ Calendarium* Cardinali Amplissimo *Josepho Spinello* dicavit Ann. MDCCXLIV. ejus gesta mire laudat, & exornat. Ut fecit quoque Part. II. Anteloqui ad *Dissertationem Historicam de Cathedrali Neapol. semper unica*; alibique passim.

(6) *Joseph Spinellus* Card. Archiep. Neap. in decreto edito die XXIV. Octob. MDCCXLV. ait: „Cum primum . . . Pastoralem Curam Metropolitanæ hujus Ecclesiæ suscepimus, illud in primis cordi fuit . . . ut juvenus Deo sacra secundum primævam Ecclesiæ disciplinam, non modo honestis moribus, verum etiam optimis literarum studiis informaretur. Verum id quo promptius, ac facilius eveniret, Scholæ nobis instituendæ eo nomine in Nostro Archiepiscopali Palatio videbantur . . . Cum autem consilium hoc nostrum exsequi ab initio omni ex parte non potuissimus, cœpimus sex ante annos duas tantum Cathedras constituere, alteram matutinam Theologiæ Scholastico-Dogmaticæ, vespertinam alteram Theologiæ Moralis &c.“

(7) Videtis *Josephum Binghamum de Origin. Eccl. Lib. VIII. Cap. VII. §. XII.* sed potissimum eruditissimum virum *Dominicum Aulifium* nostrum in egregio Opere de *Scholis Sacris* Lib. II. ubi luculenter hac de re agit.

(8) Inter ceteros *Leo IP. Pont. Max.* in Synodo Romana DCCCLII. ita decrevit: *Magistri, & doctores in singulis locis constituantur, qui liberales artes assidue doceant; & si tales non inventiuntur, tamen divina scriptura Magistri, & Institutores divini officii nullatenus desint.* Et *Benedictus XIV. P. M.* in Epist. in forma Brevis data Archiep. Neap. Card. *Spinello* die XIII. Jan. MDCCXLVI. scribit: *Esset optandum, ut Venerabiles*

*Ira-*

ta (9), ad sacros Ministros eadem methodo, iisdem disciplinis, & doctrinarum studiis, ut par est, imbuendos in Archiepiscopali Palatio sub Præfulis, Primorumque Cleri oculis publicæ scholæ omnibus Ecclesiastico ministerio mancipatis tum qui in Seminario, tum qui in paternis laribus educarentur, præsto essent; atque in iis selectissimi Antecessores, ullo sine juvenum dispendio, sed annuo eis salario statuto ex fructibus Archiepiscopalis census assidue docerent (10). Hoc sane providentissimum

Car-

*Fratres Antistites . . . omnes Civitatis, & Diœcesis Clericos quotidie ad Episcopi Aedes, secundum vetustam Ecclesiasticæ disciplinæ rationem convenientes, ibidem optimarum facultatum, doctrinarumque studiis sub suis oculis ab inferioribus Magistris imbuendos curarent.*

(9) Omittis aliis, Concilii Constantinopolitani Can. IV. statutum est: *si quis ex Presbyteris voluerit nepotem suum, aut alium consanguineum ad scholas mittere in Ecclesiis Sanctorum, aut in Canoniis, quæ nobis ad regendum commissa sunt, licentiam id faciendi concedimus.* Et Can. V. Presbyteri per villas, & vicos Scholas habeant. Et si quis fidelium suos parvulos ad discendas literas eis commendare vult, eos non renuant suscipere. Nihil autem ab eis pretii exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto, quod eis parentes eorum caritatis studio sua voluntate obtulerint.

(10) In citata Epistola Ann. MDCCXLIV. ad Card. Spinellum ita scribit Mazochius noster: „ In tuis Aedibus doctrinarum omnium ludum universo Clero aperuisti, selectissimis Professoribus tuo ære adscitis, quibus tuo sub aspectu sacra juvenus ad omnem eruditionem informanda traditur . . . Ad Aedes tuas, ut ante dicebam, omnis quotidie Clerus gregatim confluit. Ibi per suas classes scholasque dispositi tuis sub oculis a doctoribus stenuissimis ad optimas artes erudiuntur; ut qui in demo Dei educantur, non minorem jam habituri sint ab initio doctrinæ, quam caritatis consensionem “. Et in *Vindiciis Repetitis Allor. Bouvieni. S. Jan. pag. 142.* (Adnot. 16) ait idem Mazochius: „ Nihil salutaris ab Eminentissimo Cardinali Spinello olim Archiepiscopo Neap. fieri potuit, quam uti Clerum universon, antea per obvias quasque scholas dispersum (ex quo si nihil aliud damni, at dissimilitudo doctrinæ in clericis existeret) in Gymnasium unum in Archiepiscopio funda-



Cardinalis *Spinelli* institutum, non solum bonorum omnium plausu, sed in primis *Benedicti XIV.* Pontif. Max. pietate, & sapientia celeberrimi elogio fuit confirmatum, qui hac de re postmodum (11) Authenticas litteras ad eum misit. Hac itaque scholas, statim ac primum patuere, frequentavit *Julius*, ibique Philosophicis in studiis est non mediocriter versatus sub disciplina *Felicitis Rossi*, Sacerdotis admodum eruditi. Audivit deinde Theologiam egregie per dogmata explanatam a doctissimo viro *Josepho Simiolo*, inde Neapolitanæ Ecclesiæ Canonico Theologo, atque in Publico Athenæo Conciliorum Antecessore. In ediscendo Civili Canonicoque Jure usus est viro edictis optimæ frugis operibus clarissimo, *Carolo Blascho* Rossanensi Patricio. His sane disciplinis diligentissime vacavit ad Annum usque MDCCLII., quo a legitima ætate quum pauci adhuc abessent menses, VI. Idus Junii privilegio Pontificis Sacerdotio fuit initiatus.

## VI.

29 tum cogeret, idque instructum selectissimis scientiarum  
 30 omnium professoribus: in quo maxima cum amulatione  
 31 optimi juvenes in spem Ecclesiæ subleferent. Ac ne  
 32 nunc quidem aliud Eminentiss. successori Cardinali *Ter-*  
 33 *satio* magis cordi est, quam ut adolescentibus sponte  
 34 sua incitatissimis addat quotidiana calcaria. Itaque (ut  
 35 tacitam de progressibus Cleri mirificis) non nisi os unum  
 36 & lingua una Ecclesiæ torius Neap. facta est. O fortunatos  
 37 natos nimium, sua si bona norint, Regiæ Metropolis  
 38 hujus Clericos, tantis doctrinæ & innocentie præsidis  
 39 ante fultos, quam ad populos regendos missi profi-  
 40 liant. “

(11) Quamvis aliquot ante annis Publicæ Archiepiscopales scholæ sensim patuerint, quasi magni moliminis experimento factis; arctamen ut perpetuum staret opus, IX. Kal. Novem. MDCCXLV. decretum edidit Cardinalis *Spinellus*: quod sane decretum binis litteris suis, in forma *Brevis*, ut vulgo ajunt, sub eadem Nota Chronica *Postrid. Id. Jan. MDCCXLVI.* & laudavit, & confirmavit idem summus Pontifex.

VI. Antequam ad ulteriora progrediamur, ut manifestum appareat quanto ardore, & fructu in studiis sub præceptoribus profecerit *Selvagius*, præstat hoc loco duo narrare non admodum vulgaria. Primum est, quod cum adhuc Clericus in Archiepiscopali Lyceo Theologiæ operam daret, unus omnium æqualium maxime floruerit ingenii, & doctrinæ laude. Quare factum est, ut, adveniente in scholam quadam die (an. MDCCLI.) Card. *Spinello* cum celeberrimo *Josepho Assemanno*, aliisque doctissimis viris exteris, quos *Spinellus* ducebat ad visendam Academiam a se recens fundatam, *Selvagius* in primis electus sit, qui de quæstionibus Theologicis coram differeret; specimenque exhiberet progressus, quem in ejusmodi facultate juventus Ecclesiastica faciebat sub disciplina *Simiolii*. Alterum est, quod secundo, vel tertio cursus Theologici anno, novam, ut ita dicam, Theologicam Coloniam ipse deduxerit in ædes S. *Gregorii* Piorum Operar. Quam enim optimus quisque condiscipulus amicissimus esset *Selvagio*, ejusmodi ipse hortatus est, ut in prædictum locum semel per hebdomadam convenirent post meridiem ad disputandum de quæstionibus Theologicis. Annuentibus methodum præscripsit, qua exercitationes concertationesque rite instituerentur: patronumque dedit D. *Augustinum*; cujus laudes quotannis festa illius die a Sociis celebrari voluit prosa, & versu. Huic porro Clericali Academiæ, quæ plus uno permansit anno, initio præfuit *Nicolaus Trutta* Presbyter Neap. doctissimus; deinde alii.

VII. Quamvis Presbyter jam factus *Julius*, & disciplinarum curriculo feliciter emenso e schola discesserit, domi tamen se continens pertracta studia retractare, augere, expolire cepit. Assiduus in legendo, scribendoque erat;

in adeundis vero, atque interrogandis doctioribus adeo sollicitus, ut plane appareret eum eruditionem non diligere, sed prorsus ardere. Ad orientalium linguarum studia, quarum elementa jampridem didicerat, rursus se contulit; simulque Geographiæ, Chronologiæ, Historiæ tum Sacræ & Ecclesiasticæ, tum Civili, nec non Antiquitatibus in primis Christianæ Religionis penitus perlustrandis & addiscendis apta methodo, & nunquam intermissa opera solitarius vacavit. Probe noverat, licet juvenis, quam sit necessarium, & quantum emolumentum afferat scientias artesque profectibus non sero Regionum Urbiumque situs pernoscere, temporum successiones in numerato habere, Gentium facta exquirere, Regnorum ortus, incrementa, & casus perpendere, Ecclesiæ Christi acta, vicissitudines, Conciliorum, Patrum, Pontificum, & Hæreticorum scripta & gesta explorare, ipsasque Christianas Antiquitates viro Ecclesiastico pernecessarias addiscere; quibus sine adjunctis quam manca sit, & imperfecta Philosophia, tum Jurisprudentia, ipsa cum primis Theologia, nemo sanus non fatetur. Horis præterea successivis fontes Latinorum Græcorumque Scriptorum quantum potuit; ne ignota ipsi esset veterum Sapientia, & per quos veluti gradus humanarum divinarumque rerum scientia ad perfectionem lucemque evidentiam, si potis est, tendere non sine hominum vigiliis & sudore sit conata. At, quod caput est, nulla prope dies præterijt, qua partem aliquam Veteris Novique Testamenti non legerit attente, & ope alicujus Commentarii, præcipue *Calmeti*, non sit interpretatus. Ad hoc sane studium capeffendum eruditione sua Clarissimus *Mazochius* noster eum quodammodo incitavit primum, & deinde manuduxit. Nam quum

sæpe in Neapolitano Athenæo virum summum Sacras Scripturas edocentem, atque novas vias aperientem, aptaque ministrantem subsidia ad Biblia intelligenda audivisset, Scripturarum amore, ac utilitate vehementissime est incensus: quæ res quantum lucis & fundamenti Ecclesiasticis *Julii* studiis attulerit, scripta ejus abunde testantur.

VIII. Post quatuor circiter annos, quibus in sua Bibliotheca (quam pro necessitate, vel opportunitate sensim optimis libris diligenter augebat) in studia sua incumbens quodammodo delituerat *Julius*; en causa, quæ illum An. MCCLVI. e domesticis latebris in apricum protulit, & ad peracti studii publica experimenta tradenda; atque ad non adhuc a se calcata literarum stadia percurrenda excitavit. Ut recte, quæ sequuntur, intelligantur, rem altius repetamus oportet. Cardinalis *Spinellus Benedicti XIV.* memoriæ quidem sempiternæ, pleno gradu vestigia premens, quemadmodum hic Romæ, in Christiani Orbis Arce, nomine *Ecclesiasticæ Academiæ Societatem Virorum Sapientum* stas Exercitationes Historicas, Biblicas, Theologicas, vel Liturgicas ipso audiente habentium non sine maximo Ecclesiæ Universæ commodo instituerat; ita ille Neapoli An. MDCCXLI. in diviti, & selectissima Presbyterorum S. *Philippi Nerii* Bibliotheca Ecclesiasticam aperit *Academiam*, in qua viri utique præclari *Alexius Symmachus Mazochius*, totius *Europæ litterariæ miraculum* (12) cujus desiderio boni omnes

---

(12) Hoc summi honoris titulo Cl. Virum *Mazochium* ornat *Carolus Le Beau Regiæ Inscriptionum, & Humanarum Litterarum Academiæ Parisiensis Scriba Perpetuus* Epistola ad eum data XVII. Kal. Octobr. MDCCCLIX., quæ est XXIII. Vol. I. Collectionis *Opusculorum* ejusdem

nes merito anguntur, *Ludovicus Sabbatinus de B. Anfora Aquilanus Episcopus, Pius Thomas Milante Episcopus Stabiarum, Agnellus Honoratus Averfæ Canonicus, Annibal Marchesius, Antonius Genuensis, Carolus Blaschus, Franciscus Maria Pratillus Canonicus Capuanus, Cajetanus Mari, Joseph Sparanus, & Joseph Simolius Canonici Neapolitani, Ignatius Calce, Ignatius a Cruce, Sebastianus Paulus, Scipio de Christophoro, Stanislaus a Potentia* editis Operibus, atque varia eruditione illustres, aliique permulti floruerunt, qui statis diebus dissertationes haberent ea de re, quæ in Libello indicente jam in antecessum excusso fuisset proposita (13). Ex hisce profecto exercitationibus plures per annos productis prodire tot tantæque optimæ frugis dissertationes de sublimioribus rei Christianæ argumentis, & præsertim aduersus *Samuelis Basnagii Annales Politico-Ecclesiasticos*, quæ si in unum collectæ evulgarentur tandem, magnum profecto emolumentum rei literariæ accederet. Quemadmodum quidem accessit ex eruditissimo *Mazochii Commentario* in priores sex Marmoræi Neapolitani Kalendarii Menses, & ex dissertatione ejusdem *de Sanctorum Neapolitanæ Ecclesiæ Episcoporum cultu*; ut etiam ex altero *Ludovici Sabbatini Commentario* in omnes prorsus ejusdem Kalendarii Menses, ex  
*Bla-*

---

*Mazochii*. Hanc Collectionem ubique expectatissimam evulgare diligenter curavit Vir eruditissimus *Cajetanus Migliore*.

(13) De illustri hac Ecclesiastica Academia ita *Cl. Mazochius* in citata Epistola Anni MDCCXLIV. *Cardinalem Spinellum* alloquitur; „ Quid de instituta per te celebri „ apud Oratorianos Patres Academia, in qua viri ex tuo „ Clero lectissimi crebris dissertationibus publice pronuntiantis Ecclesiæ Historiam illustriorem efficiunt &c. “

de *Blaschi* doctis dissertationibus, aliisque illu-  
 Mi- strium Virorum Scriptis jam tum, vel postea  
 ra. evulgatis. Verum postquam, nescio quo fato,  
 s, iis se implicuit negotiis Cardinalis, a quibus  
 n. abstinuisse satius fuisset, quum ipse se Romam  
 is, recepisset, atque hujus sedis regimine se ab-  
 ph. dicasset, occlusa tacuit Academia, nec amplius  
 Cal. de more in unum coiere viri eruditi.

IX. Quicumque, ut his exercitationibus in  
 di. dies doctior evaderet Neapolitanus Clerus, &  
 es, exemplo inde ducto universæ Regni Ecclesiæ  
 bus illustrarentur, vehementer sperabat fore, do-  
 Li. luit merito, tot illustres viros medio in cur-  
 sif. su substituisse. At statim ac *Antoninus Sersa-*  
 ci. *lius* Cardinalis fuit huic sedi successor datus,  
 ere de restituenda Academia Ecclesiastica cogita-  
 & tum est. Debetur præsertim hæc restitutio  
 les Canonico *Josepho Sparano* sollertium ingenio-  
 le- rum amantissimo, qui ea de re sæpe coram  
 to Archiepiscopo verba fecit; & *Julio* etiam no-  
 m- stro, qui juvenes Sacerdotes, quibuscum diu  
 no iisdem in studiis fuerat versatus, ad coeun-  
 no- dum fortiter excitavit. Quapropter quum Car-  
 if. dinalis *Sarsalii* auctoritas tandem accessisset,  
 æ & Præsidem dixit, ipsemet *Julius* hortato-  
 al- ria oratione Academiam reculit VI. Id. Jan.  
 m- MDCCLVIII. Duodecim primum fuere socii,  
 ex quibus postmodum magnus sapientum virorum  
 ul- numerus ultro accessit. Illud fuit hujus resti-  
 di- tutæ Ecclesiasticæ Academiæ Neapolitanæ in-  
 a- stitutum, ut sub tutela S. Doctoris *Augustini*,  
 eni cujus laudes quotannis panegyrica oratione  
 ori aliquis ex Accademicis prosequeretur, quoli-  
 uo bet die Sabbati postmeridianis horis corporati  
 n- omnes, vel domi *Sparani*, qui Pro-Præfectus  
 huic Academiæ fuit renunciatus, vel in Ar-  
 est) collecti ab uno ex sociis Theologicam,  
 ab

ab altero de graviore aliquo vel Historiæ Ec-  
clesiasticæ, vel Sacrarum Scripturarum, vel  
Canonici Juris, vel demum Liturgiæ argu-  
mento in evulgatis libellis jam ante proposi-  
to, Dissertationem taciti audirent; atque dein-  
de, si quid non recte dictum crederent, mo-  
deste proponerent, solutionem ab Differente  
expectantes. Incredibile dictu est, quo animi  
ardore, quaque diligentia hac in palæstra se  
exercuerit *Julius*, vel dissertationes recitans,  
vel differentibus difficultates expediendas op-  
portune proponens (14).

X. Præ-

(14) De hac *Sacra Archiepiscopali Academia Neapoli-  
tana* vel a Card. *Spinello* instituta, vel a Card. *Sersalio*  
restituta universæ eruditionis Parens *Marochius* noster in  
*Vindiciis repetitis Actor. Bononiæ. S. Januarii* quum  
scripsisset hodie maxime cum Neapoli, immo & late in  
atrage *Sicilia* sub auspiciis *Caroli Regis Augustissimi Fel-  
licissimi*que . . . præ ceteris bonis artibus studia cum pri-  
mis sacra ad miraculum florent . . . ope præsertim tum  
*Archiepiscopalis Gymnasii*, tum etiam adultiorum Cleri-  
corum *Academiæ*, &c. illico pag. 142. ( Adnot. 11 ) in-  
ferne subnectit: „ Nam ne tum quidem ubi scientiarum  
stadium emensi, ad curriculi sui metam pertigerunt,  
otio sese dedunt. Etenim adultiores facti, ac Sacerdo-  
tio initiati, æpiglydny deliguntur ii, qui in penitiori-  
bus studiis ( nim. historiæ sacræ, dogmatum, canonum,  
Bibliæ & Ecclesiasticæ antiquitatis ) magis magisque  
quotidiè subigantur. Hunc in finem instituta jampridem  
fuerat ab Eminentiss. Archiep. *Spinello* cultior quædam  
*Academiæ sacra*, in qua de originibus Ecclesiasticis,  
Biblicis, Liturgicis, & id genus aliis maximo cum  
sacræ doctrinæ fœnore differebatur. At diu post, par-  
tim ex obitu magni illius incitatoris *Hannibalis Mar-  
chesii Oratoriani* ( nam apud Oratorianos Clericorum  
cætus illi cogebantur, præsertim ac presidente Archie-  
piscopo ) partim ex Romana *Spinelli* Eminentissimi pro-  
fectione ii cætus aliquandiu intermissi. At revocata ab  
Eminentiss. Archiepiscopo *Sersalio* successore sub ductu  
Canonici *Sparani* optime de Clero meriti, *Sacra Aca-  
demiæ Archiepiscopalis* ( id ei nunc nomen est ) in  
quam statis diebus conveniunt Academici productos a  
se fetus in orbem recitaturi. Utinam tantorum bonorum  
affluentia in Ecclesia Neapolitana perennet quam diu-  
tissime! “

X. Præter hæc erant alia litteraria negotia, quæ *Julium* & ante, & post hæc tempora non mediocriter distinebant. Inter *Arcades Poetas* adhuc juvenis adnumeratus, nomine *Aristonis Metastici*, quolibet anno inter Pastores *Coloniæ Alethonæ* celeberrimæ, dum vixit, vel Latina, vel Græca etiam aliquando, pro immaculato Virginis Deiparæ Conceptu conscribere carmina, sane non contemnenda, quæ in Collectionibus hujusmodi sunt vulgata, numquam destitit. Ad hæc Conciones nonnullas bonæ frugis plenas ad Populum Neapolitanum, atque finitimarum Urbium sæpe habuit; nec non orationes de Sanctorum laudibus non inelegantes identidem recitavit. Nec prætereundum, quod in funere *P. de Novelis*, Congregationis Piorum Oper. Præpositi, quo ipse per plures annos usus erat Sacramenti Pœnitentiæ Ministro, ejus laudes adhuc adolescentulus profecutus est Latina oratione in æde *S. Gregorii* majoris, non sine auditorum admiratione atque ingenti plausu, animadvertentium scilicet paucissimos dies adolescenti satis fuisse ad perficiendum hoc opus. Quum vero immortalis nominis Romanus Pontifex *Benedictus XIV.* obiisset, ipse accitus, utpote Sodalitii Peregrinorum Socius, in eorum Templo in conspectu illustrium Virorum funebri oratione tanti Pontificis laudes celebravit.

XI. Insuper inter alios ipse quoque *Censor Librorum*, qui Neapolitanis typis evulgantur, a Cardinali Archiepiscopo pro doctrina Religionem spectante creatus, plurima nasute volumina pervolutavit, labori diligentiaque minime parcens, ut Auctores quantocius operum suorum judicia haberent, & expedirentur. Præ ceteris vero maximum illi fastidium attulit Censura Historiæ Ecclesiasticæ *Joannis*



*Laurentii Moshemii* Universitatis *Gottingensis*  
 Cancellarii, quam ab Auctore latine scrip-  
 tam, dein in Anglum sermonem versam una  
 cum reliqua *Universa Gentium Historia* ab  
*Anglis* doctissimis viris digesta conjunctam,  
 tandem *Italicam* redditam, *Neapoli* edendam  
 curavit *Rosellius*. Hæc quidem *Historia* a  
*Germano* homine certe erudito, at ab *Eccle-*  
*sia Catholica* sejuncto, secundum suæ sectæ  
 dogmata elucubrata per annorum centurias,  
 atque ab *Archibaldo Maclaine*, pene fursuris  
 ejusdem homine adnotationibus aucta, nullo  
 modo poterat *Catholico Populo* sine *Religio-*  
*nis periculo* legenda tradi. Hinc rogatus ob-  
 fecratulque est *Julius*, ut pro veritate *Reli-*  
*gionis*, *historicaque sinceritate* novis adnota-  
 tionibus, ut res postulabat, pravis sententiis,  
 factisque vel falsis, vel fucato colore depictis  
 opportune occurreret, doctrinamque subnecte-  
 ret expellendo veneno pernecessariam. Per  
 quatuor circiter annos, dum volumina excu-  
 derentur, ipse aliis dissentus litterariis nego-  
 tiis adnotationes sæpe prolixas, & vix a par-  
 tu rubentes subnectendas evulgandasque trade-  
 bat. Quare in illis esse nonnulla, quæ limam  
 desiderant, vel quæ plenius doctiusque erant  
 tractanda, ingenue fatemur, & ipsemet *Julius*  
 mecum fassus est non semel. Verum in angu-  
 stiis positus meliora tunc dare non poterat,  
 quamvis negotii gravitas id posceret. Occurre-  
 re huic malo admissus est ipse, edita *Censura*  
*Historiæ Moshemianæ*, seorsum etiam excusa;  
 attamen & hæc ipsa nec omnia comprehendit  
 refellenda, quæ quidem maximi momenti  
 sunt, nec pro dignitate refellit. Quod si vel-  
 lemus rem penitus pensitare, vel minime in-  
 ter nos vulganda illa erat *historia*, vel *differ-*  
*tationes addendæ criticæ & dogmaticæ* illis  
 plurimum similes, quas olim cum *Historia*  
 sua

sua dedit *Natalis Alexander* (15). Illud tan-  
 dem, quod non leviter eum hoc tempore  
 exercebat, erat sane ex Tyronibus Congrega-  
 tionis S. Philippi Neri modo hunc, modo il-  
 lum in Theologicis studiis manuducere, fontes-  
 que aperire sanæ doctrinæ. Facilitas enim il-  
 la nativa, & perspicuitas verbis explicandi  
 cogitationes mentis sæpe sublimiores, & im-  
 plicatas, quam in *Selvagii* scriptis admira-  
 mur, in loquendo de rebus a vulgi captu re-  
 motis reddebant illum apud omnes commen-  
 mendatione dignum. Non mediocriter tandem  
 a studio rebusque suis curandis avocavit *Ju-  
 lium* Cardinalis *Sensalii* codicillum XIV. Kal.  
 Septem. An. MDCCLXV. datum, quo ipse  
 Quæsitior Scientiæ eorum, qui Ordinibus Ec-  
 clesiasticis sunt initiandi, fuit renunciatus.  
*Probitas* enim & *doctrina Julii* promeruerunt,  
 ut ad hoc munus advocaretur; illudque ipse  
 licet juvenis, tanta diligentia, tanta interro-  
 gandi humanitate, perspicuitate, & gravitate  
 explere solitus erat, ut Seniorum laudes, at-  
 que initiandorum grati animi significationes  
 abunde promeruerit.

XII. Quamvis tot tantisque literariis curis  
 quotidie adlaboraret *Julius*, a remittendis ta-  
 men paulisper jam inceptis in Bibliotheca  
 sua studiis, vel exercitationibus Ecclesiasticæ  
 Academiæ dimoveri numquam potuit. Profe-  
 cto studia Clericorum Neapolitanæ Ecclesiæ,  
 antequam ipse Sacerdotio initiaretur, optima  
 illa quidem jam tum erant, diuturna, recte-  
 que

b 2

que

---

(15) Ita sane mecum sentiebat communis amicus *Joan-  
 nes Franciscus Consortius* acerrimi vir ingenii, a quo  
 brevi expectamus *Universæ Theologiæ Dogmaticæ Institu-  
 tiones*, quarum volumen *Paræceasticum de Veritate Religi-  
 Christianæ*, & *Theol. locis* jam excusum est Neap.  
 MDCCLXXI.

que ordinata, ut messis inde satis opima virorum in Ecclesiastica Republica illustrium sperari semper merito posset. Nec spernenda certe est messis illa, quæ præterito mox tempore floruit, vel qua fruimur in præsens. At felicior utique, & uberior fuisset semper, si perpetua in eodem Clero Academia extitisset. Nam post studia juventutis sub Antecessoribus diligenter peracta, quum illico dari præmia doctioribus ex illis non possint, antequam studia ipsa lectione, meditatione, & scriptione perpoliantur, & quodammodo pinguescant, immo & maturior muneribus evadat ætas; hinc præceptore remoto, quum sæpè non habeant juvenes ubi conceptus bonarum litterarum ignis alatur, & ubi etiam sub Præfulum oculis cum profectu exerceantur, non ultima eorum pars sibi desidiose vivere contenta libros studiaque omnia deserit; maxima vero in late patentem Theologiæ morum sinum, ut par est, se se recipit, profecto non sine fidelium utilitate; reliqui vero, si qui sunt non admodum frequentes, studia prosequuntur bene ominata. Quod si præ foribus, uti ita dicam, Scholarum Ecclesiastica semper adesset Academia, quæ juvenes naturali æstu huc illucque in studiis palantes in unum cogeret, & apud se materna caritate comiter exciperet: profecto in ejus campo ipsimet juvenes mox e scholis dimissi, ad laborandum enitendumque assueti, atque adhuc calentes plantarentur, statim altissimas in studiis melioribus radices agerent, floresque & fructus darent Ecclesiæ, & Reipublicæ uberrimos. Nam viri acri judicio pollentes, atque huic culturæ sublimiori præsidentes, ex dissertationibus domi a juvenibus non sine industria, & æmulatione conscriptis, atque ex oppositionibus ex tempore propolitis, satis conspicerent, & pen-

de-

derent exacte, in quo quis plus valeret, cuique muneri obeundo melior quisque factus posset apte destinari.

XIII. Et ita sane se rem habere, manifestum ex eo apparet quam maxime, quod ex restituta tandem Neapolitana Ecclesiastica Academia plurimi prodierint vel regendis Ecclesiis, vel adolescentibus doctrina instituentibus, atque vulgatis operibus (16) Clarissimi

b 3

vi-

(16) Inter plurimos, qui operibus jam nunc editis gloriam sibi partam Ecclesiastica huic Academiæ communicaverunt, primo loco meminisse præstat *Benedicti Clementis de Arostegui doctam sane, atque elegantissimam Dissertationem, qua Apostoli Jacobi Majoris Prædicatio Hispanis vindicatur.* Hanc ipse tunc adhuc juvenis in Academiâ nostrâ recitavit, & Neap. edidit An. MDCCLXIII. Hinc doctus & probatissimus sacerdos *Dominicus Jorius* tria Italice scripta edidit Opera, sacra eruditione, pietateque redundantia; scil. I. *de Ecclesiastici Ingenii Usu in Animarum salute procuranda, Theologica Tractatio &c.* An. MDCCLXI.; II. *de Antiqua, Novaque Ecclesiæ disciplina in apponendo Santissimi Novi Fœderis Sacrificii Fructu &c.* An. MDCCLXIX.; III. *Charitas Catholica Ecclesiæ, sive Argumenta indubia, quæ erga Ecclesiæ Doctrinam, Ministros, Mores, & Disciplinam semper & ubique exhibere Fideles &c.* An. MDCCLXXIV. Item elegantissimus *Paulus Motia* antiqui moris vir, non solum *Linguae Græcæ Profodi m*, *Epistolasque Latinas* quantivis leporis, sed edidit etiam *divi Basilii Vindicias adversus Joannem Barbeyracium quoad Jurjurandum*, An. MDCCLXIV. Vir quoque Clarissimus *Benedictus Columna* Abbas Ord. S. Eened. Congr. Cælestin. præter *Geographica* ejus volumina, Italicam *dissertationem Apologeticam* evulgavit de *sincera Patrum Tertii sæculi doctrina circa statum Animarum medium inter mortem & resurrectionem &c. adversus Thomam Burnetum &c.* An. MDCCLXV. Ab egregio Viro *Lucâ Nicolao de Luca* habemus *Sacrum Sapientie Librum Italicæ Paraphrasi explanatum, atque Adnotationibus e Philosophico penu abunde depromtis illustratum* An. MDCCLXVIII. Reliquos præterire satius duco, ne tractat onem hac de re, non adnotationem scripissè videar. Qui plura scitu digna legere desiderat, is adeat *Caput VI. Lib. VI. Partis II. Commentarii Historici Attarum S. Neapolitanæ Ecclesiæ, atque Congregationis Apostolicarum Missionum &c.* quem sane Commentarium Itali-

cc

viri, qui alias fortasse in otio, & squallore delituisse. Præ omnibus meminisse sufficiat de binis illis illustribus Amicis, nempe *Josepho Rossio* (17), qui ad Theologiam Dogmaticam, & *Julio Selvagio*, qui ad Jus Canonicum tradendum in Scholis Archiepiscopi Neapolitani eodem pene tempore a *Cardinali Serfatio* electi fuerunt. Ad hunc quod spectat, quum *Carolus Blaschus* (a quo, ut diximus, *Julius* Jus Canonicum hauserat) doctis operibus editis (18), recteque institutis juvenibus optime de re literaria meritis, ut libe-

rius.

ge elucubratum (utinam copiosius, & absoluta monumentorum collectione magis refertum!) An. MDCCCLXVIII. edidit eidem Academia. Præ præfectus Clariss. *Joseph. Sparranus Neap. Eccl. Canon. & Major Penitentiarius*; cui sane plurimum me debere fateor, quod reculas meas in Academia illa recitatas tanti fecerit, ut *Parte I. Commentarii sui a pag. 119. ad 122. Adn. 23. & 24., & a pag. 138. ad 154.* item in *Adnotationibus* nonnulla ad rem diplomaticam Metropl. Eccl. Neap. illustrandam pertinentia a me conscripta, humaniterque a focis excepta ediderit. Plurimum etiam debere me fateor Magistro quondam meo *Alexio Symmacho Marobio* Viro incomparabili, qui in *Vindiciis Repetitis Actorum Bononien. S. Januarii &c. Part. III. denuntiationis* not. 20. pag. 162. cujusdam meæ dissertationis de *Tempore Neapolitanæ invasionis a Saracenis factæ*, de quo rebus tunc cæstris compendium dedit, eaque est usus ad nonnulla Historiæ capita corrigenda.

(17) Hujus Cl. Viri in Theologica re diu subacti quatuor ad hunc diem habemus opera evulgata, quæ ipse inter sacram eruditionem, latinamque elegantiam mediis doctissime scripsit: I. *de Opificio sex dierum.* An. MDCCCLXVII. ; II. *de Angelis.* An. MDCCCLXVIII. ; III. *de Altera Vita Libri IV.* An. MDCCCLXXI. ; & IV. *de Veritate Religionis Christianæ.* An. MDCCCLXXV.

(18) De Ecclesia benemerentissimus Vir *Blaschus* bina edidit volumina An. MDCCCLVIII. &c. quibus comprehenduntur ejus *Opuscula Canonica, Historica, & Critica* Italiane elucubrata. Hinc An. MDCCCLX. evulgavit *de collectione Canonum Isidori Mercatoris Commentarium*, quo innumere refelluntur calumniæ adversus Romanam Ecclesiam emissæ, & multa Canonum obscura loca doctè illustrantur. Tandiu totus est in *Probabilissimæ* Historia sincere conscribenda.

rius novis lucubrationibus conscribendis vacaret, se munere docendi Canones abdicasset, eidem illico muneri XVII. Kal. Octobris MDCCLXIV. Archiepiscopus Cardinalis *Julium* præfecit, divisa prudenter annua solutione utrique Antecessori. Statim ac ad docendum ipse feriis illis autumnalibus se accinxit, expeditiores serio meditatus est modos pro virili Auditores traditæ sibi Scholæ juvandi, atque ad sapientiæ apicem manu facilius ducendi.

XIV. Notum est Eruditis, diu fuisse magnaque animorum contentione agitatum in pluribus Europæ studiorum Universitatibus, num juventuti erudiendæ commodius utiliufque foret, cujusque disciplinæ constitutos, typisque excusos in adolescentum manus tradere libros, eosque in Scholis ab Antecessoribus explanari; an e manuscriptis institutionibus secundam uniuscujusque Magistri mentem elucubratis dictata juvenes excipere, atque velociter, ut moris est, exscribere. Qui priores partes tuebantur, quinque mala ex hac scholastica scriptura in juvenes manantia extulere. Primum, sententias ejusdem Scholæ sub diversis Antecessoribus diversas proponi; alterum, non omnes æque Magistros eadem scribendi elegantia & perspicuitate uti; tertium, excipiendo scribendoque multum temporis in Scholam perperam teri, quod in utiliores impendi exercitationes posset; hinc quartum, scripturæ elegantiam, industria partam, corrumpi, atque interim tædio affici nimioque labore sæpe Auditores delassari; quintum denique, ante inventam Typographicam artem necessarium fuisse omnino exscribere: at post illam mire repertam, qua labores hominum plurimum levantur, velle adhuc exscriptionem retinere, esse quidem repertis frugibus

glande vesci; quæ mala, sane non levia, proposito in Schola, explicatoque libro evanescent. At qui pro altera stabant sententia, quinque etiam opponebant ex statutis vulgarisque disciplinarum institutionibus manantia mala, oppositisque incommodis respondebant. Primum non cuique Antecessori ( dummodo sit hoc nomine dignus ) in iis, quæ omnino certa non sunt, & inconcussa, est mens eadem; quapropter e statuto institutionum libro omnes deinceps Antecessores docere, idem esset, ac servilia ingenia durissimo aptata iugo ad instituendos adolescentes immittere, si ad amissim omnia eodem ordine, eademque sententia semper essent explicanda; sin autem liberius agendum esset, sæpe atque in multis institutiones Doctore utique non tam explicandæ, quam refellendæ essent. Alterum, quum mentis humanæ in inveniendis, atque in dies augendis artibus scientiisque innumeræ extiterint semper felicesque progressionis, præsertim cum sobria justisque limitibus circumscripta in disciplinis cogitandi libertate, si eadem semper iisdemque sententiis & doctrinis institutiones traderentur, hoc idem esset, ac tyrannidem ingeniorum jam bono omine exturbatam, iterum sinistris avibus adducere. Tertium, juvenes dummodo solertes sint, ut oportet, paulatim, & quasi per frustra in exscribendo lectionis quasi deformationem quamdam concipiunt animo; quam plenius deinde clariusque unico veluti ductu audiunt explanatam: quare non frustra tempus teri, sed penitus clariusque menti insculpitur, & fixa hæret perennis doctrina scribendo in Scholis parta, quam lectione sola, & explicatione acquisita. Dein quartum, de adolescentum tædio, atque labore in exscribendo nimis anxii sunt nonnulli, quum eos, si vere  
do.

docti & dici & esse velint, non in deliciis, & mollitie innutriti, quasi delicatos Gratiarum pueros, sed meditationibus diuturnis, ordinatisque scriptationibus assuescere a teneris oporteat, ut decet Palladis alumnos. Quintum tandem, esset quidem glande vesci inventis frugibus, si veteres novosque libros omnes juvenibus exscribendos traderemus, Typographica arte inventa; at ex antiqua exscribendi consuetudine illam tantum partem retinere, quæ adolescentibus utilis sit & necessaria, hoc est opportune novis uti inventis, non abuti. His per saturam addunt hujus sententiæ Patroni; proposito cuique Scholæ Institutionum libro certo, & typis excuso, Antecessores, si parumper sint desidiosii, ad inertiam misere prolabantur, sublataque æmulatione aliquid utile de novo tentandi, nihil boni amplius extundi posset, unde honor studiorum, & Antecessorum dignitas non mediocriter elucescat (19).

XV. Hæc sane opposita utriusque partis argumenta diu *Julii* mentem reddidere ancipitem, num scilicet Canonicas Institutiones explanaturus, eas e Manuscripto diceret, an typis excusas Auditoribus traderet legendas. At demum non sine Amicorum consilio alteri adhæsit sententiæ, ea potissimum de causa, quod Canonum, Jurisque Civilis Scholæ non nisi postmeridianis horis in Archiepiscopio pateant; qua diei parte, præsertim hyeme, quam vix post prandium stomachus concaluit, cœpitque, ut *Celsus* ait (20) cruda conco-

b 5

que-

(19) Videbis Cap. XXVI. Bibliothecæ *Possevinæ*, dialogum VI. de Methodo scientiis studendi *Bernardi Lamy*, &c.

(20) In Præfatione, & alibi.



quere, ac cibum potumque jam mixtum per partes digerere, inconsulte quidem agerent Magistri, si adolescentes in recitando, diligenterque dictata & explicata auscultando in Schola retinerent; nam ita sanitatem corrumpent, qua nihil in studiis pretiosius. Ad hæc Canonum Elementa nec nimis contracta, nec plus æquo redundantia tradere desiderabat, ne primis pene jejunos, alteris tædio confectos, dimitteret juvenes. Quapropter illico manus operi admovit, atque brevi opus, ut decreverat, absolvit vulgavitque Anno MDCCLXVI. hoc titulo: INSTITUTIONUM CANONICARUM LIBRI TRES: de quibus ita in Præfatione suam aperit propositum: *In id duntaxat intendimus animum, ut adolescentes nostros onere ac labore excipiendi, excribendique dictata, præsertim postmeridianis honoris, liberaremus; & commode studiosis institutiones traderentur, quæ nec ita breves essent, ac jejuna, ut sufficientem Canonum saporem inderere non possent; nec nimis ampla, quæ ab rei Canonice studio absterrent.* Immo ne quis de doctrinis suis, ut fieri solet, in illas institutiones derivatis conquereretur, ingenue ibidem fassus est, *ab recens editis Virorum Cl. doctis, & laboriosis in re Canonica Commentariis (21) haud pauca, quæ ad rem suam faci-*

*cie-*

---

(21) Hi sunt Commentarii, e quibus non pauca ad rem suam facientia hausit Cl. Auctor *Selvaqius*, nonnullis de suo doctè ingenioseque intermixtis, ut in hujusmodi operibus accidere necessarium est; nam in iis omnia nova referre velle, esset quidem ingenii disciplinas pessumdantis; & sat cuique esse debet, nova methodo vetera concinnius explanare; gloriosum vero, nova aliqua, & non adhuc animadversa primum in medium proferre; quod præsertim ab Antecessoribus in aliqua Disciplina non methodocriter versatis expectandam est, si dignitatem publicæ

crebant, hausisse. Quamobrem ne ingrati animi nomine accusaretur, maximas his gratias se agere est professus, majores etiam habiturus. Duo hac de re minime tacenda censemus: Primum institutionibus suis elegantem sane, atque eruditam de *Juris Canonici ortu & incremento Diatribam Isagogicam Julium* præposuisse; in qua, ut apte omnia complecteretur, atque per partes ordinate digereret, secundum sententiam nostram, Canonici Juris Historiam (22), ejusque vicissitudines ad quinque *Chronologicas Periodos*, sive status redegit: I. Sta-

b 6

tum

muneris nova gloria merito sibi parta tueri velint. Igitur præter Institutiones Canonicas *Fleury*, & *Gravinae*, aliorumque doctiorum, ad manus habuit Viri utique Jurisconsultis simi, quique instar omnium esse potest, *Josephi Paschalis Cyrelli in Regia Neapolitana Academia Juris Civilis Primarii Professoris Institutiones Canonicas &c.* quas An. MDCCXIV. dedit; similiter *Institutionum Juris Canonici Libros Quatuor a Carolo Gagliardo tunc Sacrorum Canonum Interprete in Gymnasio Neap. nunc Murano Episcopo*, qui quatuor voluminibus non tam Institutiones, quam, ut ita dicam, *Jus Canonicum Commune, & Neapolitanum Antiquum & Novissimum* scitissime enucleatum dedit An. MDCDLVI. &c. Et tandem *Institutiones Juris Canonici in tres partes tributas, quibus vetus, & nova Ecclesie disciplina, & mutationum causæ enarrantur* (sive ut omnes lubenter fateantur, Canonum & disciplinae Ecclesiasticae Promum Condum) a *Dominico Cavallario Detretalium in Neap. Athenæo Professore &c.* An. MDCCCLXIV. evulgatas; ex quibus ipsemet Eruditissimus *Cavallarius* sua *Elementa Juris Canonici &c.* depromsit An. MDCCCLXIX.; & nova atque luculentiora propediem ejusdem argumenti daturus est Republicæ Literariæ opera. Non inficias ibo Institutiones Canonicas, quas Cl. *Carolus Blaschus* in Scholis Archiepiscopii dictare, & explanare pro munere solitus erat, præ manibus habuisse *Julium* nostrum, qui illius fuerat Auditor.

(22) Inter ceteros, qui hanc spartam ornarunt, & quorum opera *Julius* legerat, præstat recensere *Carminum Fimianum*, in Neap. Athenæo Canonum Professore, doctis eruditisque *adnotationibus in Petri de Marca concordiam Sacerdotii & Imperii*, & adversus *Bohemeri* audaces conatus celeberrimum. Hic An. MDCCCLXIII. edidit *Historiam Juris Canonici &c.* diligentissime digestam. Hanc diu pervolutavit, & cum Eruditis plurimi faciebat noster *Jullus*.

tum *Primigenium*, five *Arcanum*; II. *Adultum*, five *Publicum*; III. *Senescentem*, five *Aridum*, & *Incompositum*; IV. *Restauratum*, five *Resflorescentem*; & V. *Expolitum*, *Ornatumque*, & ad *Primævum*, qua fieri potuit, *candorem restitutum*; quibus utique quicquid ex Jure Neapolitano Municipali ad Jus Canonicum pertinere visum est, diligenter conquisitum addidit. Alterum, vix quatuor annorum intervallo ita per Italiam, finitimasque Regiones harum Institutionum exemplaria facile fuisse distracta, ut multis adhuc expetentibus Ann. MDCCLXX. altera vere castigatior, & auctior prodierit editio. Huic tertia accessit, quæ An. MDCCLXXI. Patavii cura est &c.

XVI. Dum vulgandis Canonum Institutionibus totus erat *Julius*, en novum ejus cervici imponitur onus. *Bartholomeus Portanova* prope emeritus Juris Civilis Antecessor in Scholis Neapolitani Archiepiscopi, illustri Sacerdotio, quod *Canonicatum* appellant, in Metropolitana Ecclesia ornatur. Tunc igitur optime factum Cardinali *Sersalio* est visum, *Selvagium* constituere Juris Utriusque Professore, ea lege, ut ab eo cujuslibet biennii curriculo Cleri adolescentes inferioribus studiis perfuncti primo anno Jus Civile, altero Canonicum explanatum audirent. Cujus muneris dati ad illum fuere codicilli a Canonico Cleri *Secretario*, ut vocant, XVIII. Kal. Septemb. MDCCLXIX. Hinc quum jam Auditores excipiendi exscribendique labore postmeridianis horis esse levandos sibi persuasisset, ut in novo hoc penso diligenter exolvendo idem præstaret, quod in Schola Juris Canonici jam absolverat; de edendis Juris Civilis Institutionibus non diu hæsitavit. Verum pluribus distentus laboribus a conscribendis novis Ele-

Elementis animum cohibuit suum, ratus melius esse consilium, inter prope infinita apud Gentes omnes vulgata seligere optima, eaque typis excusa Auditoribus proponere, quam nova brevi elucubrata, nec ad perfectam castigata unguem emittere. Itaque *Joannis Gottlieb. Heinecii* Antecessoris Viadrini celeberrimi, atque in erudienda, doctisque Institutionibus locupletanda juventute Clarissimi, *Elementa Juris Civilis secundum ordinem Institutionum* Justiniani Imperatoris ea potissimum de causa præ omnibus selegit, quia hic vix fumus præter Elementa ipsa Juris breviter, dilucideque elucubrata, eruditissimum *Romanarum Antiquitatum Syntagma* ediderat etiam, quo breviter eleganterque Antiquitates ipsæ Romanæ per capita cuique Titulo Institutionum Romanis Juris respondentia elucidantur, ut ita studiosis Legum juvenibus præsto esset, unde vim, spiritumque, ut ita dicam, Juris ediscerent (23). Cum sapientioribus (24) enim

---

(23) Nisi enim brevitatem Institutionum tum Legum, cum simul Antiquitatum Romanarum necessario sibi proposuisset *Selvagius* noster, præsto esse poterant *Elementa Juris Civilis* doctæ & eleganter elucubrata a Clarissimis Viris *Josepho Paschali Cyrillo*, & *Dominico Antonio Mangiero* Primariis in Neap. Athenæo Antecessoribus; quorum alter postmeridianis, alter matutinis horis docet. Ut etiam aliorum tum nostratum, tum exterorum infinita prope modum Juris Civilis Elementa, quorum accuratam recensionem fecit Eruditus *Joannes Petrus de Ludvig in Vita Justiniani Imp. Cap. III.*

(24) *Cicero*, ut necessario *Romanas Antiquitates* a Juriconsulto pernoctandas esse demonstraret, de *Orat. Lib. I. Cap. XLII.* illam potissimum asserti causam: *Plurima erat in omni jure Civili antiquitatis effigies, & prisca verborum vetustas, & ætlicum genera quadam, quæ minorum consuetudinem, vitamque declarabant.* Hinc ex Antiquitatum peritia potissimum *Plinius Junior Lib. I. Epist. XXII.* laudat *Aristonem* Juriconsultum: *Quam peritus ille & privati juris, & publici? Quantum rerum, &*

quam.

enim recte noverat *Selvagius*, si Leges moribus Populorum prudenter accommodantur, nisi in antecessum probe Populi cujusque mores calleat juvenis, intelligi ad usque penetrabilia Leges Populorum haud posse.

XVII. At quum *Heineccius*, vir Germanus pro Germanis suis scribens illa Juris Elementa, qua in re praesertim Jus Germanicum a Romano discrepet, Titulis subtexuisset; idem & sibi faciundum putavit *Julius* in iis Titulis, in quibus aliud Jus Romanum, aliud vero Neapolitanum sive Publicum, sive Privatum, sive Feudale statuisset, quod simili pene modo *Paschalis Ferrignus*, probatissimus Regius Salernitano Auditorio Praefectus, primum prolixius egerat (25): atque dein concin-

---

*quantum Antiquitatis tenet? Nihil est, quod discere velis, quod ille docere non possit. Mihi certe, quodvis aliquid abditum quæro, instar thesauri est. Et Antistium Labionem Jurisprimum ideo laudat Gellius Noct. Att. Lib. XIII. Cap. XII. quia Antiquitatum peritum; unde aiebat: nihil eum ratum pensumque habuisse, nisi quod justum sanctorum esse in Romanis Antiquitatibus legisset. Quare in Princ. Instit. Civ. Justinianus, ut Jurisconsultus nihil Antiquitatis penitus ignoret: Antiquitatum profecto studium ad penitiorum disciplinarum cognitionem referri omnino debet, ut tentamina rerum naturalium ad Physi- cam, Caelestium Corporum observationes ad Astronomiam magis illustrandam unice spectant. Qui vero Antiqua miratur, & amat, tantum quia Antiqua, is videat, num merito non debeat cum Horatiano Damascippo recenseri, qui emendo veteres statuas insaniebat.*

(25) Clariss. *Ferrignus* Romanum Jus ab *Heineccio* per Juris principia enucleatum cum Jure Neapolitano a se explanato apte conjunxit, ediditque opus, *Jo. Gottlieb Heineccii Elementa Juris Civilis secundum ordinem Institutionum, quibus passim subnectitur Jus Neapolitanum, &c.* An. MDCCLX. & eodem pene tempore, quo *Selvagius Ferrignus* pone sequens sua *Addimenta Juris Neapolitani Elementis Juris Romani* apte, breviusque subrexeat; in eodem stadio percurrere erat doctus sane, & in erudienda juventute diligentissimus *Orontius Figherius* noster, qui An. MDCCLXIX. &c. edidit *Heineccii Elementa Juris Civilis, quibus subducto usu Feri Germanici, ille Neapolitani suffectus est.*

cinne perfecerat elegantissimus *Marinus Guaranus* (26). Nam *Franciscus Rapolla*, doctissimus Sacri Regii Consilii Senator (27), *Dominicus Alfanus Varus* (28), *Orontius Figherius* (29), alique Clariss. Jurisconsulti idem argumentum alia methodo sunt prosequuti. Ab his communia nonnulla ingeniose mutuatus est *Julius*, quod in fine operis ingenue voluit his verbis testatum: *Quum ejusmodi*  
*Spar-*

(26) Romani Juris Philosophiam elegantia Romani sermonis erudite primum explicavit, dein in quo Neapolitanum Jus a Romano secessionem facit, docte atque subtexit hic vir Clariss. atque egregium opus quatuor voluminibus vulgavit, cui titulus: *Syntagma Romani Juris, ac Patrii secundum seriem Institutionum Imperialium. Opportune accedunt Excursus ad Jus holic receptius*. An. MDCCLX. &c. Nec diu ab eodem expectabimus *Jus Regni Neapolitani novissimum*, cujus primum volumen jam excusum nuntiatur.

(27) *Commentarii de Jure Regni Neapolitani in Ordinem redacti* bina priora Volumina edidit Vir utique celeberrimus *Rapolla*; bina vero posthuma multis de penu suo additis vulgavit doctissimus *Nicolaus Albanus* in Neap. studiorum Universitate Juris Municipalis Professor, jam antea luculentissimus *Juris Criminalis* Scriptor.

(28) Ex quatuor Libris *Institutionum Juris Neapolitani* Priorem tantum dedit An. MDCCLXVII.; at eo scriptum philosophico sale, ut in multis Lectorem expectat eruditum, non erudiendum Auditorem. Inter alia nonnulla, quæ hoc argumentum spectantia edidit, eminet sane *Corpus Pragmaticum Neapolitanum*, sive absoluta *Pragmaticarum Regni Neapolitani collectio*, quam diu Athenarum & Forum præstolabantur.

(29) Modo laudatus (not. 25.) Clariss. *Orontius Figherius* in commodis studiose juventutis, quoad potest, curandis impiger, post *Rapollæ Commentarium de Jure Neapolitano in ordinem redactæ* minime ab eo absolutum, ipse primus An. MDCCLXVI. integras *Institutiones Juris Regni Neapolitani in quatuor Libros tributas*, quibus præmittuntur *Prolegomena de Origine Juris, & Magistratum ejusdem Regni*. Ab eodem docto Scriptori expectamus hæc *Institutiones* luculentius quatuor voluminibus pertractatas cum *Appendice Monumentorum adhuc non editorum ad Jus Neapolitanum pertinentium*, ut ipse in *Prefat. Elementis suis Juris Canonici* præfixa An. MDCCLXX. spopondit.

*Spartam ante nos adornarint Viri Clarissimi Franciscus Rapolla, Paschalis Ferrigno, Orontius Figherius, alique, Lectores monitos volumus, horum docta Comment. haud parvo nobis adjumento fuisse in concinnandis hisce Institutionibus. Quod sane ingenue fatemur, palamque testamur, ne tanti Viri debita sibi gratia, & laude fraudarentur.*

XVIII. Et ne aliquid deesset hisce Juris Romani Neapolitanique Elementis, quemadmodum *Hineccius* ipse, præter *Historiam Juris Romani* singulari libro, nec vulgari eruditione elucubratam, breviorē alteram præmiserat Elementis suis; ita *Selvagius* hac retenta, in priore ex duabus Isagogicis Diatribis, huic Romani, Neapolitanique Juris Institutioni præmissis, *De Juris Neapolitani ortu, Progressu, & Incremento* secundum sententiam nostram per *Epochas* I. *Aboriginam*, II. *Romanam Præteritam*, III. *Romanam Posteriolem*, IV. *Barbaricam*, V. *Northmannicam*, & *Suevicam*, VI. *Andegavensem*, & *Aragoniam*, VII. *Austriacam* & *Borbonicam* scitissime egit; in altera deinde *De Magistratibus Regni Neapolitani, eorumque Jurisdictione* tractationem suo ordine habuit (30). Hoc opus ita ornatum, quod secundis curis, si vixisset, augendum pollicendumque nobis promiserat, Mense Septembri An. MDCCLXX. fuit evulgatum. Prætereundum

---

(30) Omnium primus *Petrus Jannonius* in sua *Regni Neapolitani Historia Civili* Legum nostrarum origines, & incrementa dedit diligentia quantamaxima, quamvis in nonnullis eum errasse constet. Ecce enim primum tenebrosam viam adeunti licuit aliquando non cecidisse? Post illum vero peculiaribus operibus cum *Historia Juris Romani* illam *Juris Neapolitani* ediderunt *Bernardus de Ferrante* An. MDCCLIV., & paulo ante (*not. 25.*) laudatus *Paschalis Ferrignus* An. MDCCLX. Hæc opera præ oculis habuisse *Julium* nostrum constat.

dum quidem non est, his tantum limitibus in erudiendis Cleri adolescentibus suam irrequietam curam non continuisse *Selvagium*; sed ulterius progrediens, quolibet mense de salebrosioribus Juris utriusque Capitibus Dissertationes a juvenibus conscribi, haberique publice jubebat; quæ in ipsa Scola recitatæ, non solum in desidum animis æmulationem excitabant quam maximam, sed in differentium quoque mente doctrinam jam labore paratam excolebant, amplificabant, confirmabantque; audito etiam Antecessoris, & Audientium judicio circa addenda, refigenda, aut rejicienda.

XIX. Diximus, potissimam causam, cur præ ceteris Elementa Juris Romani Cl. *Heineccii* explananda Auditoribus suis proposuerit *Selvagius*, fuisse, quod hæc habeant per Titulos Institutionum sibi respondentes Romanas Antiquitates ab eodem Auctore collectas, & illustratas, sine quarum studio, vel prævio, vel saltem comite intelligi Leges Civiles moribus Romanorum aptatæ nec facile, nec penitus possunt. Monuimus præterea ad novas conscribendas Canonum Institutiones, suis jam majore ex parte conscriptis Christianis Antiquitatibus provide conjugendas, animum appulisse; præsertim quia nullas repererat, quas Antiquitates Christianæ seorsum plenissime methodo Heinecciana illustrarent. Quapropter post alteram nitidiorem Institutionum Canoniarum editionem, suas tandem Antiquitates vulgare consilium cæpit. Harum igitur, quæ sit necessitas, qui Auctores, & quod in illis apte compingendis fuerit *Julii* studium, memoriæ tradere optimum duco, ut inde quanto sint illæ in pretio habendæ clarissime pateat. Jamdudum sapientes viri prospexerunt, ad Gentium diversarum Religionum, Regimina, Leges, Instituta, Artes, Opes,  
Com-



Commercia, Doctrinam, Historiam, aliaque  
 id genus multa verius, penitiusque pernoscen-  
 da faciliorem, opportunioremque præ ceteris  
 viam illam esse, diversarum earundem Gen-  
 tium antiqua quæque monumenta non sine  
 optimæ Critices regulis colligere, explicare,  
 atque in Commentarios Antiquitatum referre.  
 Quam enim ut probe hoc fiat, necesse omni-  
 no fit, primum in quædam capita accurate  
 omnia ad Gentes illas pertinentia dispecere;  
 deinde omnia unumquodque caput spectantia  
 colligere diligentissime, ad amissim expende-  
 re, atque dilucide in ordinem digerere: hinc  
 evenire non potest, quin sub unico legentium  
 aspectu proposita veluti populorum tabula  
 exquisite ordinata, inde eorundem Populo-  
 rum Religio vel Impietas, Rectum Regimen  
 vel Imperium Tyrannorum, Leges justæ injus-  
 tique vindices vel Jura inæqualia, Cultus  
 vel Barbaries, Probi Mores vel effrenis Li-  
 bertas, Opes vel Inopia, Industria vel Iner-  
 tia, Bellica Virtus vel Servilis Animus, OE-  
 conomia vel Luxus, Doctrina vel Ignorantia,  
 & alia hujusmodi, quasi e tenebris illuscen-  
 tia pateant. Mirum sane est, quantum emo-  
 lumentum ex hoc studio humana mens acqui-  
 rat! Hinc enim sinceræ Prudentiæ, sive Po-  
 liticæ principia eruuntur; hinc Religionis di-  
 vine necessitas, utilitas, veritas demonstratur:  
 hinc artium scientiarumque originationes, nec  
 non incitamenta, per quæ ipsæ crevere, vel  
 improbæ vices, per quas erroribus fuere for-  
 datæ, pernoscentur: hinc Legum secundum  
 mores latarum, vel ab iis discrepantium con-  
 silia se manifestant: hinc Opum fontes, Indu-  
 striæ regulæ, Morum frena, Bellicæ virtutis  
 calcaria, Pacis fructus, Sapientiæ documenta  
 luculenter habentur: hinc tandem Imperio-  
 rum ortus, incrementa, casusque ediscuntur.  
 Quæ

Quæ quum ita sint, magni semper sunt habitus, qui Populorum Antiquitates scriplere.

XX. In rebus humanis accidere quotidie solet, a parvis læpe incoëptis res magnas paulatim crescere. Quare primum quidem peculiaris quædam Antiquitatum capita fuere ab hoc vel altero erudito viro explanata: dein plenius fuere sequentibus temporibus eadem illustrata: hinc in unum collectis peculiaribus Eruditorum lucubrationibus, atque in classes apte digestis manarunt Tractationes, Institutiones, & Thesauri pæne innumeri variarum Antiquitatum; in quibus secundum Populorum nomina ipsæ *Antiquitates Chaldaicæ, Ægyptiacæ, Hebraicæ, Græcæ, Romanæ, Italicæ, Germanicæ, Gallicanæ, Hispanienses, Anglicanæ*, aliarumque Gentium, etiam Barbararum non sine maxima Reipublicæ Literariæ utilitate comprehenduntur. Eadem pene via a renatis usque literis in *Ecclesiasticas Antiquitates* itum est. Infinita propemodum est Dissertationum, Diatribarum, Adnotationum messis, quibus mira eruditionis, doctrinæque vi Christi Ecclesiæ Antiquitates enucleantur. Præter Scriptores plane vetustiores nonnullos *Eusebium Casareensem, Socratem, Sozomenum, Theodoretum, Sulpicium Severum*; & ex Patribus *Chrysostrum, Nazianzenum, Tertullianum, Hieronymum, Augustinum*, aliosque, qui fontium loco sunt habendi, plurima harum Antiquitatum capita iniquo sane consilio sunt scrutati *Centuriatores Magdeburgenses*; luculentius veriusque in Annalibus suis idem præstitit immortalis *Baronius*, adversus quem summum virum æmulatione potius, quam necessitate adducti calamum sumptērunt præ cæteris *Casaubonus*, & uterque *Basnagius*. Hinc multa habemus egregie explicata in Ecclesiasticis sive Historiis, sive Annalibus, & in  
San-

Sacrorum Actis vel conscriptis, vel collectis a Natali ab Alexandro, Raynaldo, utroque Pagio, Fleury, Spondano, Bzovio, Mabillonio, Godoo, Moshemio, Orsio, Bollandianis, Tillemontio, Rainarto, Ughellio, Sammarthanis, Florenzio, aliisque pene innumeris, ut etiam in doctissimis Valesii, Cotelerii, Albaspinæi, Sirmondi, Petavii, Bohemeri, Justelli, Barthebovii, Spanemii, Blondelli, Henichii, Hottingeri, Chamierii, Dallei, Hornii, Ittigii, Doduelli, Gothofredi, Balutii, Muratorii, Thomassini, Blanchini, Fabroti, Beveregii, Ægyptii, Aulisi, Clerici, Mazochii, aliorumque prope infinitorum observationibus in veteres quosdam scriptores. Aggressi sunt nonnulli Tractationibus suis Antiquæ Ecclesiæ, veterumque fidelium ritus & mores nobis generatim tradere. Eminent præ cæteris opera Richardi Montachutii Apparatus ad origines Ecclesiasticas, & Origines ipsæ, Anonymi Compendium Antiquitatum Ecclesiasticarum ex Scriptoribus Apologeticis, eorundemque Commentatoribus: Alberti Fabricii Salutaris Lux Evangelica; Haberti de Latinorum Rebus Liturgicis; Martinei de Ritibus Ecclesiæ; Conradis Samuelis Schurzleischii de Controversiis & Quæstionibus insignioribus Antiquitatum Ecclesiasticarum; item Ebelii, Hendecii, Quenstedti de Antiquitatibus Ecclesiasticis; demum Guillelmi Cavei, Goffridi Arnoldi, Christiani Kortoldi, Eduardii Vaterbusii, Claudii Fleury, & Cl. Thomæ Mariæ Mamachii de Moribus veterum Christianorum. Verum hæc volumina satim potius excitant doctioribus, quam extinguunt. Non desuere quidem, qui proposita quasi colligendi, vel scribendi materia, Eruditos quosque visi sunt fortiter adigere, ut Christi Ecclesiæ vel Thesaurum locupletissimum, vel pleniore darent Institutiones Chri-

Chri-

Christianarum Antiquitatum. Summo in labore efficere sunt admissi *Buddeus*, & *Walchius* (31), nec non celeberrimus *Joannes Albertus Fabricius* (32), qui *Thesauri Antiquitatum Ecclesiasticarum edendi conspectum*, & fontes viris Eruditis tradiderunt. Ne hujusmodi Thesauri perpetuo incassum teneremur desiderio, *Franciscus Antonius Zaccaria* quoddam quasi specimen dedit, paucis abhinc annis edita *Disciplina Populi Dei Claudii Fleury* una cum variorum dissertationibus; cui sane operi luculentiora ominentur incrementa quotquot bonas amant literas.

XXI. Quamvis igitur ad hanc usque diem adhuc non surrexerit *Gronovius*, *Grævius*ve aliquis; aut alter *Muratorius*, vel *Hugolinus* extiterit; qui ex infinitis pene lucubrationibus eruditorum, qui in has illasve Antiquitatum Ecclesiasticarum partes egregia edidere Commentaria, *Thesaurum* absolutum, vel digestam *Bibliothecam* pretiosæ hujusce gazæ sedulo collegerit (nam *Collectio* illa *Dissertationum*, optima quidem, *Discipline Populi Dei Claudii Fleury* addita (33), Specimen The-

(31) In *Bibliotheca Theologica Selecta* Par. XX. pag. 689.

(32) Primum in *Thyriasteriologia* Voigtii; & deinde in *Bibliographia Antiquaria* Edit. Hamburg. 1716. pag. 112.

(33) Ipsemet *Zaccaria* in Præfatione scribit: „Tot inter Thesauros Græcarum, Romanarum, Italicarum atque Hebraicarum Antiquitatum, quos *Gronovii*, *Grævii*, *Eurmanni*, *Hugolini*que industriz debemus, dolui semper desiderari etiamnum a nobis *Thesaurum* alium Ecclesiasticæ Reipublicæ longe utilissimum, *Christianarum* nempe *Antiquitatum*. . . Queror tantummodo, in Italia præsertim, quæ Catholica Religionis sedes est amplissima, doctos viros, aut aliis studiorum generibus distentos opus negligere Christianæ Reipublicæ perhonorificum. . . Interea dum Princeps aliquis Christianæ rei studio inflammatus tantum opus desiderari diutius „ non

Theſauri, vel Bibliothecæ eſt, non Theſaurus vel Bibliotheca): floruerunt nihilominus, qui uberiores in Chriſtianiſ generatiſ Antiquitatibus, Originibus, Moribus, Legibus & Ritibus Tractationes ſcripto tradidere. Medio fere præterito ſæculo Joannis Baptiſtæ Caſalius Romanus una cum duobus Libris de *Ægyptiorum, Romanorumque Ritibus* Anno MDCCXLV. edidit opus de *veteribus Chriſtianiſ Ritibus*. Verum quum Amici cum ad iterum pleniusque hoc idem argumentum pertractandum impulſiſſent, ex iis unus reſcribens (34): *Plures profanorum rituum ſcriptores habemus, ſacrorum autem pauciſſimos; Chriſtianiſ nempe cultus rationem ad hanc uſque ætatem pauci, ſatisque parce prodiderunt; alter vero (35): Committere non potui, quin . . . adhortarer audentius . . . ut ſecundas curas uberiores; atque auctiori editioni quantocius impenderes; ipſe Caſalius vix elapſo biennio novum pene opus Romæ vulgavit: de veteribus Sacris Chriſtianiſ Ritibus ſive apud Occidentales, ſive Orientales Catholica in Eccleſia probatis. Neque hac iterata editione vel magno molimini, vel ſibi feciſſe ſatis credendus eſt Auctor; nam ipſe in Peroratione (36) fatetur ingenuè: dixi & expreſſi de veteribus Chriſtianiſ Ritibus, quæ inſtar apiculæ ex ſacrosanctæ Scripturæ medulla, ſacris Conciliis,*  
Ec-

31. zen ſinat: ego privatorum hominum in Chriſtianiſ

32. Antiquitates amori conſulturus Librum hunc edo. . .

33. Verum in hoc poriſſimum laborandum mihi eſt, ut Mi-

34. noris cujuſdam Chriſtianiſ Antiquitatum Theſauri

35. loco editio iſthæc ſit ſtudioſis Lectoribus "

(34) Jacobus Philippus Thomafinus Aemonia Præful in Epift. Caſalio data die XXI. April. MDCCCLVI.

(35) Ioannes Franciſcus a Slingelant item in Epift. data Machline Id. Apr. MDCCCLVI.

(36) Pag. 442. poſt Notabilia &c.

*Ecclesiasticis scriptoribus, probatorumque Auctorum floribus antiquitatem perscrutando mea ingenii tenuitate adinveni; vel hac ratione, at Sectariorum errores retundantur, & præclarioribus ingeniis inde præstetur occasio illa accuratius, uberiusque cum summa studiorum utilitate prosequendi.*

XXII. Quod *Casalius* exoptabat, initio hujus sæculi factum est, dum melior hujusmodi negotio fortuna arrisit. *Josephus Binghamus* namque, impiger, atque eruditissimus Anglus, Collegii Oxoniensis quondam socius, & tandem Parochus Avantinus in Agro Hantoniensi, improbo viginti annorum studio egregium absolvit ediditque opus ( quantum ab homine a Romana Ecclesia alieno expectari melius poterat ) *de Originibus sive Antiquitatibus Ecclesiasticis*, quod eodem pene tempore ex Anglicana in Latinam Linguam vertit *Joannes Henricus Griscovius*. In eo sane opere *Binghamus* antiquas consuetudines, ritus & praxes Ecclesie sub certa & propria quaedam capita redegit, ubi Lector singulos quosque ritus, & consuetudines illico invenire possit, quæ Christianis per quatuor, vel quinque priora sæcula, intra quæ disputationes suas in ( XXIII. ) hisce Libris ubique coeruit, atque continuit, fuerunt ( 37 ). Ad tale opus exantlandum ea quidem de causa exstimulatum se profitetur in Præfatione ( 38 ): *Inficias ire non possum, emulatione quadam ( non vitiosa tamen opinor ) me commotum esse, quod tot viros doctos in colligendis, & publicandis Antiquitatibus Grecis & Romanis tanta cum industria versari viderem, nullo interim*

( 37 ) Initio Præf. Volum. I. p. 27.

( 38 ) Ibidem.

terim, quod ego sciam, Libro extante, qui completam Antiquitatum Ecclesiasticarum collectionem ea quidem methodo, qua nunc fit, exhibeat. Incredibili sane plautu hoc opus ubique, & præsertim apud homines aliter a Romana Ecclesia sentientes, exceptum est; propterea quod omnes decem illius volumina evolventes statim intelligerent, Auctorem summo labore ac studio ex diuturna Ecclesiasticorum Profanorumque scriptorum lectione omnia pene collegisse, quæ ad Antiquitates veteris Ecclesiæ, etsi id non raro pro partium studio, illustrandas conducere posse viderentur.

XXIII. Illud itaque unum iis, qui nostris sacris, institutisque sunt addicti in *Binghavo* merito displicebat, quod multa ab eo admitti vel refelli viderent, quæ cum Catholicorum Doctrina, sive cum veritate ipsa pugnant. Desiderari igitur a sapientioribus in Romana Ecclesia cæptum est, ut quemadmodum *Centuriatoribus Magdeburghensibus* Ecclesiasticam Historiam pessumdantibus, quasi e cælo missus opportune oppositus est immortalis *Baronius*, qui *Annales Ecclesiasticos* scribens, non solum cuique quodammodo, si non grandioribus, paribus saltem gradibus eo in itinere senticoso secum incedere spem ademit, sed de Religionis quoque hostibus gloriose triumphavit: ita quoque præsto esset ex nostris, qui majore melioreque rerum apparatu Origines Antiquitatesque Christianas conscribens, armamentarium nobis instrueret adversus hostes, atque ad recte ediscendos majorum nostrorum mores, ritus, & disciplinam manduceret. Adfuit tandem *Cl. Frater Thomas Maria Mamachi* ex Ordine Prædicatorum, Theologus Catanatensis, Græcus vir, omnigena Ecclesiastica eruditione præditus. Hic non solum nostro-

strorum, sed eorum quoque scriptorum, qui aut Lutheranis, aut Calvinianis, aut Anglicanis partibus studerent, Libros quum incredibili diligentia pervolvisset, cognovissetque, magnam rerum earum partem, quæ iis continerentur, non ut veritas, sed ut eorum decreta poscerent, explicari; eo ipsum minus pœnituit instituti sui, quo videret, ipsi & veritatis tuendæ, & novitatis refellendæ facultatem datam (39). Quapropter alacri animo cum diu multumque secum cogitasset, accessit ad eam opinionem, ut quamvis secus nonnulli statuerent, ad omnia tamen, quæ veterum Christianorum fuissent, colligenda plus viginti Libris opus non esse arbitraretur . . . Intelligebat autem fuisse aliquos, qui in hoc genere versati fuerint, quorum ipse, quamvis non fuerit ordinem, methodumque scribendi sequutus, non eo tamen deserendos putavit, quod illos negligeret; sed quo suam ad id quod erat propositum, rationem potiore esse indicaret. Si quæ enim res est, ordo est scilicet, in quo servandæ suo cuique iudicio sit utendum (40). Itaque vix septem annorum spatio quinque voluminibus ad alteram usque Partem Libri IV. pervenit; in quorum primo Libro de nominibus Christianorum, deque ab Ethnicis in eos excogitatis calumniis; in altero de origine, & Propagatione Christianæ Religionis; in tertio de moribus veterum Christianorum; & in quarto de Primordiis, & veteri statu, ac ratione Hierarchiæ Ecclesiasticæ abunde actum est, atque inde majora melioraque brevi expectanda a tam felici Scriptore videbantur. Sed jam

Tom. I.

c

vi-

(39) In Præf. Vol. I.

(40) Ibidem.



viceſimus annus eſt, ex quo fruſtra quod ſuper eſt ex Libro quarto, atque reliquos XVI. Libros expectamus, quum multa ſexti voluminis folia ſint etiam jam prælo expreſſa. Dolet ſane, & dolet quam maxime, virum tantum, a quo hac tempeſtate tam egregium opus ſumma cum Chriſtiani nominis gloria inchoatum vidimus, aliis elucubrandis operibus, doctis ſane, at non æque utilibus, & neceſſariis diſtentum, ſuſcepti itineris initio ſubſtitiffe. Dolet quoque, neminem adhuc ex potentioribus exſtitiffe, qui ſubtractis illi e tabula alterius argumenti operibus, humanitate ſimul & auctoritate ad penſum abſolvendum coegerit.

XXIV. Brevem hunc, & veluti contractum Univerſæ Eccleſiaſticæ Antiquitatis proſpectum oculis Legentium ſubjicere neceſſarium duximus, ut facilius intelligatur, quo in lumine Chriſtianæ Antiquitates erant, dum ad illarum Inſtitutiones elucubrandas animum adiunxit; ac proinde quosnam ſibi fontes adeundos, & quonam improbo labore, ſtudioque diligenti metam ſibi evitandam propoſuerit *Selvagius*. Bina proſecto in ejus vita diſtinguenda ſunt tempora. Primum illud fuit, quo Sacerdos initiatus, Scholiſque Archiepiſcopi egreſſus An. MDCCLII. in pervolutandis diuque noctuque *Baronii* Annalibus, *Hiſtoria Natalis ab Alexandro*, *Commentariis Chriſtiani Lupi* in Canones, *Cardinalis Bonæ* Liturgicis operibus, *Originibus Eccleſiaſticis Binghami*, aliisque nonnullis ejuſdem argumenti Scriptoris ſeptennio circiter inſudavit. Nullum tunc prætereire ſivit tempus ab injunctis ſibi Literariis curis liberum, quod in perſcrutandis horum ſcriptis, atque ex iis ſedulo in Adverſaria ſua referendo non inſum-

sumserit. Vidit sane *Binghamum* Antiquitates Ecclesiasticas, & diligentius præ cæteris collegisse, & enucleasse clarius; verum illum, ut diximus, non semper veritati litasse, atque adeo in multis studio partium transversum actum fuisse animadvertit: qua de causa nostri, præsertim imperiti, tale opus legere merito vetabantur. Dein multa, etsi bona, nimis tamen prolixè ab illo fuisse explanata, veterumque testimoniis sæpe sat plurimis confirmata, quod in causa erat, ut multi ab ejus lectione absterrentur. Hoc *Julium* ita sensit, ipsemet testatur: *Ad Binghamum*, ait, quod attinet, præterquam quod plurima in ejus opere hæretica, utpote ab hæretico homine profecta, offendere est; illud etiam accedit, undeno (41) esse volumine compactum. Adhæc nimia caritate minime vulgare vix nostratibus maxime adolescentulis obvium esse (42). Quapropter omnium bono, & juvenum præsertim, optime consultum putavit, si præsto esset, qui *Origines* illas in compendium prudenter redigeret, ubi abundarent, atque sublato veneno falsorum dogmatum sapienter vera propinaret. Tali namque viatico lenticozum Theologiæ, Liturgiæ, Canonique Juris curriculum harum disciplinarum auditoribus facilius lætiusque esse futurum. Ut hoc itaque consilium ipsi primum in mentem venit; ita illud perficere, si potis esset, tentare decrevit. Quod ex ejus narratione patet abun-

c 2

de

---

(41) *Dissertationes Binghami*, quæ decimo volumine continentur, *Originum Christianorum* partem sane non constituunt, sed illis extra ordinem addi solent.

(42) In Anteloquio Volum. I. §. XI.

de (43). Illud heic silentio prætervehi abs re fuerit, id nobis propositum olim fuisse, ubi primum ad ejusmodi illustrandas ( Ecclesiasticas Antiquitates ), & adolescentium usibus addicendas animum adjunximus: Binghami scilicet opus, qua parte in aliena a sacrosanctis Ecclesie Catholice sanctionibus, & a Tyronum commodis excreverat, ac discesserat, retexere, ac veluti undequaque recidere, atque ad severiorem Catholicorum Regulam exigere, quo nostrorum commodis cautum consultumque iretur.

XXV. Jam multum processerat in Binghamo contrahendo Julius, Nonumquæ ejusdem Originum Volumen ad manus erat, quum An. MDCCLX. ( scilicet undecimo post Voluminis Mamachiani prioris editionem ) primum ab Amico commodata, deinde empta ab ipso fuere quinque Cl. Thomæ Mariæ Mamachii volumina de Originibus, & Antiquitatibus Christianis. En alterum in hoc studio, novumque laborum tempus. Sensit tunc Selvagijs, Mamachio in arenam adversus Binghamum descendente, partem illam Binghami refellendi abjiciendam prorsus sibi esse. Summopere præterea placuit Julio, Mamachium doctæ solideque in Originum suarum Libro II. de Origine, & Propagatione Christiane Religionis, & de Persecutionibus, quibus Catholica Ecclesia quatuor primis seculis vexata ab Ethnicis est ( quod Ecclesiastico Antiquario in antecessum noscere pernecessarium est ) pertractavisse. Cum eodem namque Auctore (44) probare illorum sententiam non poterat,  
qui

(43) Ibidem §. XIII.

(44) Cl. Mamachius in cit. Præf. Vol. I. p. 22.

qui missis Originibus, Progressibusque Religio-  
nis, de forma Christianæ Civitatis agendum sibi  
esse judicarent. Quapropter ad hunc Librum  
perstringendum, eique nonnulla breviter ad-  
denda De Propagatione Religionis Christianæ  
in illa Italiae parte, quæ Regnum Apuliæ, po-  
stmodum Sicilia Prima, & Citerior, vel Re-  
gnum Neapolitanum est appellata, me impel-  
lente, operamque præstante, libenter accessit.  
Diu reliqua Mamachii volumina cum Erudi-  
tis omnibus idem enixe desiderantibus expe-  
ctavit Selvagius, multa inde sibi seligenda  
sperans. At ( ut ipsemet testatur ) ille ( nem-  
pe Mamachus ) viginti hac de re pollicitus,  
quinque satis grandibus evulgatis voluminibus  
( quæ sunt plerumque optimorum librorum fa-  
ta ) vix quartum attigit Librum. Credo, quod  
gravioribus curis distentus, spem edendorum  
aliorum prorsus abjecerit: maxime quum ab  
postremi evulgati voluminis editione jam ferme  
viginti ( melius tunc septendecim ) annorum  
spatium interceptum satis constet (45).

XXVI. Hinc quum regendæ Juris Civilis  
& Canonici Cathedræ in Neapolitano Archie-  
piscopio, ut dictum est, sedulo vacaret, post  
iterum evulgatas Canonum Institutiones, re-  
lictæ consilio de Binghami Compendio elucu-  
brando, quia & plurima de suo addiderat,  
aliæque via incedere constituerat, ad ordina-  
das edendasque eadem fere Institutionum Ca-  
nonicarum methodo Antiquitates Christianas  
manum admovit. Qua in re, quamvis non-  
nulla ex Binghami, Mamachii, aliorumque  
penû, tamquam in medio posita, in suum

traduxerit, multa tamen addidit e fundo suo, aliqua refutavit, atque omnia ordine Institutionum apte digessit; quod ita ipse fatetur ingenue (46): *Et secus ut fieri solet, procedente studiorum nostrorum ratione, res tulit. Eo enim sensim delati visi sumus, ut diversa a Binghamo vestigia persequentes, hoc quidquid est Christianarum Antiquitatum ἀσπὴν condederimus: quo fortasse quædam ab eo, sicubi usus venit, illata sunt, ut tamen nobis summos labores, ac diuturnum super hac re studium minime condonaverimus.* Hujusce igitur operis sui prospectum, ejusque summa capita his verbis enarrat Julius (47): *Quin sex voluminum (48.) mole operatum prodiret, vis aliter fieri potuit. Ejusmodi enim, Institutionum instar, quatuor in Libros tribuere placuit. Quorum primo ( præmissis quasi Prodromi loco, quod reapse faciendum erat, de Evangelii per orbem universum propagatione, & de Persecutionibus, quas per quatuor priora sæcula Ecclesia passa est, ut Mamachus fecerat ) agemus de Christianis generatim, ac in specie de Clericis, Fidelibus laicis & Catechumenis. Secundo de Ecclesiis, Liturgiis, Jejuniis, ceteroque cultu Deo, Sanctisque exhibendo. Tertio de Ritibus in Sacramentorum administratione olim ab Ecclesia adhibitis. Quarto demum de veteri Ecclesiastica disciplina in coercendis graviorum criminum reis. Porro ex prioribus duobus Libris quisque duobus voluminibus concludetur; cetera, quæ supersunt volumina,*

(46) Ibidem §. XIII.

(47) Ibidem §. XIV.

na, tertium, & quartum Librum complectentur.

XXVII. Anno igitur MDCCLXXII. ( scilicet post XX. circiter annos laboris assidui in hoc opere perficiendo horis subcisivis exantlati ) priorem Partem Libri primi, sive Volumen primum *Institutionum Antiquitatum Christianarum* vulgavit *Julius*, quas utique Institutiones Viro amplissimo & doctissimo *Ildephonso Clementi de Arostequi*, *Caroli III. Regis Catholici*, ab arcanis Regni Consiliis, & Tribunalis *Cruciatae Hispanæ Monarchiæ* supremo Præsidi, utpote hujus Operis edendi exstimulatori acerrimo ( quem Matrivi defunctum non sine luctu accepimus ) dicatas voluit. Hinc qua erat Auctor humilitate præditus, inter cætera in Anteloquio ( 48 ) de merito operis sui fassus est sincere: *Nequaquam doctis, ac veluti metam adeptis, quam Tyronibus, ac vixdum carcere egressis scribimus; nec Antiquitates quascunque simul collectas, sed striclim, ac Institutionum methodo comprehensas Juvenibus nostris, quorum unice studemus commodo, exhibemus.... Ut qui non laudi inani captandæ, sed publicæ utilitati fovendæ scribimus.*

XXVIII. Verum longe nobiliter de hisce Antiquitatum Christianarum Institutionibus sensere Eruditi omnes. *Josephus Simiolius*, Canonicus Neapolitanus, Cenforque operis, ( quem jam antea laudavimus ), in sua censura ( 49 ) ait: *In iis ( Antiquitatis Institutionibus ) evoluta,*

( 48 ) In cit. Anteloquio §. XI.

( 49 ) In dicta Censura data XVIII. Kalend. Majas MDCCLXXII.

luta, disclusa, educa vidi semina, quæ Clarissimus Auctor in suis Institutionibus Canonicis jecerat. Et Josephus Rossius (cujus superius cum laude meminimus) Censor Ecclesiasticus, doctrinam eruditionemque Auctoris in Canonibus explicandis, nec non facilitatem elegantiamque scribendi, docendique perspicuitatem, quæ Selvagii peculiare erant doctes, ita meritis laudibus ornat (50): De Legibus, Institutis, ac Moribus Ecclesiæ veteris Præclarus Auctor ita disserit, ut nihil omittat, quod ad operis propemodum immensi perfectionem requiratur . . . . novi aliquid passim adspersit, & rem gravissimam explicat mirabili facilitate, singulari etiam elegantia, & perspicuitate. Idem plane judicium de hoc opere tulerunt docti Scriptores Ephemeridum Rei Litterariæ Florentinarum (51), quorum non verba, sed sententiam hic damus: „ Quod ad  
 „ illustrandas civiles Institutiones jam præsti-  
 „ terat duobus suis voluminibus Antiquitatum  
 „ Romanarum Heineccius, hoc idem modo Ju-  
 „ lius Selvagus Antiquitatibus Christianis ad  
 „ passim declarandas suas Canonicas Institu-  
 „ tiones perfecit. Is primus dici potest ad hunc  
 „ diem existisse, qui propositum adeo laude  
 „ dignum conjungendi Historiam Eruditio-  
 „ nemque Ecclesiasticam cum Canonibus De-  
 „ cretitque Ecclesiæ absolverit. Quare hoc  
 „ opus iis præstat dotibus, quæ haud facile  
 „ in hujusmodi lucubrationibus reperiri pos-  
 „ sunt; nam primo doctrinam continet pro-  
 „ ba-

(50) Item in Censura data die XI. Jan. eodem anno.

(51) Hoc Clariss. Viri Judicium de Julii Opere dede-  
 runt Fol. XLI. col. 648. seqq. A. D. IX. Octob.  
 MDCCLXXII.

batam, selectam, atque hinc inde nova eruditione ornatam; & dein ( quod raro accidit ) quadam facilitate, & simul elegantia, ac perspicuitate est præditum“. Amica hæc Canonum Christianarumque Antiquitum conjunctio quanti facienda sit, exemplo suo demonstravit Celeberrimus Ecclesiasticæ Restitutor Disciplinæ S. Cardinalis *Carolus Borromeus*, qui adhuc juvenis in ordinandis Canonicis studiis voluit, una cum moribus, actisque Majorum, Christianæ Ecclesiæ Canones conjungere, ut Scriptor ejus vitæ enarrat ( 52 ): *Canonum ea scientia præjudicanda erat, quæ Patrum mores, & Acta representans, Ecclesiæ componendæ, atque ordinandæ rationem continet; dolens eos communi consuetudine tantum Canones ad interpretandum seligi, qui ad lites, judiciumque valent.*

XXXIX. Non adhuc primum volumen legere desieramus, quum eodem anno paucis post mensibus volumen alterum, sive altera Libri Primi pars, in qua tum *de Clericis secundi Ordinis, eorumque Electionibus, Exemptionibus, Reditibus, & Moribus*; tum *de Monachis, Virginibus, aliisque Fidelibus, & Catechumenis* disseritur, pene jam prorsus edita vacuos Lectores præstolabatur. At non datum est *Julio* nostro post tam sollicitos labores illam evulgare; mense enim Novembri illius anni, ipse, ut mox narrabimus, obiit. Desperatum visum est cunctis desiderium legendi reliqua, quæ supererant volumina, atque hæc diu expetitas Institutiones præ ma-

---

( 52 ) *Carolus a Basilica Petri in Vita S. Caroli Borromei* &c. Lib. VII. Cap. XI. num. XLIV.



nibus habere numeris omnibus absolutas. Verum ab ejus Patruo, Sacerdote probatissimo *Maximo*, & amantissimo Fratre *Michaele* ego, utpote *Julio* veteri amicitia conjunctissimus, sum advocatus, ut scripta omnia in ejus foliis latentia diligenter excuterem, atque animadverterem sedulo, num omnia essent ita in antecessum ab eo parata, ut integrum opus edi posse videretur. Mihimet eo in negotio, & amicis non defui. Collegi scripta omnia, quæ unicæ argumentum spectabant *Antiquitatum Christianarum*, eaque in partes digessi ab Auctore jam ante constitutas. Ex diligenti hac inquisitione tum opus pene absolutum, tum pauca tantummodo deesse compertum mihi est. Hinc reliquum operis brevi edendum censeui, uti defuncti amici fides liberaretur; & pauca illa veterum testimonia, quæ deerant, suis locis apte supplere statui. *Julio* namque in edendis operibus sollempnis mos fuit, jam primum a se scripta secundis veluti curis inter operas typographicas perficere. Datum est mihi a *Michaele* Fratre id curare; & sedulo curavi. Hinc factum est, ut duorum vix annorum curriculo quatuor volumina expolita, edita, & vulgata sint; atque ita integrum opus anno *MDCCLXXIV.* fuerit, etiam defuncto Auctore, absolutum; quod hac de causa dici majore ex parte *posthumum* potest. Post hæc omnia, demum dici nonnulla deberent de paucis quibusdam dissertationibus, diatribis, aliisque opusculis vel inchoatis, vel jam perfectis, quæ inædita *Selvagius* reliquit. At quodnam erit illorum factum, divinare quum modo non possim, de illis verba facere supersedeo. Illud tantum addendum puto, quod mecum Eruditi sentient omnes, *Julium* tunc maximæ Reipublicæ Li-

terariæ ereptum, quum ætatis anno XLIV. præcoci subactoque ingenio majora melioraque proferre opera spondebat.

XXX. Huc usque de literario vivendi genere *Julii* nostri, deque scriptis ejus multa enarravimus; pauca nunc de moribus, præsertim de pietate illius, præstat breviter adnotare. Minuta fortasse, & levia videbuntur nonnullis, quæ hoc in negotio erimus de eo dicturi. Quidam namque assueti magna, tantumque sonantia virorum summis Magistratibus, Militarive virtute illustrium, audire & prædicare facta, privatorum hominum res domi prudenter fortiterque gestas flocci faciunt. Verum norunt sapientiores, in humiliore quoque vivendi genere multiplices semper humano animo patuisse vias egregia edendi facinora, virtutesque colendi, quæ quamvis in privato vitæ statu omnium oculos luce sua minime perstringant, sunt tamen hujusmodi, ut ex iis licet minutis, licet pro conditione rerum celebritatem nominis non promerentibus, ingenia tamen hominum occulta dignosci possint, num humi repant misere, vel feliciter assurgant. A pueritia igitur quicquid temporis a schola, aliisque domesticis exercitiis supererat, ut plurimum vel sacro interveniens matutinis horis, vel postmeridianis præsanctificatam Eucharistiam adorans in *Paræciali Templo S. Mariæ in Kosmedin* modestus & humilis impendebat. Incredibile namque dictu est, ut antea monuimus, quanta caritate in omni vita hanc sacram Ædem, in qua Jesu Christi sanguine ablutus ad novam veramque vitam est renatus, semper fuerit prosequutus; quantaque honesta animi contentione illius jura, commoda, & ornamenta curaverit. Non semel de salebrosa quadam discepta-

tione, quam pro Curionibus illius loci sapienter *Ferdinandus IV.* Rex noster Augustissimus Rescripto definivit, mecum ferventius quam de domesticis rebus loquentem audivi; innoquaddam vice, dum apud virum summum unapranderemus, memini, adeo in jurium factorumquæ sacræ Parœcialis Ædis narratione excauduisse, ut cibi potusque oblitus monendus a me fuerit amice, ut manducaret tandem & quiesceret. Clero addictus, donec Sacerdotio non fuit initiatus, quolibet festo die primo mane Sacram domum de more adibat *Presbyterorum Evangelicæ Missionis, Congregationis S. Vincentii a Paulo*, ubi omnes simul Neapolitani Clerici Sacramento Pœnitentiæ detergi spiritu, atque illo *Eucharistiæ* animo refecti, sacrificio sollempni celebrando vel inserviunt, vel adsunt, ut ita sensim in sacra *Liturgia* ministrare addiscant. Illinc *Julius*, ut scholastica negotia expectebant, vel ministerio Parœciæ suæ præsto erat, vel studiis domi vacabat. Post prandium vero ad pueros pro cuiusque ætatis captu breviter dilucideque Christi doctrina imbuendos, ut mos est, sedulus incumbibat; dein maximum invisebat sæpe Infirmorum Hospitium, ubi cum aliquot optime moratis sociis verbo, & opere ægros levabat: adscriptus namque erat *Sodalitio S. Mariæ omnium Sanctorum*, cui curæ est humanissimæ infirmis misericordiæ opera præstare. Hæc & alia, sæpe non lævia, alacri animo peragebat *Julius*. Quod si cui admirationem afferat, quomodo sanitate parum firmapotuerit ipse tanto nisu & studiis, & pietati vacare, ut diurnis muneribus suis defuerit nunquam: sciat is quæso, victus frugalitate, divisione horarum prudenti, constantique vivendi ratione id brevi effecisse, quod aliidiutur-

turno vix tempore aggrediuntur; nam raro cum oriens Sol in lecto dormientem, & raro deambulantiem extra domum tenebrae ingruentes deprehenderunt. Immo si aliquando cum amicis in via colloquentem serus occupasset vesper, ipse subridens agebat: *Aquæductus diffuunt, domum redeamus amici; & statim valedictio abibat.*

XXXI. Sacerdos factus *Selvagius* in dilectissima Parocchia sua *Sanctæ Mariæ in Kosmedin* sacrificium quotidie offerebat, non diuturnitate piis etiam adstantibus quandoque importuna protractum, sed intentione animi, cordis ardore, modestiaque corporis Deo & hominibus gratum. Quod si negotia Ecclesiastica exoptulassent, ut in Cathedrali aliquando moraretur, vel ibi sacris operabatur, vel in proximum *Sancti Philippi Neri* templum celebraturus divertebat. Hoc sane accidit antequam Pontificio diplomate ornatus domi Oratorium haberet: nam postquam privilegio datum est in privatis familiæ suæ ædibus rite Aram Deo statuere, quam in cubiculo ab omni domestico usu, ut decet, libero magnifice paravit, ad eam plurimum pietate, atque reverentia summa sacrificaturus accessit, ut quotquot casu adstiterent, ingenue testantur. Immo plus vice simplici fratris filios, cæterosque familiares, ut in Oratorii cubiculum ingredientibus ad pietatem se componerent, hisce verbis ex animi sententia hortabatur: *Hic domus Dei est: hic quotidie habemus Deum nostrum appropinquantem nobis: tenete linguam, & corde orate.* Quamvis in studia sese abdidisset *Julius*, non tamen a prædicatione divini verbi, atque ab excipiendis Fidelium confessionibus prorius abstinuit: quippe qui ad sacras missiones, ut  
ajunt,

ajunt, bis cum sociis perrexerit urbe procul patria. In quarum altera ardentissimo, quo æstuabat, loca sancta invisendi desiderio, non nihil satisfecit. Nam ex *Altomuro* in *Peucetia Barium* divertens, sepulcra celebravit *S. Sabini Canusini* Episcopi, Principis Patroni Primatialis Provinciæ Ecclesiæ Bariensis; & *S. Nicolai* Archiepiscopi *Myrensis*, Principis Patroni Provinciæ Terræ Bari: ut & sacram Cryptam est veneratus *S. Michaelis* Archangeli in Monte Gargano.

XXXII. Dixi *Julium* nostrum maximopere optasse, ut inviseret loca sancta. Constat enim ex eo tempore, cum *Institutionibus Antiquitatum Christianarum* conscribendis insudare cœpit, inter fines, quorum causâ adlaborandum sibi intelligebat, & illum fuisse propositum, scilicet iter olim instituendû, ut ejusmodi loca præfens veneraretur, ea potissimum pecunia, quam ex divenditis illius operis exemplaribus colligere potuisset. Præstat hoc ipsum ab eo audire, qui quibusdam foliis, quæ in ejus forulis servantur, hanc animi sui sententiam his prope verbis vernaculo sermone adliniverat: *In hoc opere Antiquitatum Christianarum auxilio Dei perficiendo fines, quos præ oculis proposui mihi, duo sunt: Primum Gloria Dei nostri sincera; Alterum desiderium excitandi inter fideles, & præsertim in Clero spiritum Ecclesiæ Christi Primigeniæ. Postquam autem hoc opus perfecero, pecunia inde comparata statui in corde meo invisere loca sancta, vel saltem sacram domum Lauretanam, ubi, ut pie creditur, Verbum Caro factum est, & hinc sepulcra Apostolorum Petri & Pauli, & Catacumbas Martyrum Romæ sitas. Hoc enise desidero; & si adhuc hoc propositum non impleverim, in causa fuit observantia divini præ-*

præcepti; *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam*. Et profecto verbis prosequi haud facile est, quanta reverentia, quanta caritate, quantaque observantia Majoribus suis, & præcipue Parentibus obtemperaverit *Julius*, ut nihil pene sine eorum vel mandato, vel consilio aggrediretur, atque multa facere prætermitteret non alia de causa, nisi quia fortasse illis non placerent. Quoties rusticatum abibat, sine eorum benedictione iter ipsi arripere nefas. Immo discedens sæpe Amicos, ut pro se Genitores inviserent, orabat; & postrema hac vice, postquam sane paternam non amplius domum revisit, a Cathedra descendente convenit, ibique, nescio qua animi prævidentia, oravit obsecravitque, ut Matrem ita levarem verbis, ut ex absentia sua non mœreret; suumque Fratrem *Michaelem* sibi carissimum admonerem, ne Filios suos, & præ ceteris *Casparem* Primogenitum, severe nimis objurgaret in iis, quæ mores non spectant, prædicens illos adhuc esse pueros bona indole, ingenioque perspicaci præditos. Patris mortem sensit acerbissime, sed patienter sustinuit, tum quia, ut Christianum decet, illius honestate pietateque solabatur quammaxime; tum etiam quia cohibere seipsum opportunum ducebat, ne lacrymis suis Viduæ Matris vulnus recrudesceret.

XXXIII. Quamvis autem Patrem revereretur, coleret Matrem, & utriusque obsequentissimus fuerit semper *Julius*; præ ceteris tamen domesticis majoribus *Maximum* Patrum suum, Sacerdotem utique pium, prudentem, doctum, Genitoribus id annuentibus, Parentis dilectissimi loco semper habuit. Par namque Ecclesiasticæ vitæ ratio, quam uterque sequebatur, eadem domus, & in eadem domo proxima utriusque cubicula, eadem mensa,

sa, atque vix intermissa confabulatio, ipsa denique consanguinitas faciebant, ut *Maximus Julium* Nepotem pro filio, pro Patre & Rectore *Maximum* Patrum *Julius* haberet. Hinc domum rediens Patruo suo diurnæ vitæ rationem quotidie reddebat exactam. Dein cum eo alternatim *Psalmodiam Liturgicam in Canonicas Horas*, sive *statuta Deum pro Populo precandi tempora*, distributam de more pie distincteque recitabat: cum eo spiritu & voce orabat; *Theologie Morum* particulam aliquam singulis prope diebus, facili quidem methodo, propositis nempe definitionibus vocum, & principiis metaphysicis loco Axiomatum referatis, per casus peculiare illo interrogante percurrebat: quæ demum proximo die erant peragenda, exponere breviter, & ex ejus consilio, vel omittebat catus, vel diligenter executioni mandabat. Nihil certe magni momenti, donec vixit, licet quadragesimo anno major, fecit *Julius*, quod ad Patruum voluntatem, sanctosque mores ad amissim non conformaverit. Quo factum est, ut ambo paribus prope virtutibus adeo floruerint, ut qui unum ornasset, alterum laudasse videatur (53).

XXXIV.

(53) Sub Imagine hujus pii utique, docti, ac fidelium salutis apprimè dicatissimi Viri hæc nostra apposita est Inscripcio, qua ejus Elogium comprehenditur.

MAXIMUS. SELVAGIUS. SACERDOS. NEAPOLITANVS. QVO. VIRTVTVM. THESAVRO. DI-  
TIOR. EO FAMAÆ. FVGA. CAVTIOR. DVM  
EX. OBEDIENTIA. PRAESES. MANIPVLI. OPE-  
RARIORVM. SODALITII. S. MARIAE. PVRI-  
TIS. CHRISTI. VINEAM. VBIQVE. EXCOLEN-  
TIVM. IN. TVRRI. OCTAVA. SACRO. VACA-  
BAT. MINISTERIO. VT. DEO. CVI. VNICE  
SERVIFRAT. CITIVS. CONIVNGERETVR. RE-  
PENTINO. ALIIS. SIBI. ANTE. PRAEVISSO. COR-  
REPTUS. MORBO. APOSTOLICOS. INTER. LA-  
BORES. OBIIT. HORA. VII. NOCTIS. PRID-  
NON. FEBR. CIOCCCLXXIII.  
NATVS. III. KAL. SEPT. CIOCCXI. VIXIT  
ANNOS. LXII. MENS. V. DIES. IIII.

XXXIV. Profecto quicumque *Julium* probe noverunt, fatentur omnes, eum Christiana Philosophia, non umbratili illa quidem & verbosa, sed factis integroque vitæ cursu comprobata præstitisse. Arduis in rebus æquam semper mentem servavit; & quoties adversa imminebant, componebat se, ut ait Poeta (54), teres & rotundus ad omnia. Humanitate ita omnes prosequabatur, ut impiger visus sit sæpe commoda sua prætermittere, ut omnibus juvandis præsto esset; quod præsertim in Librorum edendorum censura expedienda manifesto apparuit; qua in re horas somno, opportunæque relaxationi auferebat, ne diu alios longa expectatione detineret. In amicis fide, sinceritateque sancta colendis fuit adeo constans, ut æmulos sæpe suos vicerit obsequio, sibi que adjunxerit perpetuo constantem ob amicitiam. In egenis, miserisque levandis fuit semper paratissimus, multisque secreto est opitulatus tum pecunia, tum consilio. Providus tandem rerum suarum curator, parabat antea diligenter, quæ mox futura erant necessaria. His aliisque virtutibus quum apud omnes inclaruisset *Julius*, mirum est, quantum finitimis præsertim Ecclesiis profuerit. Hinc *Andreas Torre* vigilantissimus Minorensis Episcopus, *Franciscus Antonius Ruocco*, Insulæ Caprearum Præsul, *Alphonsus Ligorius*, Novæ Congregationis divini Redemptoris Institutor prudens, & pius doctusque Episcopus S. Agathæ Gothorum, plurimis sacra eruditione redundantibus, atque animorum saluti apprime utilibus editis  
ope-

(54) Hort. Lib. II. Satir. VII. ver. 86.



operibus merito, & contra votum suum, in Literarum Republica, & in Dei Ecclesia celeberrimus; aliique Antistites, in examine Clericorum, & in reliquis Ecclesiarum negotiis *Selvagium* tanquam Consiliarum, & quasi laborum suorum socium vel literis interpellabant, vel ad se venire amica expositulatione cogebant. Præ ceteris vero *Januarius Albertinus* Episcopus Casertæ, dominicæ causæ Pastor incomparabilis, quem jam extinctum dolemus, nihil in ordinandis Seminarii, universique Cleri studiis, in præfigendis cuique Parociæ Pastoribus, in doctrina populo explicanda, & reliquis Ecclesiæ suæ negotiis expediendis operabatur, quod vel ab absente per literas, vel voce a præsentem *Selvagio* non audisset esse faciendum.

XXXV. Ad hæc quidem finitimarum Ecclesiarum negotia expedienda accersitus ut plurimum *Selvagius* accedebat, quum feriis Bacchanalibus, vel Paschalibus, vel præferim Autumnalibus ab urbanis muneribus vacare legitime poterat. Compago enim ejus corporis, ut diximus, non satis firma, studiorum vi quodammodo labefactata opportunis hisce stans temporibus interpositis vacationibus reficiebatur. Quam quidem tuendæ sanitatis rationem adeo constanter servavit, ut nullum præterire permiserit annum, in quo vel semel, vel etiam bis patria non exierit rusticatum. Quamvis autem & in his rusticationibus literarium viaticum semper secum deduxerit, tempusque legendo, & scriptitando non perfunctorie insumpserit, illa tamen aprici, purgatorisque aeris respiratio, deambulationes, confabulationes, novarumque rerum apparatus animum, corpusque adeo recrea-

creabant, ut renatum Amici *Julium* salutarerent. Quo factum, ut quotquot pagorum, urbiumque vicinarum bene morati homines eum noscerent, & amarent, tot sane vehementer eum deprecarentur, ut ad sua potius, quam ad alia loca, plausibilibus propositis argumentis, rusticatum feriatis temporibus accederet. Hinc ipse, ut bono animo omnibus satisfaceret, aliquando *Amalphiam*, *Scalam*, *Ravellum*, & *Minurum*; aliquando *Capreas*, *Massam Lubrensem*, *Surrentum*, *Vicum Æquensem Stabiasque*; aliquando ad *Turrim Octavam* sive *Turrim Græci* inter *Herculanum* & *Pompejos*; sæpius *Casertam*, ubi Augustum Regis Nostri exsurgit Prætorium, contendebat; nec semel quoque in Regali *Villa Porticum*, ubi alterum positum est Regium Prætorium, secum eum habuit vir Amplissimus *Ildephonsus Clemens de Arossequi* tunc Hispanus apud Regem Siciliarum Legatus, qui doctis viris libentissime utebatur. Post mortem vero *Januarii Albertini* Episcopi Casertani, cum Episcopo *Sanctæ Agathæ Gothorum Alphonso Ligorio* in amœno *Arentii* oppido autumnalibus diebus sanctissime genio indulgebat; in qua quidem rusticatione tandem obiit.

XXXVI. Postquam enim Mense Septembri Anni MDCCLXXII. a docendi munere liber fuit, compositis de more domesticis rebus, atque *Institutionum Antiquitatum Christianarum* altero Volumine absoluto, & in publicum prodire jussu, *Arentium* se contulit. Fuit ibi ad usque IX. Kal. Novem. quo die, quum jam reditum in patriam cogitaret, ut antequam discederet, valediceret Amicis, & præsertim *Mario Abenanti*, Viro nobili, humanissimo, & liberali, quicum ei antiqua interce-

de.

debat necessitudo, *Matalaunum* (55) perrexit, rhedam regente Canonico *Arentii* amicissimo, & aurigationis fortasse non imperito. Verum vix Oppidum tenebant, quum Canonicus, ut  
 plau-

(55) *Matalaunum*, Castrum Campania medio ævo non incelebre, in valle unius ex *Tifatis* Montibus in Diœcesi Casertana positum, sane populosum, opulentum, atque ædibus tum sacris, cum profanis, elegantibus, amœnisque hortis conspicuum, Ann. MDCCXXXV. jure & titulo Civitatis fuit donatum a *Carolo Borbonio* Siciliarum Rege Augustissimo, quod ipse eo loci castrametatus deditionem Neapolitanæ Urbis ultro oblatam receperit; uti etiam quod per quam *vallem occultam post Tifata*, ubi Annibal superpetras daturus Capuanis suis a Romano exercitu obsessis Tarento *delectis peditum, equitumque, quam poterat apri-  
 smis ad naturandum iter, atque tribus & triginta Ele-  
 phantibus veniens sedes*, ut ex *Livii* Lib. XXVI. egregie firmat *Peregrinus* Camp. Felicis Dissert. II. Num. XXV H.; per eandem ipse *Carolus* Rex in expeditionem reliquæ Siciliæ Cistretanæ, & Transfretanæ victorem exercitum transduxit. Profecto placeret incolis, originum suarum non incuriosis a scriptoribus probari Castrum suum cum Civitate *Calatia* Cis-Vulturina jam excisa, eique propinqua, de antiquitate, ut ait *Pratillus* Viæ Appiæ illustratæ Lib. III. Cap. V.; quasi *Calatini* pro munimine Urbis in Monte *Tifata* Turrim, Castrumque *Matalauni* ædificarint. Ut hæc originatio nullo antiquo monumento restante mihi non arridet; ita nec arridet illa ejusdem *Pratilli*, qua credit fortasse Arcem ibi a Saracenis fuisse extructam, qui hac de causa illam *Magdalonum* dixerunt, quia *Magdal* vox ab Oriente petita *Turrim* significat. At quotusquisque est, qui Saracenos unquam ibi consedis-  
 scribat? Firma mihi stat sententia, *Matalaunum* Coloniam fuisse præpotentium in Italia Langobardorum, qui Castrum illud ædificarunt ad continendos in obedientia Campanos. Ipsemet *Pratillus* quidem fatetur Turrim cacumini montis *Matalauno* imminentis impostam, structuram esse Langobardicam; immo *Matalaunum* ipsum a priore sobole Langobardorum Principum Capuæ fuisse ædificatum. Erit fortasse qui mirabitur, Castrum hoc a nonnullis dictum *Matalonum*, vel *Magdalonum*, vel pro ingenio *Metam-Leonis*, a me dici *Matalaunum*. Verum mirari desinent quicumque nomen loci a Langobarda gente extructi, nonnisi a lingua Langobarda, sive Germana esse deducendum, præferim quum *Magdalonum*, vel *Metalonum* nullam præbeat signi-  
 fica-

plaustrum vitaret diligenter, supine violenter-  
 que in saxum prægrande rotam sinistram im-  
 pegit; quo factum, ut rheda dextrorsum ruen-  
 te *Julius* infeliciter dextrum latus terræ illi-  
 deret. Ex illo casu inopino ejus corpus non  
 mediocriter contusum, atque os femoris, quod  
 ἰσχίον dicunt Medici, est luxatum. Illico  
 domum curru suo infirmum traduxit *Abenan-*  
*tes*, advocatoque peritissimo Chirurgo fecit,  
 ut ossa luxata, diligenter medica manu tra-  
 ctata, priorem tenerent locum. Ut autem ea-  
 dem ossa ita recomposita, & paulatim con-  
 glutinata firmarentur, jussit Chirurgus, per  
 aliquot dies supinum in lecto jacere *Julium*,  
 dextero femore tabellis constricto, atque ne  
 contraheretur, lapidis ex pede suspensi gra-  
 vitate distento. Fortasse id mali ita curandum  
 erat ex artis peritia, ut ossa recte suo loco  
 starent: at dum probe ossa curantur, corporis  
 ma-

---

ficationem. Itaque *Metalaunum* ex duplici Germanica, &  
 hinc Langobardica voce dictum censeo, scilicet *MATA*,  
 & *LAUN*. *Mata* namque significat agrum paludosum, silvo-  
 sum, nemorosum in valle positum, ut medii ævi prolatis  
 textibus in suo Glossar. Med. & Inf. Latin. demonstrat  
*Du-Cangius*. In *Charta* namque Pontii Comitis Caporita-  
 ni an. 1063. apud Baluz. ad Capitul. Num. 149. habetur:  
*Donamus pro hereditate paterna, vel materna ipsam fo-*  
*restam, vel ipsam MATAM, quæ dicitur silva S. Romanæ*  
 &c. In *Pancatta* quoque *Abbatia S. Stephani de Vallibus*  
 apud *Xantones Char. II.* legitur: *Videlicet in decimis,*  
*terris, vineis, hominibus, & burgo de Vallibus. . . .*  
*in palude MATIS cum nemore: Et Char. III. in palude,*  
*& MATIS, & pratis.* Vox autem *Laun* significat donum;  
 unde apud Germanos, & inde Langobardos *Launehilde*,  
 vel *Launegils* est donum Reciprocum, seu Pretium quo-  
 dammodo rei donata significat, ut idem *Du-Cangius* te-  
 statur. Quare *Metalaunum* idem est mea sententia, ac  
 agrum palude, silvis, nemore pratisque constans, atque  
 dono datum. Pauca hæc ex dissertatione mea de *Castro*  
*Matalauni Langobardarum Colonia* excerpti, de quibus  
 judicium Eruditis libens lubenique relinquo.

machina interna humorum perturbatione dissolvitur. Humores namque eo corporis situ ad pectus regurgitantes, respirationem, quæ, ut notatum est, facilis ei non erat, reddere difficillimam. Quare quum fractura jam nulla esset, ipseque *Julius* feliciter V. Idus Novemb. surrexisset e lecto, & per cubiculum sano similis deambulasset, sequenti die Sancto *Andree Abellinati* sacro curram expectans, quo Neapolim, ut omnes hortabantur Amici, remearet, hora noctis XI. expergestus cum puero, qui ei præsto erat, Beatæ Virginis Mariæ laudum corollam, quam *Rosarium* dicunt, recitare coepit. Vix decimanquintam precum partem absolverat, quum gravi correptus somno, puerum hortatus, ut quiesceret, obdormivit. Verum tunc ab humoribus pectus ejus obsidentibus oppressus, ut credere par est, placidissime obiit circa horam XII. quum Neapoli advenientes Amici, ut sanum traducerent, mortuum invenerunt. Voluit sane Vir providentissimus *Nicolaus Filomarinus* Episcopus Casertanus, ut Clerus Matalaunienfis ulla sine mercede, grati animi ergo, tanti viri funus deduceret. At *Michael* Frater, licet dolore exsternatus, fecit, ut in Regali Templo Sanctissimæ Virginis ab Angelo Adnunciatæ, locum sepulturæ prope Aram Salvatoris Nostri Cruci adfixi libenter dantibus *Dominicanis Langobardis*, honorifice tumularetur, hoc, me dictante, apposito Titulo (56).

---

(56) Sub ejusdem *Julii* nostri Imagine *Salvator Cavalante*, Vir doctrina, literisque polioribus egregie excultus, atque in primis ingenuo amicitia candore omnibus carissimus hoc, aureo sæculo dignum, inscripsit Epigramma:

CORPORIS. HIC. PARVI. SPECTATUR. IMAGO  
QVOD. OLIM  
INGENTIS. SEDES. EXTITIT. INGENII  
ISTE. BREVI. EST. AVSVS. CVRIS. DISTENTVS  
ET. AEGER.  
QVOD. VACVI. ET. VALIDI. VIX.  
POTVERE. DIV.  
SVSTVLIT. HVNC. IUVENEM. TERRIS. MORS  
INVIDA. CVR. HOC  
AN. SCRIPTA. ENVMERANS. CREDIDIT  
ESSE. SENEM

A. XP. Ω.

QUIETI. AETERNAE  
JVLII. LAVRENTII. SELVAGII

SACERD. PIETATE. LITERISQ. CLARISSIMI  
QVI. IN. NEAPOLITANA. ARCHIEPISCOPALI  
ACADEMIA. CANONICI. CIVILISQVE. IVRIS  
PROFESSOR. EDITIS. IAM. IVRIS. VTRIVSQ  
ELEMENTIS. INCLARVIT. QUIQVE. QVVM  
PVRIORIS. ECCLESIASTICAE. DISCIPLINAE.  
AMANTISSIMVS. ANTIQVITATVM. CHRI  
STIANARVM. INSTITVTIONES. EDERET. ET  
MAIORA. MEDITARETVR. INOPINO. RHE  
DAE. CASV. HIC MATALAVNI. VBI. INNO  
CENTISSIME. RVSTICABATVR. SANCTISSIME  
OBIIT.

PATRES. ORD. PRAED. LOCVM SEPVLTVRAE  
BENEFICENTIA. SVA. DEDERVNT  
MICHAEL. SELVAGIVS. MERITO. DOLENTISS  
FRATRI. B. M. TITVLVM. P

NATVS. III. ID. AVG. CI<sup>D</sup>I<sup>D</sup>CCXXVIII.  
ET. MORTVVS. III. ID. NOV. CI<sup>D</sup>I<sup>D</sup>CCCLXXII.  
VIXIT. ANN. XXXIIII. MENS. III.

A N-



ANTIQUITATUM CHRISTIANARUM  
I N S T I T U T I O N E S  
L I B E R I.

De Christianis generatim, ac in specie de  
Clericis, Laicis, & Catechumenis.



**T**Ria potissimum hominum genera in Ecclesia Christiana Veteres Patres agnovere, nimirum Ἡγούμενος, Πιστός, & Κατηχημένος, *Praefectos, sive Clericos, Fideles, sive Laicos baptizatos, & Catechumenos.* Ad rem Eusebius Demonstr. Evang. Lib. VII. cap. 2. *Tres per singulas Ecclesias ordines. Unus eorum, qui praesunt, duo eorum, qui subiecti sunt: quum Ecclesiae Christi populus in duos ordines sit divisus, in eorum, qui credunt, & eorum, qui nondum ad lavacri regenerationem adsumti sunt.* Haec igitur erit primi hujus Libri comprehensio, & summa. Post pauca quaedam de primævis Christianis, exhibita proæmii loco, agemus 1. de Clericis, deque divino jure statuta Ecclesiastica Hierarchia. 2. De Laicis, eorumque prærogativis, communione, ac vivendi legibus. 3. De Catechumenis, eoque de illorum gradibus, & institutione. Ac præcipue ad Clericos

Tom, I,

A

cos



cos quod attinet, non modo superiores inferioresque eorum ordines, varia munera atque officia, quibus antiqua in Ecclesia functi sunt; verum & sacras eorundem electiones, & ordinationes, privilegia, immunitates, ac reditus diligentius persequemur. Adhæc leges quoque, atque regulas, quas vitæ moribusque Clericorum adamussim regendis temperandisque, cum Sacræ Litteræ, tum veterum Conciliorum Canones præscribere, non leviter attingemus. Faxit Deus, ut optatum ad finem opus hoc perducam, quod eo duntaxat consilio non illibenter adgressus sum, ut veterum Christianorum, ac maxime Clericorum fervore, ac impenso solidarum virtutum studio ob oculos legentium posito, aurei antiquæ Ecclesiæ mores, flagransque fidelium caritas non sine maxima divini cultus accessione reviviscerent.

## C A P U T I.

De Evangelii per orbem universum Propagatione tum in antiquo Fœdere Dei promissionibus, Prophetarumque oraculis, tum in novo Christi Domini vaticiniis prænuntiata.

*§. I. Evangelii per orbem universum Propagatione divinis in antiquo Fœdere pollicitationibus præmonstrata.*

I. **I**llud heic principio omnino constitutum reor, Prophetias in veteri Sacrarum Litterarum codice satis frequentes, vel satius perpetuas, duplicem plerumque efferre sensum, alterum Historicum, Propheticum alterum; quorum tamen primus alterius veluti basis, & fundamentum habeatur. Quam enim  
Pro-

Prophetis familiare sit externo verborum cortice ( quæ verba primo intuitu rem aliquam gerendam exponere videntur ) incomparabilem alicujus arcani magnitudinem involvere ; operam profecto luderet , si quis ea , quæ Prophetæ divino numine correpti adnuntiant , non aliter , quam prout exterius verba præferunt , exponenda esse contenderet . Id autem facile erit deprehendere tum vel maxime , quum Prophetæ a rebus historicis ad altioris ordinis mysteria retexenda de repente transvolant : quod dum agunt , eos exhibent characteres , adeo *ἱμπατικῶς* loquuntur , ac ita rem ipsam exaggerant , ut nullo pacto iis , de quibus sermo habetur , adscribi , atque accommodari posse videantur . Hujus rei exemplum nobis suppeditat Hieronym. in *Danielem XI* , ubi hæc habet . “ Hic est mos Scripturæ sanctæ ,  
 „ ut futurorum veritatem præmittat in typis  
 „ juxta illud , quod de Domino Salvatore in  
 „ LXXI. Psalmo dicitur , qui prænotatur Sa-  
 „ lomoni , & omnia , quæ de eo dicuntur ,  
 „ Salomoni non valent convenire . Neque e-  
 „ nim permansit ille cum sole , & ante lu-  
 „ nam generationis generationum ; neque do-  
 „ minatus est a mari usque ad mare , & a  
 „ flumine usque ad terminos Orbis terrarum ,  
 „ nec omnes gentes fervierunt ei , neque an-  
 „ te solem permansit nomen ejus , nec bene-  
 „ dictæ sunt in ipso omnes tribus terræ , nec  
 „ omnes gentes magnificaverunt eum . Ex par-  
 „ te autem , & quasi in umbra , & imagine  
 „ veritatis in Salomone præmissa sunt , ut in  
 „ Domino Salvatore perfectius implerentur “ .  
 Isthoc Canone , veluti jacto fundamento , ad rem nostram propius adtingendam gradum facimus .

II. Et quidem primo Deus , uti Abrahamum veræ Filii sui , ac cruentæ oblationis

typum in Isaaci sacrificio spectare voluit (1): ita quoque, quum in semine suo omnes gentes terræ benedictum iri eidem fuerit pollicitus, profecto venturi Messiae e lumbis ejus oriundi religionem per orbem universum propagandam fore satis evidenter expressit: Gen. XXII. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*; vel ut habet hebraica veritas: *Et benedicent tibi in semine tuo omnes gentes terræ*. Neque enim ad Judaicum populum benedictionem illam coarctandam, sed ad omnes prorsus gentes extendendam tum demonstrat Apostolus ad *Galatas* (2), tum quoque ipsamet divina præferret pollicitatio. Ea enim, licet sensu historico bonorum temporalium copiam significaret, qua & Abrahamus ipse, & florens præcipue ejusdem posteritas cumulanda erat: sensu tamen prophetico non nisi in Christum quadrat, sive in Messiam, de quo Jacobus Abrahami ipsius nepos Gen. XXXVIII. *Et ipse erit expectatio gentium*; vel ad hebraicam veritatem: *Et ei erit aggregatio populorum*. Neque enim ullus fuit unquam ex Abrahami posteris, quem gentes operirentur omnes, cui aggregari possent, & unde solidarum virtutum, bonorum spiritualium,

---

(1) Gen. XXII. 2. Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac... offeres eum in holocaustum: Jo. VIII. 56. Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum; vidit, & gavisus est.

(2) Ad Galatas IV. Scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem: quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc autem sunt duo Testamenta: unum quidem in monte Sina, in servitutem generans. . . . Illa autem, quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. scriptum est enim: Latere sterilis, quæ non parit, erumpet, & clamat, quæ non parturit; quia multi filii desertæ, magis quam ejus, quæ habet virum. Nos autem, Fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus.

lium, ac æternæ beatitatis munera sibi fore conferenda certo sibi augurari possent, nisi divinus Messias. Profecto, uti mox videbimus, Messiam semel adnuntiatum alacri studio exceperunt Gentiles, ac demum ipse maiorum cumulus, quibus universus tenebatur orbis, veluti tacita quædam erat, ac cælum pulsans Messiæ Servatoris efflagitatio.

§. II. *Evangelii per orbem universum propagatio Prophetarum oraculis manifestius præ-nunciata.*

III. Et sane Prophetæ passim tum 1. Ecclesiam Christianam monti comparant in vertice montium præparato, & elevato super omnes colles, ad quem gentes omnes fluent ac populi, inde doctrinam, & iudicium sperantes (3): tum 2. rejicienda aliquando Judæorum sacrificia prænuntiant, ac simul ab ortu Solis usque ad occasum in munda quadam oblatione, omnique labe carente Dei maiestatem colendam, divinumque nomen in gentibus magnum futurum (4); tum 3. in orbem universum ditionem, regnum, iudicium, ac principatum venturo Messiæ passim Sacræ litte-

A 3

te-

(3) *Isaiæ II.* Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent . . . iudicabit gentes, & arguet populos multos.

(4) *Malathiæ I.* Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus.

*Psal. II.* Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.

*Psal. XXI.* Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.

teræ tribuunt (5) : tum demum omnes gentes, universasque gentium familias ad terminos usque terræ Ægyptios, Tarsenses, Æthiopes, Babylonios, Sabæos, Tyrios, Philistæos, Arabas, Lydios, Græcos, Africanos, Italos, Insularum vel longe positarum incolas, omnes demum, quas Deus creavit gentes, ad Deum se conversuras, & Deum adoraturas vaticinantur (6). Profecto diserta isthæc Prophetarum oracula, ( quorum fati copiosum catalogum

(5) *Psal.* XXXIV. Accingere gladio tuo super femur tuum Potentissime . . . Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum regis. Sedes tua Deus in saculum sæculi, virga directionis, virga regni tui.

*Psal.* XLVI. Omnes gentes plaudite manibus . . . quoniam Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram.

*Psal.* LXXI. Deus iudicium tuum regi da . . . . Iudicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.

*Isaiæ* II. De Sion exhibit lex, & verbum Domini de Jerusalem; & iudicabit gentes, & arguet populos multos. *Eadem habet Michaas* IV.

*Ibid.* XXXII. Dominus iudex noster. Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.

*Ibid.* XLII. Dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet . . . donec ponat in terra iudicium, & legem ejus insulæ expectabunt.

*Ibid.* XLIX. Reges videbunt, & consurgent principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est. Hæc dicit Dominus Deus: ecce levabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum.

*Danielis* II. Suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur . . . comminuet autem, & confundet universa regna hæc.

*Ibid.* VII. Adspiciebam donec throni positi sunt; & Antiquus dierum sedit . . . iudicium sedit, & libri aperti sunt . . . & ecce cum nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat, & usque ad Antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obrulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum; & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient, potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.

*Mich.* IV. De Sion egredietur lex, & verbum Domini de Jerusalem, & iudicabit populos multos, & corripiet gentes fortes usque in longinquam.

(6) *Id confirmat hæcenus producta monumenta, quibus adde sis*

gum dat Huetius Demonst. Evang. Prop. VIII. cap. 158., nos præcipua duntaxat inferne ex-

I. Reg. II. Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore . . . donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est.

II. Reg. XXII. Propterea confitebor tibi, Domine, in gentibus.

*Psal.* XXI. Convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium; quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.

*Psal.* XLIV. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.

*Psal.* LXXI. Et dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis, & insulæ munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona adducent; & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei . . . benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.

*Psal.* LXXXV. Omnes gentes, quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te, Domine.

*Psal.* LXXVI. Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei; Memor ero Rahab, & Babylonis scientium me: ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic. *His similia passim occurrunt in Psalmis.*

*Isaiæ* XXV. Auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de universa terra.

*Ibid.* XXVII. Venient qui perditii fuerant de terra Assyriorum, & qui ejecti erant de terra Ægypti, & adorabunt in monte sancto.

*Ibid.* XLII. Dedi te in sædus populi, in lucem gentium . . . Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ; qui descenditis in mare, & plenitudo ejus; insulæ, & habitatores earum. *Et.*

*Ibid.* XLIX. Dedi te in sædus populi, ut suscitares terram, & possideres hereditates dissipatas . . . Ecce isti de longe venient, & ecce illi ab Aquilone, & mari, & isti de terra Australi . . . Leva in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi; *Et.*

*Ibid.* LXVI. Ponam in eis signum, & mittam ex eis, qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tendentes sagittam, in Italiam, & Græciam, ad insulas longe, ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. *His similia passim occurrunt in Prophetia Isaiæ.*

*Jerem.* XVI. Ad te gentes venient ab extremis terræ, & dicent: Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem, quæ eis non profuit.

*Exod.* XXVII. Et scient omnia ligna regionis, quia ego

hibemus) non modo gentium ad Christi fidem vocationem designant, verum & Christianæ fidei facem orbi universo lumen allaturam aperte prædicunt.

IV. Et sane quum gentes e regione Palæstinæ vel longe positas nominatim designent, & quidem ex omnibus mundi partibus, orientali, & occidentali, meridiana, & aquilonari; easdemque magna concursione venturas, ac præ nimia multitudine, veluti impetu facto, catervatim irrutum iri ad divinum Messiam adorandum, ejusque Ecclesiam constituendam prænuntient, quidnam profecto istuc est, quam Evangelii per orbem universum propagationem satis evidentem indicare? Paucis rem omnem complectitur David Ps. CVI. *Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregavit a solis ortu, & occasu, ab Aquilone, & mari.*

V. Merito igitur Redemptor noster, ac Legifer Christus Dominus post suam *ἀνάστασιν* Resurrectionem, dum sensum Apostolis aperuit, ut intelligerent Scripturas, sic suum clausit sermonem: Luc. Evangel. Cap. XXIV. vers. 46. & seq. *Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis*

Dominus humiliavi lignum sublime, & exaltavi lignum humile; & siccavi lignum viride, & frondere feci lignum aridum.

*Amos IX.* In die illa suscitabo tabernaculum David, quod decidit . . . ut possideant reliquias Idumæ, & omnes nationes; eo quod invocatum sit nomen meum super eos.

*Sophon. II.* Adorabunt eum viri de loco suo, omnes insula gentium.

*Ibid. III.* Ultra flumina Æthiopiæ inde supplices mei, filii disperforum meorum deferent munus mihi.

*Agg. II.* Commovebo calum, & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet Desideratus cunctis gentibus.

*Zacch. IX.* Et loquetur pacem gentibus, & potestas ejus a mari usque ad mare, & a fluminibus usque ad fines terræ.

tuis tertia die : & predicari in nomine ejus  
 pœnitentiam, & remissionem peccatorum in om-  
 nes gentes incipientibus ab Jerofolima : vos au-  
 tem testes estis horum . Merito Apostoli Pau-  
 lus, & Barnabas Judæis Evangelio contradi-  
 centibus exprobrabant : Actorum XIII. Vobis  
 oportebat primum loqui verbum Dei, sed quo-  
 niam repellitis illud... Ecce convertimur ad  
 gentes : sic enim præcepit nobis Dominus : Po-  
 sui te in lucem gentium, ut sis in salutem us-  
 que ad extremum terræ . Merito Paulus ipse  
 in suis Epistolis quamfrequenter, ac præfer-  
 tim in ea ad Romanos, pluribus ex Veteri  
 divino Codice petitis testimoniis gentium ad  
 Ecclesiam Christianam vocationem, ac Evan-  
 gelii per orbem universam promulgationem  
 adstruere conatur : Ad Rom. XI. Nolo vos,  
 inquit, ignorare fratres mysterium hoc ( ut non  
 sitis vobis ipsis sapientes ) quia cæcitas ex par-  
 te contigit in Israel, donec plenitudo gentium  
 intraret . Ibid. XV. Dico enim Christum Jesum  
 ministrum fuisse circumcisionis propter verita-  
 tem Dei ad confirmandas promissiones patrum .  
 Gentes autem super misericordia honorare Deum,  
 sicut scriptum est : Propterea confitebor tibi in  
 gentibus Domine, & nomini tuo cantabo : &  
 iterum dicit : Letamini gentes cum plebe ejus ;  
 & iterum : Laudate omnes gentes Dominum,  
 & magnificate eum omnes populi ; & rursus  
 Isaias ait : Erit radix Jesse, & qui exsurgat  
 regere gentes, in eum gentes sperabunt . Meri-  
 to demum Apostolus Petrus, ubi divina voce  
 admonitus ad Cornelium Centurionem, gen-  
 tium primitias, accessit, ipsam ejusque socios  
 in Christi fide instituens, sic est adlocutus :  
 Actorum X. Præcepit Christus nobis predicare  
 populo, & testificari, quia ipse est, qui consti-  
 tutus est a Deo Judex vivorum, & mortuorum :  
 Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent :



10 *Antiquit. Christian. Institut.*  
*remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes.*

§. III. *Evangelii per orbem universum propagationem ipsemet Christus Dominus manifestissime prædixit.*

VI. Enimvero Christus Servator noster licet Palæstinæ limites sua prædicatione nunquam fuerit egressus, atque adeo mysteria credenda proponeret humanæ rationi impervia, quæ carnalibus Judæis scandalum, errantibus gentibus stultitia videbantur; tum & præcepta daret satis dura, ac sensui humano repugnantia: attamen suam Ecclesiam ex omnibus undique gentibus conflandam, ac constituendam haud semel expressit.

VII. Profecto I. discipulos suos adloquens (7), atque ad mala, quæ ipsis nominis Christiani hostes illaturi erant, perferenda adhortans, in omnes gentes oportere prædicari Evangelium eosdem admonet. Et clarius alibi (8) Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus prædicandum manifesto prænuntiat. Qua in re illud animadvertere abs re non erit, Christum de excidio Jerosolymitano suos discipulos admonentem, prædicere fore, ut Jerosolyma evertenda quidem armis Romanorum esset, at non ante, quam Evangelium regni in toto orbe fuisset prædicatum. Id quod suum eventum plene fuisse sortitum mox videbimus: scilicet quadraginta annorum curriculo, qui ab Jesu Christi nece ad supremum usque Romanorum bel-

---

(7) *Marc. XIII. 10.* In omnes gentes oportet primum prædicari Evangelium.

(8) *Matth. XXIV.* Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.

bellum in Judæos fluxere, Christi fidem non Judæis modo fuisse nuntiatam, verum & universis late gentibus, quæ armis Romanis parabant, ceterisque terrarum partibus, quæ tunc temporis noscebantur.

2. Idem quoque prædixisse videtur, quum Centurionis fidem exaltans, simul & Synagogæ rejectionem, & gentium vocationem vaticinatur: Matth. VIII. *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in Regno Cælorum; Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & stridor dentium.*

3. Ipsemet Christus Dominus de Paulo futuro Apostolo sic est locutus. *Vide, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus;* tum ipse Paulus in nationes se longe missum profiteatur (9). Quod sane Paulum quamfideliter

A 6

pre-

---

(9) *Ad Roman. XV.* Non enim audeo aliquid loqui fororum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam Gentium verbo & factis, & in virtute signorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti, ita ut ab Jerusalem, & in circuitu usque ad Illyrium repleverim omnia Evangelio Christi. *Clemen. Rom. Epist. ad Corinth. 9. V. de Paulo Apostolo scribit.* In Oriente, ac Occidente Verbi præco factus illustrem fidei suæ famam sortitus est in justitia mundum universum instruens, & ad Occidentis penetrans terminos. *Et S. Jo: Chrysof. in productum Epist. ad Rom. locum Hom. XXI. sic commentatur.* Numerata itaque & urbes, & regiones, & gentes, & populos, & non solum, qui sub Romanis, sed & qui sub barbaris sunt. Non enim mihi per solam Phœniciam, & Syriam, & Ciliciam, & Cappadociam ibis: sed & quæ retro illas sunt, colliges omnia, & Saracenos, & Persas, & Armenios, reliquosque Barbaros. Propter hoc enim dixit, & in circumjacentibus regionibus, ne recta viam solum publicam, sed & omnem etiam Australem Asiam mente percurras; & quemadmodum acervos miraculorum uno sermone percurrere dixit: *per potentiam signorum, & prodigiorum,* ita & infinitas urbes, & gentes, & populos, & regiones uno rursus complectitur verbo, quum dicit: *τὸ πᾶν*, id est per circuitum, sive in circumjacentibus regionibus. *Similia habet Homil. I. De laudibus Pauli*  
Apostoli.

præstitisse nemo vel subdubitaverit, qui Librum Actuum Apostolicorum duntaxat attigerit. Quas enim regiones, & provincias ille non peragravit? Judæam, Syriam, Arabiam, Græciam, Macedoniam, Achajam, Asiam Minorem, Italiam &c. At de istoc capite mox redibit sermo.

Tum 4. discipulos post suam ἀνάστασιν resurrectionem ad prædicandum mittens, non minus evidenter Evangelii per orbem universum promulgationem & præcepit, & prædixit: Matth. XXVIII. Luc. XXIV. Marc. XVI. *Euntes, inquit, docete omnes gentes baptizantes &c. Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creature.*

5. Judæos indignatos Magdalenam alabastrum unguenti pretiosi super caput ipsius recumbentis perfundentem Christus sic adfatur: Matth. XXVI. *Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.* In quam Christi sententiam auro contra non cara mihi occurrit S. Jo. Chrysofomi auctoritas *Homilia LXXX. in Matth.* quam piaculum censerem hæc non adferre. „ *Vides, inquit, quomodo iterum exitionem ad gentes pronuntiet hic etiam discipulis, de*

„ mor-

---

*Apost.* Quia seipsum consecraverat Deo, etiam Orbem universum studuit offerre, qui terram videlicet, & mare, Græciam simulque Barbariam, omnemque prorsus, quanta est sub cælo, regionem quasi volitans circumivit, non simplici labore, velut in vacuum itinera percurrens, sed peccatorum spinas pariter evellens, & verbum seminans ubique pietatis, fugans errores, veritatem reducens, ex hominibus angelos faciens, quinimmo ipsos homines quasi ex dæmonibus in angelos provehens. *Qua de re ex sententia quorundam veterum Patrum Paulo cum ceteris Apostolis nulla fors traditur propria, quia in omnibus gentibus Magister, & Prædicator eleitur. Confer Juvenem Cl. mihiq; amicitia conjunctissimum Benedictum Clementem de Arostogui in Dissert. Jacobi Zebedæi Prædicatione Hispanis vindicata §. II.*

„ morte sua consolationem adferens. Siquidem  
„ tanta post crucem virtus ejus futura est,  
„ ut prædicatio per totum Orbem effundatur.  
„ Quis tam misero est ingenio, & animo,  
„ ut tantæ veritati repugnet? Ecce enim id  
„ quod dixit, factum est, & quocumque ter-  
„ rarum ibis, hanc mulierem prædicari au-  
„ dies: quamquam illa non insignis persona  
„ esset, nec multi testes essent præsentibus,  
„ nec in theatro quodam res gesta esset, sed  
„ in domo, & in domo leprosi, discipulis  
„ tantum præsentibus. Ecquis hoc ita vulga-  
„ vit, & promulgari usquequaque fecit? Vir-  
„ tus ejus, qui hæc effatus est. Certe Regum  
„ sexcentorum, & Ducum, quorum & mo-  
„ numenta manent, res præclaræ gestæ in-  
„ volvuntur silentio: ac licet urbes excita-  
„ verint, mœnibus illas cinxerint . . . Quod  
„ autem muliercula oleum effuderit in domo  
„ leprosi, duodecim viris præsentibus, id per  
„ Orbem cantant omnes, ac post tantum tem-  
„ poris, rei gestæ memoria non defecit. Sed  
„ *Perse, Indi, Scythæ, Thraces, Sauromatæ,*  
„ *Mauri,* & qui *Britannicas insulas* inco-  
„ lunt, quod in Judæa in domo quadam,  
„ nec palam, a muliercula factum est, præ-  
„ dicant.

## C A P U T I I.

De Evangelio per Orbem universum Apostolica Prædicatione propagato generatim.

I. **J**AM vero quod in antiquo Fœdere Dei promissionibus, Prophetarumque oraculis prædictum est, quodque Christus in novo prænuñciavit, Apostolorum, Apostolicorumque virorum per orbem universum diffusa prædicatione plenissime adimpletum videmus. Cujus rei veluti specimen quoddam nobis exhibet, quod Jerosolymis statim post Spiritus S. in Judæos *κατίβασιν* decensum accidisse Liber Actuum Apostolorum testatur.

II. Re sane vera ambigendum omnino non est, cœnaculum illud, ubi manebant Apostoli, ceterique discipuli cum mulieribus, & Maria matre Jesu in oratione perseverantes, novam Christi Ecclesiam sive constituisse, sive duntaxat expressisse. At ubi accepto Spiritu Sancto Apostoli variis linguis eloqui cœperunt, en statim, sparso prodigiorum, quæ ea in re acciderant, rumore, omnes qui in Jerusalem habitabant Judæi viri religiosi ex omni natione, quæ sub cælo est, ad cœnaculum illud accedere stupentes, quod homines in Judæa, vel Galilæa nati, sermonum longe a Galilæo, vel Judaico diversorum gnaros se exhiberent, ac quisque vernacula illius, quem forte obviam haberet, lingua sermonem misceret; Græce cum Græco, Persice cum Persa, Ægyptiace cum Ægyptio &c. (1). Divino plane consilio factum videtur, ut  
Spi-

(1) *Actor.* II. Nonne omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, & quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? ἀκούμεν ἑκαστος τῆς ἑωῆς διαλεκτῆς ἢ λέων ἐν ἧ ἑγγνηθῆμεν.

Spiritus Sancti in Apostolos illapsus eo tempore incideret, quo solemne Pentecostes festum Judæos exteros ex universo late orbe undique Jerosolymam acciverat, nec solum Judæos, verum & Judæorum profelytos, ethnicosque ad Judæos conversos: Parthos nimirum, Medos, Ælamitas, Mesopotamios, Cappadoces, Ponticos, Asianos, Phrygios, Pamphylios, Ægyptios, Lybicos, Cyrenenses, Romanos, Cretes, Arabesque. Istanc profecto hominum, qui ex Occidente eque ac ex Oriente Jerosolymam advenerant, ad Apostolicum domicilium, sive Ecclesiam miram concursitationem, Evangelicę per orbem universum propagationis specimen quisnam non dixerit?

III. Atque ex eo tempore Apostoli, discipulique metum omnem deponentes, ac Spiritus S. virtute roborati in publicum prædicandę Christianę religionis causa prodire nec dubitarunt, nec unquam destiterunt; reluctantibus alioquin, immo & contradicentibus, atque adeo gravibus interminatis pœnis illud vetantibus Judæorum Sacerdotibus, ac magistratibus. Quinimmo, tempestate in Christianos exorta, Christi discipuli, qui divino consilio ut mortem effugerent, Jerosolymis discedunt, aliasque urbes petunt, Evangelicę prædicationis opus mira providentia auspiciantur. Inito enim ab Judæis consilio Christianum nomen delendi, omnesque Jesu Christi discipulos disperdendi, accidit, ut fidelium plerique, Apostolis vel auctoribus, vel saltem consilium probantibus, Jerosolymis sese subducerent, atque in varias Orbis provincias diffunderentur.

IV. Et sane teste Luca ex illis nonnulli in Phœniciam, atque insulam Cyprum, & Antiochiam perrexerunt; Act. XI. 10. Alii rece-

perunt se in Damascum: *Act. IX. 2.* alii Samariticas regiones pretulerunt: *Act. XIII. 5.* Virum Æthiopem eunuchum potentem Candacis regine Æthiopum a Philippo Diacono in fide Christiana institutum, & baptizatum, atque adeo Spiritu Sancto modo sensibili, & extraordinario in ipsum illapso confirmatum, gentis sue Apostolum, & Catechistam egisse tradunt Ireneus, Hieronymus, Eusebius &c. (2). Nec defunt, qui tradant Evangelium promulgasse illum in Arabia felici, aliisque per ea loca regionibus (3).

V. Adhuc Philippus, ut olim Habacuc, sublimis in æra raptus ab Angelo e Judea Babylonem sublatus est, & ipse ab Eunuchi oculis ereptus, divinitus inventus est in Azoto urbe Philisteorum celebri: atque ibi huc illicque excurrans fidem circum spargebat, donec tandem Cesaream Palestine sese contulit: *Actorum VIII.* Tum fideles dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ, ad quos Petrus suam priorem dedit Epistolam, ex iis esse primitivis fidelibus, qui ex urbe Jerosolyma sese subdlexerant, censent Baronius, alique.

VI. Profecto prorsus constat, plures ex hisce regionibus, qui Jerosolymam festivitatis Pentecostes causa petierant, priores Petri conciones accepisse, ac prodigia, & signa per Apostolos in Jerusalem patrata vidisse. Tum quo-

---

(2) *Eusebius Lib. II. Cap. I.* Eunuchus quem a Philippo caelesti visione admonito primus ex gentibus divini verbi mysteria percepisset, totius Orbis fidelium primitia factus, inde in patriam reversus Dei notitiam, & Servatoris nostri salutarem in terras adventum primus predicasse fertur. Atque ita per ipsum completa est Prophetæ predictio, quæ sic habet: *Æthiopia præcuniet manus ejus Deo.* Eadem habent *Iren. Lib. III. cap. 12.* Hier. in *Isai. LIII. & Epist. 103.* Cyrill. *Catech. XVII.*

(3) *Ex Synopsi de Apostolis, ac discipulis Domini Dorotheo Tyrino supposita.*

quoque constat. Petro loquente, fidem Christi suscepisse primum circiter tria millia, dein & quinque millia virorum. Profecto oppido verisimile est ex horum numero nonnullos fuisse Galatas, Ponticos, Cappadoces, Asianos, & Bithynos, qui in suas Provincias sese recipientes secum Fidei Christianæ depositum adportarint, cujus participes suos facerent concives. Nec desunt Historiographique veteres, ac recentiores doctrina, & eruditione clarissimi, qui contendunt vix paucis post Christi in Cælum ἀναβασιν adscensum annis Thaddæum, qui unus e septuaginta duobus discipulis Christi erat, Edessam ad Abgarum Regem pervenisse, cujus opera Edesseni christianam religionem susceperint (4). Alios demum ex Christi discipulis, vel ex primitivis fidelibus ipsam quoque Romam profectos (inter quos Andronicus, & Junias inter discipulos insignes, & ipsius Pauli cognati) indicat ipsemet Paulus ad Romanos XVI. *Salutate Andronicum, & Juniam cognatos, & concaptivos meos, qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo.* Gravissima igitur, quæ Stephani cædem statim infecuta ad-

---

(4) *Eusebius Hist. Eccles. Lib. I. cap. 13.* Post resurrectionem Christi, ejusque in Cælos adscensum Thomas unus e duodecim Apostolis divino quodam impetu impulsus Thaddæum unum e septuaginta Christi discipulorum numero Edessam misit, ut Christi doctrinam illis gentibus nuntiaret; ejusque opera Servatoris nostri promissa exitum sortita sunt. Cujus quidem rei testimonium habemus ex ipsius Edessæ, in qua tum degebat Abgarus, tabulariis desumptum. Siquidem in monumentis publicis, in quibus antiquitates urbis, & res Abgari gestæ continentur, hæc etiam ad nostram usque ætatem conservata reperimus. *Eadem habent S. Ephrem Syrus in suo Testamento, Davinus Comes Ep. ad S. Augustinum inter Epist. S. Augustini Epist. 230. Evagrius Hist. Eccles. Lib. VIII. Cap. 26. Procopius apud eundem Evagrium ibid. Theodorus Studita Epist. ad Paschalem Pontificem, aliique.*



adversus Ecclesiam excitata est persecutio, tantum abest, ut adolescentiorem fidelem populum imminuerit, ut potius uberrimas Christi regno accessiones produxerit.

VII. Præterea quamvis Lucas in Actis scribat, discipulis primitivisque fidelibus per varias regiones dispersis, Apostolos Jerosolymis fuisse remoratos, id tamen haud ita intelligas, quasi hi Jerosolymis, veluti glebæ addicti, perpetuo adhæserint, atque tunc primum inde discesserint, quando consilium Christianæ religionis in Ethnicorum provinciis propagandæ susceperunt. Nam 1. paullo post gravem illam excitatam persecutionem Petrus, & Joannes Samariam petunt ad confirmandos Samaritanos, qui verbum Dei ab Philippo Evangelista adnuntiatum susceperant.

Tum 2. scilicet an. 38. non diu post Petrus ipse Ecclesias Judææ, Galilææ, & Samariæ invisens, devenit ad sanctos, qui habitabant Lyddæ: ibique Æneam a paralyfi, quæ jam octo abhinc annis tenebatur, sanavit: quo viso miraculo Lyddenses, & Saronitæ conversi sunt ad Dominum: *Actorum IX.*

Uti quoque 3. Joppe quum discipula quædam nomine Tabitha, quæ ex morbo decesserat, per eundem Apostolum vitæ fuisset restituta, multi ex Joppenfibus in Dominum crediderant: *ibidem.*

Præterea 4. Paulus post tertium a sua conversione annum Jerosolymam veniens testatur ibi neminem vidisse præter Petrum, & Jacobum Minorem: longe igitur tunc aberant Apostoli, & quidem ad Evangelium disseminandum. Neque enim ipsos desides, ac divini de Evangelio omni creaturæ prædicando mandati immemores quis sanæ mentis traduxerit.

5. S. Jacobus Major ex Clarissimorum Vi-

rorum sententia Hispanias petiit, ibique Evangelium adnuntiavit.

6. Ante baptismum Cornelii, qui anno 41. accidit, quando apertum & Gentibus ostium Regni est, sermo de Apostolis in Judæa frequens in Actis injicitur: at post baptismum Cornelii de Petro, Jacobo, Joanne, Barnaba, Paulo multa, de reliquis Apostolis nulla amplius occurrit mentio: ergo manentibus illis in Judæa, reliqui per orbem dispersi.

7. Edessam adventu, & predicatione Thaddei paulo post Domini ἀναβασιν adscensum ad fidem fuisse adductam, scribit Eusebius *Lib. II. Cap. I.*

8. Barnabas circa annum 42. ad confirmandos recens conversos fideles non ab Apostolis, sed ab Ecclesia missus dicitur: *Cap. XI. vers. 22.* Atqui si mansissent Apostoli, ubi prius, ab Apostolis missus legeretur; uti Petrus, & Joannes ab Apostolis Samariam usque missi fuerant.

9. Demum ex communi pene politicorum chronologistarum sententia anno circiter Æræ vulgaris XXXVI. Petrus peragrata Syria, Antiochiæ Pontificiam sedem fixit.

VIII. Atque hinc patet quid sentiendum de illo Apollonii veteris Historici testimonio apud Eusebium *Lib. V. Hist. Eccl. Cap. 18.* quo scribit veterem quamdam ferre traditionem, a Christo mandatum Apostolis fuisse, *ne intra duodecim annos ab Jerusalem excederent.* Quo etiam spectant quæ habet Clemens Alex. *Stromatōn Lib. VI. Edit. Oxon. pag. 762.: Propterea dicit Petrus dixisse Dominum Apostolis: Si quis ergo velit ex Israel pœnitentiam agere, & propter nomen meum credere in Deum, dimittentur ei peccata. Post duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat, non audivimus.* Scilicet isteç, quam  
Apol-

Apollonius, & Clemens proferunt, *παράδοσις traditio*, quum Apostolicis ab Luca conscriptis Actis contraria videatur, haud tanti facienda est, ut in ea interpretanda diutius inmoremur; qua de re consulendi Tillemontius, alique.

IX. Illud hic tantummodo paucis animadvertendum duco, haud contemnendam illorum sententiam, qui censent Apollonii, & Clementis testimonium de generali Apostolorum in dissitas mundi plagas secessione intelligendum; nimirum Apostolos aliquandiu Jerosolymis versatos, inde excedere cœpisse, ac paulatim primum in Palæstinæ regiones, dein & in alias non longe ab ea dissitas abiisse, quo Spiritus S. eos duceret, ad Evangelium disseminandum: atque intra duodecim annos non aliis, quam Judæis congregatis in Synagogis, verba habuisse, nec Gentilibus, nisi per occasionem, & per instinctum Spiritus S. aliquibus locutos: at completo jam duodennio, quo & satis Judæorum reprobatio patuerat, & Gentibus ostium fidei plene apertum erat, non amplius per Synagogas excurrisse, sed recta per Gentes, & inhospitas regiones etiam efferatissimas esse vagatos. Ergo veterum *παράδοσις traditio* de dispersione Apostolorum per Gentes post duodennium commode explicari hoc pacto posse videtur, ut nonnisi exacto duodennio Apostoli in unum convenientes, diversis Romani, Barbaricique Orbis partibus inter se communi consilio partitis, modum etiam descripserint, quo præcipua fidei christianæ Capita brevi Symbolo, sive Oratione conclusa ab recens ad Christum conversis hominibus non teneri modo, verum & memoriæ commendari, recitarique possent.

X. Illud tamen omnino falsum cui cui vel leviter adtendenti videtur, quod Clemens in-

nuit;

nuit; scilicet ad duodecimum ab Christi ἀναβᾶσις adscensione annum, neminem, nisi Itraelitam pœnitentiam agentem potuisse peccatorum remissionem consequi; quum vix altero, aut tertio ab Christi ἀναβᾶσις adscensione anno Petrus ipse per cœlestem demissi e cœlo lintei visionem, quod impuris quibusque animalibus plenum erat, Deo monstrante, intellexerit Gentiles in Ecclesiæ sinum esse recipiendos; ac præterea Cornelium, aliosque non paucos, qui ad ipsum audiendum convenerant, ad Christi fidem instituere non dubitarit: *Acto- rum Cap. 10.* Super quos, *Petro adhuc loquente, quum Spiritus S. cecidisset; obstupuerant ex circumcissione fideles, præsertim quum audirent illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus; Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum S. acceperunt, sicut & nos? & iussit eos baptizari.*

XI. Quis igitur non mirabitur vix brevi trium, vel quatuor annorum spatio a solis Apostolis, discipulisque Evangelium tam longe lateque fuisse disseminatum, & quidem Judæorum potentioribus fortiter obluctantibus, ut per universas Palæstinæ provincias, per Phœniciam, Samariam, Damascum, Antiochiam, Arabiam, Cyprum, aliasque Orientales, barbaricasque nationes Christiana Religio radices egerit; atque adeo etiam Romæ, & in Hispaniis, uti mox videbimus, Christi nomen audiri cœperit?

XII. Illud tamen supra modum divinæ Providentiæ οἰκονομίαν œconomiam commendat, ad Evangelii propagationem supra ceteros strenuissimam præstasse operam illum, qui præ ceteris ejusdem progressui fortiter obnitatebatur; Saulum scilicet nominis Christiani hostem infensissimum. Non vacat hic pluribus expo-

nere quanto animi ardore, & quam vehementi contentione se gesserit inexsequendo, quod sibi proposuerat consilium, ut ubicumque christianæ religionis cultores inveniret, sive viros, sive mulieres, vincetos adduceret Jerosolymam, ut punirentur. Illud hic tantummodo satis sit indicare Saulum, qui acerrimus christiani nominis hostis erat, strenuissimum ejusdem propagatorem evasisse, adeout plus ceteris Apostolis in Evangelii propagatione adlaborarit, ejusque opera plerisque Orientis, ac Occidentis regionibus christianæ religionis lux adfulserit.

XIII. Vix enim ab Anania viro inter Christi discipulos morum sanctimonia clarissimo, ad quem Damascum incolentem ab ipsomet Christo missus fuerat, præceptis Evangelicis est institutus, ac baptizatus, ut statim a Deo confortatus convalesceret, & confunderet Judæos; adeout qui audiebant, obstupescerent dicentes: *Nonne hic est, qui expugnabat in Jerusalem eos, qui invocabant nomen istud: & hic ad hoc venit, ut vincetos illos duceret ad principes Sacerdotum?* Porro quid Petrus, quid Paulus, quid ceteri Apostoli, virique Apostolici in Evangelio per orbem universum propagando præstiterint, sequenti Capite sigillatim explicabimus. Tantummodo selecta quædam Patrum Apostolicorum, aliorumque, qui proxima ætate floruerunt, monumenta hic proferre operæ pretium ducimus, quibus disertissime adstruitur celerrima Evangelii per orbem universum propagatio.

XIV. Ac I. Clemens Romanus Epist. ad Corinth. num. 5. de Paulo Apostolo hæc habet: *In Oriente ac Occidente verbi Præco factus, illustrem fidei suæ famam sortitus est, in justitia mundum universum instruens, & ad Occidentis penetrans terminos.*

XV. S.

XV. S. Justinus Martyr, qui altero medio sæculo vixit, in Dialogo cum Tryphone hæc habet: *Ne una quidem est hominum natio, si- ve Barbarorum, si ve Græcorum, seu etiam alio- rum omnium quocunque adpelletur nomine, vel in plaustriis degentium, vel domo carentium, vel in tentoriis viventium & pecora alentium, inter quos per nomen Crucifixi Jesu preces, & gratiarum actiones Patri ac Conditori universi non fiant.* Tum in Orat. ad Antoninum Pium: *Discipuli Christi ad omne mortalium genus profecti, ista promulgarunt, & Apostoli atque Legati nominati sunt.*

XVI. S. Irenæus, qui eodem secundo sæculo vixit Lib. I. Cap. 2. scribit: *Ecclesia enim per universum orbem usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & discipulis eorum accepit eam fidem &c.*

XVII. Tertullianus in *Apologetico* Cap. 37. „ Hesterni fumus, & vestra omnia implevi- „ mus, urbes, insulas, castella, municipia, „ conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, „ Palatium, Senatum, Forum. Sola vobis „ reliquimus Tempia“. Et adversus Judæos *Capite VII.* „ In quem alium universæ Gentes „ crediderunt, nisi in Christum, qui jam ve- „ nit? Cui enim & aliæ Gentes crediderunt, „ Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitant „ Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cap- „ padociam, & incolentes Pontum & Asiam „ & Pamphyliam, immorantes Ægyptum, & „ Regionem Africæ, quæ est trans Cyrenem „ inhabitantes, Romani & incolæ, tunc & „ in Jerusalem Judæi & ceteræ Gentes: ut „ jam Getulorum varietates, & Maurorum „ multi fines, Hispaniarum omnes termini, „ & Galliarum diversæ nationes, & Britan- „ norum inaccessa Romanis loca, Christo ve- „ ro subdita; & Sarmatarum, & Dacorum, „ & Ger-

„ & Germanorum, & Scytharum, & abdita-  
 „ rum multarum Gentium, & Provinciarum,  
 „ & Insularum multarum nobis ignotarum,  
 „ quas enumerare non possumus: in quibus  
 „ omnibus locis Christi nomen, qui jam ve-  
 „ nit, regnat: utpote ante quem omnium Ci-  
 „ vitatum portæ sunt apertæ, & cui nullæ  
 „ sunt clausæ, ante quem seræ ferreæ sunt  
 „ comminutæ, & valvæ ærææ sunt apertæ“.

XVIII. Origenes *Lib. I. contra Celsum*:  
 „ Christianorum dogmata oppressa fuissent uti-  
 „ que a tot inimicis infestata undique, nisi  
 „ divina virtute sustentata e tot pressuris  
 „ emergerent, totumque mundum in se coor-  
 „ tum vincerent... Per totum orbem notior  
 „ est Christianorum prædicatio, quam philo-  
 „ sophorum placita. Quis enim Jesum e Vir-  
 „ gine natum, & crucifixum ignorat? Quis  
 „ &c. Videmus in omnem terram exiisse vo-  
 „ cem Apostolorum Jesu, & in fines Orbis  
 „ verba eorum. Adfirmamus igitur Jesu res  
 „ exstare apud universi Orbis habitati homi-  
 „ nes, quam late inter Gentes incolunt fun-  
 „ datæ per Jesum Ecclesiæ Dei, quæ con-  
 „ stant ex conversis ad meliorem mentem a  
 „ malis innumeris.

XIX. Arnobius *Lib. II. ad Gentes* de Apo-  
 „ stolica prædicatione in hunc modum scribit:  
 „ Virtutes sub oculis positæ, & inaudita illa  
 „ vis rerum, vel quæ ab ipso fiebat palam,  
 „ vel ab ejus præconibus celebrabatur in Or-  
 „ be toto, eas subdidit adpetitionum flam-  
 „ mas, & ad unius credulitatis adsensum men-  
 „ te una concurrere gentes, & populos fecit,  
 „ & moribus dissimillimas nationes. Enume-  
 „ rari enim possunt, atque in usum compu-  
 „ tationis venire ea, quæ in India gesta sunt  
 „ apud Seras, Persas, & Medos: in Arabia,  
 „ in Ægypto, in Asia, Syria, apud Galatas,  
 „ Par-

„ Parthos, Phrygas: in Achaja, Macedonia,  
 „ Epiro, in insulis, & provinciis omnibus,  
 „ quas Sol oriens atque occidens lustrat, ipsam  
 „ denique apud dominam Romam, in qua  
 „ cum homines sint Numæ Regis artibus, at-  
 „ que antiquis superstitionibus occupati, non  
 „ distulerunt tamen res patrias relinquere,  
 „ & veritati coalescere Christianæ.

XX. Lactantius de Mortibus persecutorum  
 Cap. 2. quum notasset Christum Apostolos ad  
 prædicationem suæ doctrinæ instruxisse, eoque  
 functum munere adscendisse in cælum; *Et in-  
 de, inquit, discipuli dispersi sunt per omnem  
 terram ad Evangelium prædicandum, sicut illis  
 Magister dominus imperaverat.* Ibidem Lib. V.  
 cap. 12. *Cum ab ortu Solis usque ad occasum  
 lex Divina suscepta sit, & omnis sexus, omnis  
 ætas, & gens, ac Regio unitis ac paribus ani-  
 mis Deo serviat.*

XXI. Eusebius Orat. de laudibus Constantini  
 pag. 662. de Apostolis in hunc modum scri-  
 bit: „ Quid tam mirandum tibi videri pote-  
 „ rit, quam viros abjectos & imperitos a pi-  
 „ scatu penitus abducere, eosque legumlato-  
 „ res & doctores universi Orbis terrarum  
 „ constituere: nec solum promittere se eos fa-  
 „ cturum piscatores hominum, idque re ipsa  
 „ præstare; verum etiam tantam virtutem  
 „ tantamque facultatem illis tribuere, ut mo-  
 „ numenta scriptis mandarent, librosque ede-  
 „ rent, iique tam magnam apud omnes ha-  
 „ berent & auctoritatem, & existimationem,  
 „ ut in omnes tam barbarorum quam Græco-  
 „ rum linguas, quæ in toto Orbe terrarum  
 „ existunt, converterentur, omnesque gentes  
 „ in illis perdiscendis studium & operam po-  
 „ nerent, proque certo crederent divina elo-  
 „ quia in illis comprehendi? Eadem habet  
 Lib. I. Preparat. Evangel. Cap. 3. aliisque



in locis. Ac præcipue Lib. II. Hist. Eccles. cap. 3. ubi scribit, *salutare Evangelii Verbum, tanquam solis jubar, repente totum Orbem luce sua collustrasse.* Eadem habet Chrysostomus *Homilia II. in Joannem, aliisque in locis.*

XXII. S. Hieronymus *Epist. 35. ad Heliodorum:* „ Nunc passionem Christi, & resurrectionem ejus cunctarum gentium voces & litteræ sonant . . . Indus, Persa, Gothus, Ægyptius philosophantur. Bessorum feritas & pellitorum Getharum turba populorum, qui mortuorum quondam inferiis homines immolabant, fridorem suum in dulce crucis fregerunt melos, & totius mundi una vox Christus est. Et *Epist. 57. ad Letam:* Solitudinem patitur & in urbe gentilitas. Dii quondam Nationum, cum bubonibus & noctuis in solis culminibus remanserunt. Vexilla militum Crucis insignia sunt. Regum purpuras & ardentes diadematum gemmas patibuli salutaris pictura condecorat. Jam Ægyptius Serapis factus est Christianus. Marnas Gazæ luget inclusus, & eversionem Templi jugiter pertimescit. De India, Perside, Æthiopia Monachorum quotidie turbas suscipimus. Deposuit pharetras Armenius, Hunni discunt psalterium, Scythæ frigora fervent calore fidei, Getharum rutilus & flavus exercitus Ecclesiarum circumfert tentoria: &c.

XXIII. Theodoretus *Lib. IX. Therapeut. Gentium* de Apostolis scribit: „ Nec solum Romanos, quique sub Romano vivebant Imperio, sed Scythas quoque, ac Sauromatas, Indos præterea, Æthiopas, Persas, Seras, Hyrcanos, Britannos, Cimbros & Germanos, utque semel dicam, omnes nationes, & omne hominum genus permoverunt

„ cru-

„ crucifixi leges accipere, non armis usi,  
 „ non infinita vi militum delectorum, non  
 „ immanitatis Perficæ violentia, sed verbo-  
 „ rum suafu, ostensa legum, quas prædica-  
 „ bant, utilitate. Plura si quis velit, adeat  
 „ Albertum Fabritium; *Saluiaris Lux Evan-  
 „ gelii Cap. 2.*

## C A P U T III.

De Evangelii per Orbem universum propaga-  
tione speciatim.

## §. I. De Gestis S. Petri.

I. **A**C primo Petro Apostolorum Principi  
Ecclesiæ Jerosolymitanæ fundatio præ-  
cipue videtur adscribenda, quum, ipso præ-  
dicante, ac prodigia edente, primum tria  
millia, dein & quinque millia virorum Chri-  
sto nomen dederint; adhæc & oppido verifi-  
mile est & alios identidem ejusdem concio-  
nibus ad Christum fuisse conversos. Quum au-  
tem ab primitivis hisce fidelibus, uti *superio-  
ri Cap.* vidimus, Evangelium per varias Pa-  
læstinæ provincias, aliasque ab Palæstina non  
longe distitas regiones Evangelium fuerit pro-  
pagatum; hinc sane propria quædam Petri  
exoritur prærogativa, scilicet quod non Jero-  
solymitana modo Ecclesia, verum & reliquæ  
principio fundatæ ad ipsum peculiari quodam  
jure spectare Ecclesiæ videantur.

II. Postquam Samaritanos jam a Philippo  
Evangelista baptizatos simul cum Joanne in  
fide confirmavit, ipsis per manuum impositio-  
nem, & orationem Spiritum S. conferendo,  
permulta Judææ, Samariæ, & Galilææ pera-  
gravit oppida; atque ejus potissimum opera  
factum videtur, quod *Actorum VIII.* Lucas  
scri-

scribit; scilicet, *Ecclesia quidem {per totam Judæam, & Galileam & Samariam habebat pacem, & edificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione Sancti Spiritus replebatur. Hinc in verba Actuum Apostolorum: Factum est, ut Petrus dum pertransiret universum &c. scribit S. Jo. Chrysostronus Homilia XXI. in Acta: Quemadmodum Dux in exercitu obambulat, considerabat quæ pars esset coadunata, quæ ornata, quæ suo adventu egeret.*

III. Tum Lyddam, Saronam, Cæsaream, aliasque Orientales, Barbaricasque regiones peragrassæ, inibi que Ecclesias fundassæ, indicat Lucas *ibid. Cap. XIX.* & vetustissimæ ferunt traditiones, ac testantur Patres antiquissimi: ac præcipue Cæsaream, ubi esuriens in mentis excessu positus, ac magnum linteam e cælo demissum, omnique animalium genere refertum conspiciens, tum de iisdem promiscue comedere jussus, didicit gentes pro immundis habendas non esse. Hinc Spiritu mōnente Cornelii invitationem accepit, ac labens Cæsaream perrexit, ubi Cornelium cum tota familia, & amicis quamplurimis in ejus domo congregatis, concione ad eos habita, ad fidem Christi convertit; ac Spiritu Sancto cælitus in eos ultro, nulla præcedente Petri manuum impositione, delapso, Christi baptismo tinxit. Atque hinc & alia Petrus prærogativa exornatur; nimirum gentium primitiarum conversionem præcipuo quodam divinæ providentiæ consilio ipsi fuisse reservatam.

IV. Tum quarto ab Christi *ἀναβάντα* adfensione anno, & Æræ vulgaris XXXVII. Antiochiam Syriæ Metropolim petiit, ibique Ecclesiam, cujus primordia jam ab aliis, uti super vidimus, constituta fuerant, fundavit, ejusdemque per aliquot annos Episcopus sedet.

dit. Unde nullus unquam dubitasse invenitur; Petrum primum Antiochenam Cathedram tenuisse, cujus successores, qui postea eandem Ecclesiam gubernarunt, dicendi essent. Profecto Petrum Antiochiam incoluisse, ibique cum Judæis, gentibusque versatum fuisse testatur Apostolus *Ad Galatas II.* At vero ejusdem Ecclesiæ Episcopatum & fundasse, & administrasse tradunt Patres antiquissimi, ac universalis Ecclesiæ traditio (1).

V. Quod vero dicitur septem annis Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum sedisse, istoc haud ita est intelligendum, quasi integro illo septennio nusquam Antiochia egressus sit: namque vicinas interim provincias Pontum, Asiam, Cappadociam, aliasque, ubi Christianismi primordia fortasse jam constituta fuerant, peragrassè, inibique Ecclesias fundasse, ex ejusdem Apostoli Epistolis haud obscure colligitur.

VI. Atqui Alexandrina Ecclesia suam D. Petro originem præcipue debet. Eam enim licet non *quædam immediate*, at *quædam mediate* duntaxat per S. Marcum fundaverit; veteres tamen Ecclesiæ Patres Ecclesiarum

B 3

æque

---

(1) Principem Apostolorum S. Petrum, antequam Romam præteret, Antiochenam Ecclesiam fundasse pluribus hæc eximè possit. At satis sunt bina antiqua Ecclesiastica monumenta. S. Joannes Chrysostomus, dum Presbyterii partes adhuc obiret Antiochiæ, profestebatur Antiochenæ Ecclesiæ potestatem singularem conciliatam illi fuisse a principatu S. Petri. Hæc est una nostræ civitatis prærogativa dignitatis, quod Principem Apostolorum ab initio Doctorem acceperit . . . Sed quum eum doctorem accepissemus, non in perpetuum retinimus, sed Regiæ civitati Romæ illum concessimus. Eusebius in *Chronico*: Petrus Apostolus Antiochenam Ecclesiam fundavit, ibique Cathedram adeptus sedit... Quum primum Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam profectus est. Eadem habent Concilia Romana sub Damaso, & sub Gelasio, Nazianzenus, Theodoretus, Innocentius I. Gregorius M. alique veteres, quorum testimonia vide apud Thomassinum De V. & N. Eccles. Disc. Part. I. Lib. I. cap. 7. & 8.

æque Romanæ, & Antiochenæ, ac Alexandrinæ dignitatem, & splendorem ex eo potissimum profluxisse, quod a S. Petro fundatæ fuerint, aperte adserunt. Ad rem Hincmarus Rhem. Tomo II. pag. 202. *Sedes Ecclesiarum Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ idcirco Speciales Sedes dici . . . quoniam Sedes sunt, quin potius una Sedes Magni Petri Apostolorum Principis: Confer sis Thomassinum nuper indicato loco.*

VII. Atque hi præcipui sunt a S. Petro apud Orientales, barbaricæque regiones pro rei Christianæ propagatione suscepti labores, & Ecclesiæ constitutæ; & quidem vix decem, aut undecim annorum spatio. Anno enim Claudii Imp. XI., & Æræ vulgaris XLIV. Romam profectus Romanam fundavit Ecclesiam, uti ipsemet Apostolus *Ep. I. cap. 5.* satis indicat, ac Patres antiquissimi eque Orientales, & Occidentales consensione quanta maxima testantur. Neque quidquam causæ est, cur in istoc capite explicando diutius immoremur, quum & plerique politiores Heterodoxi in eo ab Catholicis non dissentiant; & dissentientes doctissimis commentariis confutati sint, eorundemque momenta penitus difflata. Tantummodo de authentia historiæ Simonis Magi, ad quem debellandum Petrum Romam petiisse Patres nonnulli tradunt, mox *Excursu I.* pauca dabimus, ne perpetuus orationis cursus intercidi videatur.

VIII. Jam vero circiter Æræ vulgaris annum LI. Claudii Imperatoris IX. gravis Antiochiæ excitata seditio est. Quidam enim Judæi nominis Christiani professores e secta Phariseorum e Judæa descendentes Christianos ex gentibus circumcidi oportere dicebant, iisdemque legis Mosaicæ onus subeundum. His Paulus, & Barnabas acriter se opposuerunt:

runt: *Actorum 15.* Eos παρασάκτους *Ἰουδαίους* irreptitios falsos fratres adpellat Apostolus: *Ad Galatas II.* eorumque antesignanum Cerinthum heresiarcham fuisse docent Philastrius *De Hæres. Cap. 87.* & Epiphanius *Hæres. XXVIII.* Jam vero quum perversa illa doctrina fidelium animi perturbarentur, hinc ut tanto malo opportunum pararetur remedium, Paulus, & Barnabas Jerosolymam petierunt, ut Apostolorum, Seniorumque istoc de capite fieret disquisitio.

IX. Eodem anno speciali quadam Divinæ Sapientiæ *οἰκονομία* *œconomia* factum est, ut Judæis Cæsaris edicto Roma pulsis, Petrus quoque, qui ceu Hebreus habebatur, inde discedere cogeretur, ac Jerosolymam peteret, Apostolorum Concilium celebraturus ad excitatam de legalium observatione controversiam definiendam. Concilium igitur Apostolorum, Seniorumque coactum est, cui pro jure sui Primatus præfuit, ac primus suffragium tulit. *In cujus sententiam Jacobus Apostolus, & omnes simul presbyteri transferunt,* inquit S. Hieron. *LXXXIX. ad S. Augustinum.* Apostolica definitio hac formula conclusa est: *Visum est Spiritui S. & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, a quibus custodientes vos bene agetis.*

X. Non statim post Synodum celebratam Romam rediit Petrus, sed aliquot post annis, scilicet quum Nero imperium jam consecutus esset. At interim desidem, & otiosum Jerosolymis mansisse credendum haud est. Novas enim per Orientis regiones Ecclesias fundasse, ac veteres jam a se prius constitutas invisisse, & oppido verisimile est, & indicat Lucas *ibidem.*

XI. Igitur Romam reversus, quam rem Christianam mirifice auxisset, ac longe lateque per Occidentales regiones, quæ illi instituendæ obvenerant, propagasset, divino admonitu cognovit fore, ut brevi interfici deberet. Igitur Epistolam secundam ( primam enim, dum primum Romæ fuerat, jam exaraverat ) ad eos, qui a se instituti fuerant, scripsit. Divini admonitus veritatem probavit eventus; mox enim, quum Nero intellexisset eum Romæ agere, ac eorum religioni, quos ipse Imperator, tanquam incendii reos, exquisitis manciparat suppliciis, propagandæ incumbere, ipsum cruci adfigi, eoque mortis genere adfici præcepit, quam ipsius magister olim obierat.

§. II. *De Gestis S. Pauli.*

XII. Paulus igitur, jam Dei voce, uti nuper vidimus, *Vas electionis* constitutus, ut portaret nomen Dei coram gentibus, & regibus, & filiis Israel, continuo non adquevit carni, & sanguini, sed synagogis prædicabat Jesum, stupentibus omnibus, qui audiebant: noverant enim ipsum nominis Christiani hostem acerrimum. Porro Judæis in ipsum invidia, atque adeo ira concitatis, per murum dimissus in porta abiit, Arabiam, ac post triennium venit Jerosolymam visurus Petrum, apud quem mansit solum diebus quindecim. Petrus enim, ceterique Apostoli auctores fuerunt, ut Jerosolymis discederet, ac Cæsaream peteret, indeque Tarsum contenderet. Paulus igitur simul cum Barnaba, adscito etiam in societatem Joanne Marco, per has, aliasque his finitimas Regiones Evangelium, vel primum prædicarunt, vel jam ab aliis prædicatum firmarunt, auxeruntque.

XIII.

XIII. Quum vero Antiochiæ morarentur, fideles in Ecclesia Domino ministrantes, ac jejunantes, a Spiritu S. jussi sunt Paulo, & Barnabæ manus imponere; eosque ad adnuntiandam gentibus Christi doctrinam dimittere: ex quo tempore præcipuas Orientis provincias peragrarè adgressi sunt; eas potissimum, ubi nomen Christianum nondumerat auditum; scilicet Seleuciam, Cyprum, Antiochiam Pisiadiæ, Iconium, Lystram, Derben, aliasque, tum & iisdem finitima oppida, ubi licet graves ab Judæis paterentur persecutiones, tamen prædicatione, doctrina, privatis congressibus, ac præcipue miris perpetratis prodigiis gentes multitudine innumerabiles ad Christum duxerunt.

XIV. Quidquod opportune Antiochiam Syriæ petierunt, ubi exorta de legalibus controversia, ipsis præcipue agentibus, ad Apostolos Jerosolymis degentes delata est, ab quibus in Synodum congregatis, uti modo vidimus, salubriter definita est? Hinc Antiochiam redierunt, ut discipulis prospicerent, omnemque posthac contendendi occasionem seditiosis adimerent. Aliquanto post Judas Jerosolymam redit, at Paulus, Barnabas, & Silas Antiochiæ manere malunt, ubi rem christianam maximis incrementis adaugent.

XV. Tum Paulus Ecclesias invisendas discernit, in quibus Evangelium prædicaverat; Barnabas Paulo libenter quidem assentitur, modo Joannem Marcum secum adamat: quum vero contra censeret Paulus; tanta inter eos orta est contentio, ut Barnabas, adsumto Marco, navigaret in Cyprum, Paulus cum Sila peragraret Syriam, & Ciliciam confirmantes Ecclesias: dein Paulus veniens Derben, & Lystram, ibi Timotheum, quod ipsi ab omnibus bonum perhiberetur testimonium, secum



adsumit, quem tamen matre Judæa natum circumcidendum curavit, quo Judæos magis lucrifaceret; quibus Phrygiam, Galatiam, aliasque regiones percurrentibus, mirum quantum Ecclesiæ fide confirmarentur, ac numero credentium auferentur. Tum in Mysiam veniunt, ac inde descendunt Troadem, quod a Spiritu S. prohiberentur prædicare verbum Dei in Asia, & in Bithynia. At cælesti visione admoniti, ut peterent Macedoniam, statim itineri se committunt, unde proventi Troade, recto cursu Samothraciam veniunt, ac dein Neapolim, atque illinc Philippos, quæ Macedoniæ primaria urbs est, ubi plures ad Christum convertunt, ac præcipue Lydiam quandam, quæ baptizata Paulum cum sociis hospitio excipit.

XVI. Tum factò itinere per Amphipolim, & Apolloniam venerunt Thessalonicam totius Macedoniæ Metropolim, ubi Evangelium Dei cum multo certamine adnuntiavisse se scribit Apostolus. Multa enim ab Judæis passus est. Attamen magnam Judæorum, Græcorumque multitudinem in Christi caulam duxerunt, ac præcipue ex mulieribus primariis non paucæ Christo nomen dedere, quas omnes Paulus non de fide tantum Christiana, sed etiam de futura Apostasia, & Antichristi revelatione edocuit.

XVII. Verum, Judæis incredulis auctoribus gravissimus in civitate tumultus per homines improbos adversus Paulum ejusque comites excitatus est, quos etiam ad magistratus deduxere, quibus quum ab illis factum satis fuisset, fratres statim per noctem Paulum simul, & Silam miserunt Berceam. Ibi in Synagogis Scripturas explicantes Christum adnuntiarunt, & quidem non sine felici eventu. Berceenses enim prædicata a Paulo cum Scri-  
ptu-

pturis veteris testamenti conferentes, eaque inter se consona perspicientes, maxima ex parte crediderunt. Quinque Judæi Thessalonicenses illuc venientes turbam contra Paulum concitarent, fratres eum statim emiserunt, velut iturum ad mare, sed Athenas usque deduxerunt, accepto ad Silam, & Timotheum Berœæ relictos mandato, ut ad ipsum venirent quam citissime.

XVIII. Dum eos Athenis expectat, tum in Synagogis cum Judæis, tum in foro cum quibusvis obviis, cum Epicureis quoque, & Stoicis philosophis de Christo, & resurrectione disputat. Dein tanquam peregrinorum Deorum adnuntiator causam dicturus in medium ducitur Areopagum, ubi doctissimam habet orationem ducto argumento ab ara ipsorum *Ignoto Deo* jam dicata. Neque defuerunt ex Atheniensibus, qui Paulo adsentirentur, inter quos fuit Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis. Tum Silam, & Timotheum, qui Berœa ad ipsum venerant, iterum in Macedoniam remittens, solus Athenis remansit. Deinde relictis Athenis venit Corinthum, ubi apud Judæum quendam Aquilam nomine aliquandiu mansit, quando Aquila idem cum illo conficiendi tabernacula artificium exercebat. Ibi omnibus Sabbathis in Synagoga differens plures Judæos, Græcosque ad Christum convertit. Quum vero ipsi Christum prædicanti Judæi increduli obstiterent, ac blasphemarent, hinc cum Timotheo, & Sila, qui e Macedonia jam adveniant, ad Gentiles divertit, quorum plurimos convertit, nonnullos etiam sua manu baptizavit.

XIX. In Syriam inde navigaturus, primum devenit Ephesum, ac discipulis rogantibus, ut diutius apud ipsos maneret, non adnuit;

reversurum tamen se iterum ad eos pollicetur. Et quidem peragratis Cæsarea, Antiochia Syriae, Galatia, Phrygia, atque Ecclesiis per istas, aliasque finitimas regiones in fide confirmatis, novisque fidelium accessionibus auctis, Ephesum redit, ubi tribus mensibus primum in Synagoga prædicans, dein per biennium in Schola Tyranni cujusdam, ac demum novem aliorum mensium spatio Ephesi vicinas urbes concursans, factum est, ut ex universa Asia Judæi, Græcique Christo nomen darent Pauli prædicatione, atque adeo miris a Deo per ipsum perpetratis prodigiis permoti.

XX. Jam vero vehementi in Paulum mota persecutione, fratrum consilio inde discedit profecturus in Macedoniam. Porro Epheso primum in Troadem venit, inde in Macedoniam navigat, & ex Macedonia in Græciam proficiscitur, & ex Græcia in Syriam, ac inde in Macedoniam redit, unde per Miletum, Troadem, Pataram, Tyrum, Ptolemaidem, Cæsaream, tandem Jerosolymam pervenit, nihil sibi timens malorum, quæ ipsi Jerosolymis ab Judæis parata erant.

XXI. Et sane ab Ecclesia Jerosolymitana libentissime exceptus est, ubi Jacobi consilio ad sparsam de eo calumniam depellendam (nim. quod Judæos fideles ab Legis Mosaicæ observatione recedere hortaretur) cum quatuor Judæis fidelibus, qui votum Nazareatus fecerant, Templum ingreditur, ut secundum Legis præscriptum se purificaret. Id quod minime eum juvit, Judæis in ipsum magnis clamoribus turbas concitantibus. Verum tum in ipso templo gravi oratione, tum apud magistratus, ad quos perductus est, fortiter, ac strenue suam causam tuetur; quin immo videns Festum nimis erga incredulos Judæos proclivem, adeo ut metueret sibi a Judæorum

in-

insidiis, Cæsarem adpellavit, quam adpellationem Festus admittendam censuit. Unde comitibus Timotheo, & Luca Romam versus iter adripuit; quo in itinere tum gravia patiuntur incommoda, tum vel maxime prope Melitam insulam vehementissimam tempestatem, qua omnis spes salutis ipsis ablata est. Verum Paulo ab Angelo revelatum est fisci oportere eum Cæsari, ac donavisse ei Deum omnes, qui navigabant cum ipso. Et sane licet navis procellarum vi dissolveretur; homines vero partim enatantes, partim tabulis, & fragmentis navis subvecti, salvi in terram omnes evadunt.

XXII. In Melita Insula plura ab Apostolo perpetrantur prodigia; unde oppido verisimile est nonnullos saltem ex Melitensibus Pauli sermone, ac prodigiis Christo nomen dedisse: præsertim quum tribus mensibus apud eos permanerit. Tandem multis honoribus a Melitensibus adfectus, & iis, quæ usui erant necessaria, instructus, conscensa navi Alexandrina, per Syracusam, Rhegium, & Puteolos, Romam contendit. Roma fratres in occursum Paulo prodierunt usque ad Appii forum, & Tres Tabernas; & Romæ Paulo a magistratu permissum est habitare seorsum cum milite ipsum custodiente. In Romano incolatu primum Judæis ad eum in hospitium venientibus Christum ex Lege, & Prophetis adnuntiat, dein Judæis relictis ad Gentes se convertit. Actorum Cap. XXVIII. *Mansit biennium totum in proprio conducto omnes excipiens, qui ad eum ingrediebantur, prædicans regnum Dei cum omni dicendi libertate nemine prohibente.* Quinimmo Pauli ob Christum vincula celebria facta sunt in toto Prætorio, nonnullis etiam ex Cæsaris palatio ad Christi fidem conversis. Unde scribit Hieron. Com. in Epist. ad Philem.

lem. A *Cæsare* missus in carcerem notior familie ejus factus, persecutoris domum Christi fecit Ecclesiam. Neque immemor Ecclesiarum, quas in Oriente fundaverat, Roma Epistolas misit ad Philippenses, Colossenses, ad Ephesios, aliasque Asiæ provincias, ad Hebræos, ad Philemonem.

XXIII. Jam vero expleto biennio Paulus Roma in Asiam navigat, & Colossis a Philemone hospitio recipitur: dein in Creta Insula Evangelium prædicat relicto ibi Tito, ut quæ reliqua erant, corrigeret. Tum Ephesi aliquandiu moratus, Timotheum ibi, quum inde in Macedoniam proficisceretur, reliquit, ut eam Ecclesiam, se absente, administraret. In Macedonia vero apud Philippenses permansit; sicut eis ipse antea promiserat: inde Ephesum ad Timotheum rediit: demum secundo Romam veniens a Nerone auditus, & absolutus per integrum annum omnibus Gentibus Romam confluentibus Evangelium prædicat, ac Petro in Romano Episcopatu comitem & adiutorem se adjungit (2). Atque uterque die 29. Junii celebri martyrio vitam finierunt: & Petrus quidem capite, ut expetierat, deorsum statuto crucifixus, Paulus vero gladio percussus. De Pauli in Hispanias profectio *Cap. IV.* redibit sermo.

### §. III. De S. Andrea Apostolatu.

XXIV. Andreas frater Petri, major natu, & prius, quam ille vocatus plures barbaricas regiones sua prædicatione illustravit, ut Patres antiquissimi testantur. Origenes apud Euse-

---

(2) De Romano S. Pauli Apostolatu, & Episcopatu redibit sermo Excursu III.

sebiūm (3), Hippolytus (4), Eucherius (5), aliique evocasse Scythas ad Christi fidem tradunt. Achaiam addit Hieronymus (6), Paulinus (7), Gaudentius (8), & Isidorus (9); Epirum Nazianzenus (10); Græciam Theodoretus (11), & Chrysoſtomus (12); Bithyniam, & Pontum Philaſtrius (13), & Dorotheus. Denique de S. Andrea hæc habet Sophronius: *Andreas, ut majores noſtri prodiderunt,*

(3) *Origenes apud Eusebium III. l. Thomas, ut a majoribus traditum accepimus, Parthiam sortitus est, Andreas vero Scythiam: Joanni Asia obvenit.*

(4) *Hippolytus apud Fabricium: Salutar. Lux Evangelii Cap. 5 Andreas Scythis, & Thiacibus predicavit.*

(5) *Eucherius Quest. in Act. Bartholomæus in Indos, Thomas tetendit in Parthos, Matthæus Æthiopes, Andreas Scythas prædicatione mollivit, Joannes Asiam divino sermone correxit.*

(6) *Hier. Epist. 148. ad Marcellam. In omnibus locis versabatur Dei sermo cum Thoma in India, cum Petro Romæ, cum Andrea in Achaja, cum singulis Apostolis, & Apostolicis viris in singulis cunctisque regionibus.*

(7) *Paulinus Natal. IX. S. Felicis. Hic Pater Andreas, hic qui piscator ad Argos Missus... Thessalicas fustigavit sanguine Patras.*

(8) *Gaudentius Serm. XVII. Joannes in Sebastena urbe provinciæ Palæstinæ; Thomas apud Indos; Andreas, & Lucas apud Patras Achajæ civitatem consummati feruntur.*

(9) *Isidorus Lib. de Vit. & Mort. SS. Hic in sorte prædicationis Scythiam, atque Achaiam accepit.*

(10) *Naz. Orat. XXV. Quid Paulo cum gentibus commune, Lucæ cum Achaja, Andrea cum Epiro. Joanni cum Epheso, Thomæ cum India, Marco cum Italia?*

(11) *Theodoretus in Ps. 116. Sic magnus ille Joannes Asiam a pristino errore liberavit: Sic divinus Andreas Græciam divinæ cognitionis radiis illustravit: Sic divinisimæ Philippus urorumque Phrygum errorem redarguit.*

(12) *Chrysoſtomus, sive quisquis sit vetus auctor Homilia de XII. Apostolis ad calcem Tom. VIII. recentioris editionis: Petrus hinc Romam erudit: Paulus inde Mundo Evangelium adnuntiat: Andreas Græciæ sapientes corrigit: Simon Deum docet barbaros: Thomas baptismate Æthiopes dealbat: Jacobi cathedram Judææ honorat: Marci thronum Alexandria ad Nilum complectitur: Lucas, & Matthæus Evangelia conscribunt: Bartholomæus Lycaonæ ad temperantiam instituit: Philippus miraculis conservat Hierapolim.*

(13) *Philaſtrius Heresi 88. Actus, quos Andreas fecit, veniens de Ponto in Græciam.*

runt, Scythis, & Sogdianis, & Saccis prædicavit Evangelium D. N. J. C. & in Sebastopoli prædicavit... Sepultus est autem Patris civitate Achaie cruci suffixus. Atque istæc certiora sunt, quæ de S. Andreæ prædicatione ex antiquis Scriptoribus colligere licuit. Ceterum, quæ de ejusdem ad Cappadoces, Galatas, Bizantinos, Moscos &c. Apostolatu tradant uterque Nicephorus Cpolititanus, & Calixtus, Menæa Græcorum, aliique recentiores, dubiæ prorsus fidei, atque ejusmodi sunt, iis non tantopere confidamus, uti erudite disputant Natalis Alexander, & Tillemontius.

#### §. IV. De S. Jacobo Majore.

XXV. Jacobus ob vocationem priorem *Major* dictus, Joannis germanus, Spiritus S. donis perinde ac reliqui Apostoli instructus inter Jerosolymas, vicinaque oppida majorem vitæ partem transegit, ac tandem ab Herode Agrippa Judæis gratificante capite truncatus est. Qui Jacobum ad supplicium traxit, quum ea animi præsentia, quæ Apostolum decebat, constanter nomen Christi eum profiteri animadverteret, & ipse martyrio ejus se adjungens, securi percutitur. Clemens Alex. apud Eusebium (14). De S. Jacobo Sophronius, *Jacobus Zebedæi filius*, inquit, *undecim tribubus, quæ erant in dispersione, omnibus prædicavit Evangelium.* Fortasse Epistolam Catholicam, quæ est S. Jacobi Alphæi, quæque *duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione* inscri-

---

(14) Clemens Alex. Lib. VII. Institutionum apud Eusebium II. 9. Ait enim Clemens eum, qui Jacobum judicio obtulerat, quum illum vidisset Christi fidem libere profitentem, commotum viri constantia, se quoque Christianum esse adfirmasse: Ambo igitur, inquit, simul ad supplicium ducti sunt.

seribitur, Jacobo Majori per errorem tribuit Sophronius; ac propterea animum induxit, illum duodecim tribubus, quæ erant in dispersione, Evangelium adnuntiasse. An autem Hispanias adierit, mox videbimus.

§. V. De S. Joannis Theologi Apostolatu.

XXVI. Joanni Jacobi Majoris fratri Asia fortuito obtigit: Origenes apud Eusebium (15). Vel septem ibi Ecclesias fundavit, vel jam fundatas confirmavit, rexitque, iisdemque Apocalypsim suam inscripsit: Polycrates apud Eusebium (16), Irenæus (17), Chrysostomus (18), Hieronymus (19), Eucherius (20), Nazianzenus (21), Theodoretus (22). Utrum autem Ephesi tanquam Episcopus sederit, dubium est: præsertim quum Parthis quoque Evangelium adnuntiasse indicet Augustinus (23); & Paulum Ephesios ad fidem convertisse constet, iisdemque Timotheum pastorem dedisse. Si igitur Joannes Ephesi commoratus est aliquandiu, id post Timothei obitum factum esse oportet. Et sane in Ecclesiæ persecutione sub Domitiano Romæ ab Asiæ Proconsule mis-

(15) Origenes apud Eusebium *super. n. 3.*

(16) Polycrates apud Eusebium III. 23. iisdem temporibus in Asia Apostolus ille, & Evangelista Joannes. . . Ecclesias regionis illius gubernabat, post Domitiani mortem reversus ab exilio. quod in insula pertulerat.

(17) Irenæus III. 3. Ephesina Ecclesia, quæ a Paulo quidem fundata est, Joannem usque ad Trajani tempora habuit præsentem.

(18) Chrysost. Tom. IV. in *Epist. ad Galatas*: Joannes Evangelista plurimum illic est versatus. Nam & illic fuit relegatus, & decessit.

(19) Hier. *de Script. Eccles. in Joann.* Totas Asia fundavit, & rexit Ecclesias:

(20) Eucherius *supr. n. 5.*

(21) Nazianz. *supr. n. 10.*

(22) Theodoretus *supr. 11.*

(23) August. *Quest. Evangelicarum* II. 29. Etiam illud dictum a Joanne in *Epist. ad Parthos*: dilectissimi.



missum in ferventis olei dolio illæsum substituisse scribunt Tertull. & Hieronymus (24). Tum Roma in Pathmum abiisse exulem, ibique vidisse, & scripsisse suam Apocalypsim, atque inde reducem peragrata Asia jam grandævum Ephesi ad extremam usque senectutem commoratum placidam tandem mortem obiisse, res est antiquis Scriptoribus Origeni apud Eusebium (25), Chrysofomo (26), Epiphanius (27), Augustino (28), Clementi Alexandrino (29), aliisque testatissima. Recte igitur Irenæus nuper producto loco scribit Ephesinam Ecclesiam fuisse quidem a Paulo fundatam, a Joanne vero curatam.

#### §. VI. De S. Thoma.

XXXVII. S. Thomam Apostolum apud Parthos egisse tradunt Origenes apud Eusebium (30), Eucherius (31), Rufinus (32), Socra-

cra-

(24) *Tertull. de Prescriptionibus Cap. 36.* Apostolus Joannes posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. *Idem testatur Hieron. Lib. I. adversus Jovinianum cap. 14. & Comm. in Matth. cap. 20.*

(25) *Origenes apud Eusebium III. 1.* Joanni Asia obvenerit ... qui plurimum temporis in ea commoratus, Ephesi tandem diem obiit.

(26) *Chrysofomus super. n. 18.*

(27) *Epiphanius hæres. 31.* In Asia . . . Illic adfœcia jam ætate prædicare, Spiritus S. hortatu, jubetur, & errantes a via revocare.

(28) *Augustinus Tract. CXXIV. in Joan. n.* Si cui placeat . . . adserat Apostolum Joannem vivere, atque in illo sepulcro, quod est apud Ephesum, dormire cum potius, quam mortuum jacere contendat.

(29) *Clemens Alex. Homil. Quis dives salvetur.* Eum Joannem, quum post tyranni Domitiani obitum e Pathmo Insula Ephesum rediisset, vicinas quoque gentes rogatum visisse, partim quidem ut Episcopos constitueret, partim ut integras Ecclesias disponderet, ac formaret &c.

(30) *Origenes apud Eusebium supr. n. 3.*

(31) *Eucherius supr. n. 5.*

(32) *Rufinus Lib. I. 9.* Thomæ Parthia, & Matthæo Æthiopia, eique adhærens citerior India Bartholomæo.

crates (33), Auctor Recognitionum (34), aliique. Tum Indorum Apostolum faciunt Ambrosius (35), Nazianzenus (36), Paulinus (37), Gregorius Turonensis (38), Gaudentius (39), Hieronymus (40), aliique. Æthiopes addit Auctor *Homilie in XII. Apostolos* Chrysoftomo tributæ, Persidem Venantius Fortunatus (41), & Sophronius. Theodoretus quidem scribit *Serm. IX. de Legibus adversus Gentiles* Parthos, Persas, Medos, Æthiops, Seras, Hircanos, Bactrianos, aliasque finitimas gentes Christi Evangelium suscepisse. Profecto ejusmodi Apostolatam Thomæ adscribendum tum modo indicata Patrum monumenta monstrant, tum vel maxime Pseudo-Hieronymus de Scriptor. Eccles. *Thomas Apostolus*, inquit, *quemadmodum traditum est nobis, Parthis, & Medis, & Persis, & Germanis. & Hircanis, & Bactris, & Magis prædicavit Evangelium Domini nostri. Dormivit in civitate Salaminæ, que est Indie.* Eadem pene habet Sophronius. Auctor Operis imperfecti in Matth. Chrysoftomo tributi scribit ab Apostolo Thoma tres illos Magos, qui Christum natum adoravere, fuisse bapti-

za-

- (33) *Socrates* l. 15. Thomas Parthiam. Matthæus Æthiopiam, Barcholomæus Indiam sortitione accepit.
- (34) *Auctor Recognitionum* IX. 29. Apud Parthos, sicut nobis Thomas, qui apud illos Evangelium prædicat.
- (35) *Ambrosius in Ps.* 45. Illis quidem etiam interclusa barbaris montibus regna patuerunt, ut Thoma India, Matthæo Persia.
- (36) *Nazianzen. supr. n. 10.*
- (37) *Paulinus Carm.* XXVII. Parthia Matthæum complectitur. India Thomam: Lebbaum Libyes, Phryges accipere Philippum.
- (38) *Gregor. Turon. de Gloria Martyrum Lib. I. cap. 30.* Thomas Apostolus secundum passionis ejus historiam in India passus esse declaratur.
- (39) *Gaudentius supr. n. 8.*
- (40) *Hieronymus supr. n. 6.*
- (41) *Venantius Fortunatus*: Bellica Persidos Thoma subjecta vigori, Matthæum eximium Naddarer alta virum.

44 *Antiquit. Christian. Institut.*  
zatos, ac socios in prædicatione Evangelica  
adsumtos.

§. VII. De Apostolatu S. Matthæi.

XXVIII. S. Matthæum Hebræis primum prædicasse, dein & alias regiones, distitasque gentes adiisse satis indicat Eusebius (42). Porro ipsi Æthiopiam quoque patuisse scribunt Eucherius (43), Rufinus (44), Socrates (45), Venantius Fortunatus (46), alique. Perfidem addit Ambrosius (47), Parthiam Paulinus (48), alii alias tribuunt regiones.

§. VIII. De Apostolatu S. Bartholomæi.

XXIX. S. Bartholomæum Indis citerioribus Æthiopiæ proximis divini verbi semine dispersisse, iidemque Evangelium, quod est secundum Matthæum, reliquisse testantur Pantænus Philosophus Christianus apud Eusebium (49), Hieronymus (50), Rufinus (51), Socrates (52), Philostorgius (53), Venantius

For-

---

(42) *Eusebius* III. 24. Matthæus quum primum Hebræis fidem prædicasset, inde ad alias quoque gentes profecturus, Evangelium suum patrio sermone conscripsit.

(43) *Eucherius* *supr.* n. 5.

(44) *Rufinus* *supr.* n. 32.

(45) *Socrates* *supr.* n. 33.

(46) *Venantius Fortunatus* *supr.* n. 41.

(47) *Ambrosius* *supr.* n. 33.

(48) *Paulinus* *supr.* n. 37.

(49) *Eusebius* V. 10. Quibus *Indis* Bartholomæus unus ex duodecim Apostolis, olim, ut fama est, prædicaverat, & Evangelium Matthæi hebraicis conscriptum litteris reliquerat.

(50) *Hieronymus in Catal. Scrip. Eccles.*

(51) *Rufinus* *supr.* n. 32.

(52) *Socrates* *supr.* n. 33.

(53) *Philostorgius* H. 6. Interiores Indos quotquot Christum colere ex Bartholomæi Apostoli institutione didicerunt.

Fortunatus (54), aliique. Unde constans videtur fuisse in Ecclesia de S. Bartholomæi apud Indos Apostolatu traditio, quam argumentis parum firmis in dubium vocare nititur Basnagius an. 46. num. 35. In majori quoque Armenia Albanis prædicasse, & Lycaonibus scribunt Auctor Homiliæ de 12. Apostolis, Theodorus Studites, Nicetas, aliique.

§. IX. De S. Philippo.

XXX. S. Philippus in utramque Phrygiam Christi Evangelium intulit, ac Hierapoli, quæ est Phrygiæ Pacatianæ civitas, martyrium passus est. Id quidem testantur Polycrates apud Eusebium (55), Theodoretus (56), Chrysostomus (57), Paulinus (58), Sophronius, aliique. Asiam, Syriam, Phrygiam, & Lycaoniam addunt Nicetas, Valfridus Strabo, & Menæa; at horum testimonia tanti non sunt, ut plenam fidem mereantur. Tum S. Philippum Gallis prædicasse tradunt Beda, Isidorus, aliique recentiores; at de hoc capite opportunius *Cap. sequent.*

§. X. De S. Jacobo Minore, sive Alphæo.

XXXI. S. Jacobus Minor Alphæus, Auctor Epistolæ Catholicæ ad Judæos undique dispersos, Jerosolymitanæ Ecclesiæ ab Apostolis Episcopus constitutus, eandem per annos 30. sanctissime rexit, uti auctor est Hieronymus

*de*

(54) *Venantius Fortunatus*: Inde triumphantem fere India Bartholomæum.

(55) *Eusebius* V. 24. Philippus unus ex duodecim Apostolis, qui mortuus est Hierapoli.

(56) *Theodoretus* *supr.* n. 11.

(57) *Pseudo Chrysostomus* *supr.* n. 12.

(58) *Paulinus* *supr.* n. 37.

de *Scriptoribus Eccles. Cap. 2.* Porro Jacobus Alphæus num unus, idemque sit ac Jacobus Minor Frater Domini, & cognomento *Justus*, disputant Baronius, Tillemontius, Combesius, aliique. Verum egregium Virorum Clarissimorum par, Henschenius *ad diem 1. Maij*, & Mazochius *Comment. in Kalend. Marm. Neap. ad diem 1. Maji Diatr. de tribus Jacobis*, pluribus demonstrare contendunt, tres Jacobos esse inter se omnino distinguendos, quorum primus fuerit Jacobus Zebedæi filius, Joannis frater, ex duodecim unus. Alter Jacobus Alphæi filius, item ex duodecim unus, quem non levibus de causis fratrem Matthæi fuisse volunt, qui & ipse Alphæi filius fuit. Postremus & tertius Jacobus ὁ μικρὸς *Minor*, idemque Frater Domini, & *Justus* cognomento dictus, adhæc ex Cleopha patre, Maria matre natus, Scriptor Epistolæ Canonicae. Quæ cum ita sint, Jacobus μικρὸς *Minor* Episcopus Jerosolymitanus fuit, & Epistolæ Canonicae Scriptor. Jacobus autem Alphæi Gazæ primum, dein Eleutheropoli, & in vicinis civitatibus Evangelium prædicavit, deinde apud Ægyptios versatus est, ibique Apostoli munere functus. Ita Nicætas, David Paphlago apud Nicephorum Callixtum *Lib. II. cap. 40.* aliique. Exemplaria tria Martyrologii Hieronymiani Natale S. Jacobi Alphæi Apostoli in Perside consignant. Postremo Græcia univèrsa nunquam pro ternione non militavit (59). Adis sis Mazochium, & Henschenium *indic. locis.*

## §. XI.

(59) Cur Jacobus Σεδδελφός *frater Domini* cum Jacobo Alphæi filio confunderetur in causa fuisse videtur illud Pauli ad Galatas 1. *Alium autem Apostolorum vidi ueminem, nisi Cepham & Jacobum fratrem Domini.* At Jacobum Σεδδελφόν *fratrem Domini* eadem ratione, quâ Paulus, & Barnabas, Apostolum dicere ne dubites. Unde  
sci-

§. XI. De SS. Simone sic dicto Zelote, & Juda Thaddeo.

XXXII. Simon Zelotes distinctus ab Simeone, quem in Episcopatu Jerosolymitano successorem habuit Jacobus, si fides habenda Bedæ, *Retract. in Act. Apost.* in Mesopotamiam Evangelium invexit. Ægyptum, & Cyrenem addunt Nicephorus Callixtus *Lib. II. cap. 10.* & Isidorus *de Vita & Morte SS.* Africam, Mauritaniam, & Britanniam Nicephorus ipse, & Pseudo-Dorotheus. At hæc incerta prorsus sunt.

XXXIII. Judas sic dictus *Thaddeus* Libyam Christi fide lustravit, uti Auctor est Paulinus. Pontum addit VValfridus Strabus, Mesopotamiam Beda *ibid.* tum aliis alias regiones. Verum in his sublestam Auctorum, quos de di, fidem jure quis suspicetur.

§. XII. De S. Matthia.

XXXIV. S. Matthias Æthiopiam exteriorem Christum deprædicaturus peragravit; id quidem narrantibus Sophronio, & Nicephoro Callixto *ibid. Cap. 40.* Verum enim vero Judææ primum constitisse id muneris obituum, habent Martyrologia Bedæ, Ussuardi, & Rabani.

E X.

---

scite eum Paulus unum ex Apostolis habuit, ac non unum ex duodesim.

## EXCURSUS I.

De Certamine S. Petri cum Simone Mago .

I. **C**Larissimus, ac omnigenæ eruditionis parens Mazochius noster in *Kalend. Marmor. Neap. ad diem XXIX. Jun. S. Petri cum Simone Mago certaminis Historiæ* γνησιότητα fortasse primus omnium invictissime demonstrat: cujus demonstrationis specimen hic veluti in nucleo exhibere operæ pretium duco.

II. Ac primo veterum Patrum testimonia profert ab Arnobio Afro incipiens, qui circa annum 303. suam scripsisse Apologiam creditur. Is *Lib. II.* sic scriptum reliquit: *In qua Roma cum homines sint Numæ Regis artibus, atque antiquis superstitionibus occupati, non distulerunt tamen res patrias linquere, & veritati coalescere Christianæ. Viderunt enim carum Simonis magi, & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Christo evanuisse.* Porro videt quisquis Arnobium de ejusmodi Historia loqui, tanquam de trita narratione, & pervagata.

III. Arnobio proximum ætate subnectit Cyrillum Jerosolymitanum, qui *Catech. VI. cap. 15.* sic docuit: *Quum vero Simonis error se latius spargeret, vitium illud correxit egregium per virorum Petrus, & Paulus Ecclesie ( πρὸς αὐτὰυ ) Præsides illuc profecti: qui illum ( τὸν νομιζόμενον θεὸν ) Deum putativum Simonem sese ostentantem subito mortuum repræsentarunt. Quum enim Simon se mox in cælum sublimem sablatum iri prædixisset . . . servi Dei . . . in terram præcipitem dejecerunt &c.*

IV. Legati Sedis Apostolicæ, qui id certe melius aliis noverant, neque aliis in hoc capite imponere poterant, quum de re non in  
dis-

diffita aliqua regione gesta scriberent, in ea Epistola, quam ad S. Eusebium Vercellensem scripserunt, ita hunc S. Episcopum adloquuntur: *Scit enim Dominus, & Christus ejus, quia sicut in adventu beatissimorum Apostolorum glorificatur Dei nomen in ruina Simonis; ita Valente expulso &c.*

V. S. Pacianus Epist. II. ad Symbronianum Historiam sic tangit, ut integram narrationem, tanquam vulgo notam prætereat. *Nonne, inquit, Simonem Petrus, judice adstipulante (1), confundit (2)? Num (forte Nonne, vel Non) Elymam, favente Sergio Paulus excecavit?*

VI. Epiphanius Hær. XXI. quæ est Simonianorum num. 5. *Nam si ille potentia Dei magnus est . . . quo pacto idem prestituto sibi tempore naturæ debitum reddidisse in urbe Roma reperitur, cum in Romanorum urbe media dilapsus miser interiit?*

VII. S. Ambrosius in Egesippo sive Exjospippo (quem fortasse primus omnium Ambrosio juveni, & Catechumeno plene vindicavit Mazochius noster *ibidem*) de eadem historia hæc habet: *Simon pollicetur volatum, quo supernis sedibus inveheretur . . . statuto die montem Capitolinum conscendit, ac se de rupe dejiciens volare cœpit. Tunc Petrus in medio stans, ait: Jesu Domine ostende ei vanas artes*

Tom. I.

C

tes

(1) *Judice adstipulante*: h. e. Judicem, qui certamini præfuit, designat Philastrius mox producendus, quem scribat apud Neronem regem fuisse depugnatum.

(2) Pacianus hic fractam a S. Petro Simonis impudentiam *Actor. VIII.* spectasse dici posset, nisi *td judice adstipulante* (de quo nihil *Actor. VIII.* exstat) interposuisset: tangitur igitur Romanus cum Simone conflicti. At sane familiare hoc antiquis fuit, ut ultimum hoc Petri cum Simone certamen cum illo Pauli cum Elyma congressu componerent. Sic S. Prosper in Lib. cui titulus *Dimidium temporis* Cap. 13. & Easilius Seleuciensis Lib. I. de S. Thecla, & alii.



tes suas esse... statim in voce Petri, implicatis remigiis alarum, quas sumpserat, corruit: nec exanimatus est, sed fracto debilitatoque crure Arriam concessit: atque ibi mortuus est.

VIII. Quod juvenis Ambrosius scripsit, Episcopus factus non adoptavit modo, verum & iisdem pene verbis protulit. Sic Hexaemeri Lib. IV. Cap. 8. Petrus Simonem alta cæli magico volatu petentem, dissoluta carminum potestate, dejecit, & stravit.

IX. Auctor Commentarii in Epist. ad Rom. Ambrosio æqualis ad Cap. 8. vers. 39. sic scriptum reliquit: Neque si virtus ab aliquo facta fuerit (sicut dicitur facta a Simone Mago, qui dicitur in aere sursum, ut populum Christi scandalizaret, volasse) fidem nostram debet minuere.

X. Philastrius Brixienfis ubi de Simonis hæresi, sic definit: Qui cum fugeret B. Petrum Apostolum de Jerosolymitana civitate, Romamque veniret, ibique pugnaret, cum B. Apostolo apud Neronem Regem, devictus undique oratione B. Apostoli, atque percussus ab Angelo, sic meruit interire, ut ejus magiæ evidens mendacium (volatum ab impostore tentatum intelligit) cunctis hominibus patefieret.

XI. Auctor Commentarii in omnes Psalmos incertus quidem, sed perantiquus in illud Psalmi 9. Dixit in corde suo: non movebor a generatione in generationem sine malo: sic commentatur. Non movebor a generatione carnali in generationem spiritalem (id est de terra cum corpore in cælum conscendam) sine malo: ac si dicat sine ulla injuria. Cum voluerit ascendere (Antichristus) ad montem Oliveti Dominus eum interficiet spiritu oris sui. Voluit unus de membris suis (de membris scilicet Antichristi) Simon Magus cælum conscendere, sed interiit.

XII. Scriptorum IV. seculi agmen ultimus claudat Magnus Augustinus, qui in eundem Psalmum hæc habet: *Quod quidem etiam de Simone diffamatum est* ( hoc est pervulgatum ) *cum sceleratis artibus celum se p[er]tasset adepturum, & de humana generatione in divinam generationem rebus magicis transiturum.* Et initio lib. de hæresibus de Simone sic definit: *in qua urbe ( Roma ) Apostolus Petrus eum ( Simonem ) vera virtute Dei Omnipotentis ( non falsa vi Dæmonum, qua magus pollebat ) extinxit.*

XIII. Ab Augustino prorsus sejungendus non est Casulanus Urbicus Auctor Dissertationis pro jejuniis Sabbati ab Augustino confutatae. Is apud eundem Augustinum Epist. XXXVI. Cap. 2. hæc opponebat: *Petrus etiam, inquit, Apostolorum caput, cæli janitor, & Ecclesiæ fundamentum, EXTINCTO Simone, qui Diaboli fuerat, non nisi jejuniis vincendi, figura, id ipsum ( nimirum Sabbati jejunium ) Romanos edocuit, quorum fides annuntiatur universo orbi terrarum.*

XIV. Ergo Patres IV. seculi æque Orientales, ac Occidentales concordi suffragio certaminis S. Petri cum Simone Mago Historiæ γυναικιστικῆ vindicant. Quibus si addantur æque consentientes Patrum, aliorumque Scriptorum, qui V. VI. & sequentibus seculis floruerunt, sententiæ maximum procul dubio robur argumento accedet ( 3 ) ; præsertim si observare non pigeat ( quod tamen maximopere observandum censeo ) productos Patres neminem prorsus passos fuisse adversarium, atque

C 2

adeo

( 3 ) *Quisnam prorsus ἀδελφῶν impossibile non dixerit. ut Patres Græci, Africani, Itali, Hispani &c. eodem seculo, simul vel ad eandem fabellam excogitandam conscripserint, vel ab uno excogitatam reliqui continuo adoptaverint, nemine reclamante, vel nemine advertente?*

adeo de ea re, tanquam de trita narratione, ac pervagata, fuisse locutos.

XV. At, inquires, quinam ejusmodi Historiam Patres antiquissimi præterire quiverint? quotquot scilicet a re gesta, h. e. a vergente seculo I., ad annum Christi trecentimum scripserunt. Credi ne vero potest tot Apologiarum pro Christi nomine Scriptores de tam sonoro miraculo palam Romanorum multitudine patrato fuisse tacituros, si quidem rescivissent; aut omnino ignoraturos rem tantam in urbe principe gestam, si vera fuisset? Atqui de ea filuit Tertullianus, filuit Irenæus, filuit, in quo rei caput est, Martyr Justinus, vel tum maxime, quum id referre summopere ad causam, quam agebat, intererat: scilicet *Apolog. II. ad Imperatorem, Senatam, populumque Romanum*. Ibi enim Romanos conatur suadere, ut vero cognito, (scilicet Simonem præstigiatorum fuisse) errorem valeant effugere, ac Statuam, ipsi constitutam, dejiciant (4). Porro po-

---

(4) *Rigaltius, Valesius, & Dupinius deceptum Justinum contendunt; quod ea Statua non Simoni sed Semoni Sango Deo Phidio fuerit inscripta. Et quidem an. 1574. Romæ e ruderibus emerit Statua, cui ἑμπεριον, titulus: Semoni Sango Deo Phidio. Apud Sabinos Numen hoc sanctiendis sacerdotibus, præerat. Profecto nostri instituti ratio non fuit in tuenda de Statua Simonis volatici Historia veritate puribus immorari; præsertim quam iis, quæ hoc in capite a Tillemontio prolata sunt, nihil addi, nihil demi posse videatur. Attamen nequam quandam Mozochii conjecturam prætermittere piaculum duxi. Is igitur ibid. pag. 885. sic commentatur. Augustinus in De heresibus memoria prodidit, circulatorum istum non sibi solum, sed & scorto illi impurissimo, quod Tyro abductum secum una circumferebat, erigi simulacra curasse: quam etiam sub Minervæ effigie a suis sectatoribus coli jussisse memorat Epiphanius hæresi 21. cap. 3. Huic porro mulierculæ Helenæ nomen erat: quam illam ipsam fuisse, quæ Trojani belli causa exiit, impostor, teste Epiphanio loco citato persuasit. Videtur is igitur, qua arte concubinae suæ divinum cultum adseruit, eadem & ad divinos sibi honores comparandos usus. Et ut Helenam quidem suam, eandem illam a Grecis decantatam suaderet, nihil aliud apud inc-*

poterat ne eo loci Martyr Justinus majus ul-  
lum ad demonstrandam signi καδ α'ρσιν argu-  
mentum urgere, quam quod hunc ipsum ne-  
bulonem in ostentum divinitatis volare magi-  
cis incantamentis adortum Petrus ex alto sum-  
ma cum ignominia deturbasset? Ejusmodi au-  
tem Justini silentium totam de Simonis vola-  
tu narrationem commentitiam præferre quis  
non fatebitur?

XVI. Porro causæ plures incidere potue-  
runt, cur id fortasse nesciverint. Ac Justinum  
quod spectat ( de Irenæo enim, Tertulliano,  
& aliis ab Justini ore pendentibus minus mi-  
randum ) 1. Acerba tunc temporis insectatio-  
ne sæviante haud libere invicem consuevisse  
Christianos necesse fuit.

2. Ex gravissimorum Patrum sententia pri-  
mi Christiani parum pensi duxerunt res gestas  
ad posterorum memoriam scriptas transmittere,  
de colendis maxime, atque instillandis Chri-  
stianæ vitæ institutis solliciti.

3. Si quid ante Justinum de Simone vola-  
tico conscriptum exstabat, id sive in abdito  
retrusum jacebat, sive ( quod non raro acci-  
dit ) ab Roma in alias terras avectum ab ali-  
quo harum rerum studioso fuerat ( 5 ). Qui

C 3

igi-

ineptum vulgus, quam nomen valuit: nec mihi crede  
aliud quam nominis convenientia suavit, uti se eundem il-  
lum Deum faceret, cui *Semoni Sango* nomen erat. Id ve-  
ro ex eo quoque suaderi potest, quod per ea tempora Im-  
peratores aliique clari viri, hujus aut illius Dei nomine  
ab adfentatoribus cohonestabantur: sicuti & pluries Au-  
gustæ Dearum nomina adsumebant: de quo vide Fabretum  
de Col. Trajana pag. 247. Id quum a Græcis fiebat, De-  
illius nomini νεος, aut νεω ( *novus, nova* ) addi solebat.  
Cujus moris exempla in Phil. Bonarotio in Observat. ad  
maximi moduli numismata, & apud alios reperies. Ita-  
que si statuae Simonis Magi Græca inscriptio subjecta fuis-  
set: ea forsitan sic incepisset. ΣΗΜΩΝΙ ΝΕΩ, &c. *Se-  
moni novo.*

( 5 ) Est pervagatissima illa S. Gregorii M. narratio de  
Oriens.

igitur mirum, si Justinus homo advena, quæm Apologiam Romæ conscriberet, eam de Mago narrationem ignoraverit?

XVII. Jam vero neque triam priorum seculorum silentium plane constat, Et sane Dio Chrysofostomus, qui ineunte altero Christi seculo claruit, in *Orat. XXI.* quæ de *Pulchritudine* inscribitur, quum quædam de Neronis infania, qua res impossibiles fieri jubebat, præfatus esset, addit: *Hac vero parte maxime excellere Nero, nec adeo illi, quisquam de re ulla, quamcunque dixisset, contradicebat, aut impossibile quod dixisset, esse affirmabat; ita ut etiam si quem forte volare jussisset, & ille id ei sponderet, & multo tempore intus apud eum in aula, tanquam volaturus, nutrireretur.* Tum Suetonius in Nerone Cap. 12. paucis rem dat: *Icarus primo statim conatu juxta cubiculum ejus Neronis decidit, ipsumque cruore respersit.* Profecto nemo non videt utrumque Historiographum Simonem respexisse, atque adeo rei exitum, nimiram volatum, ac subitum in terras dilapsum, quem Dio tanquam ab suo proposito alierum tacuit, Suetonium paucis, at satis tetigisse.

XVIII. Tum Auctor Constitutionum Apostolicarum, quem haud serius III. seculo prodidisse tum *ibidem* demonstrat Mazochius, & eru-

---

*Orientalibus Christianis, qui paulo post SS. Petri, & Pauli passionem Romam profecti, eorum sacras reliquias in Orientem auferre adorti fuerint. Ac perfecissent, nisi iis Romani fideles restitissent. At qui sacra Lipsana prope rapuerant, eos etiam quidquid de Apostolis hisce scriptum repererunt, surripuisse, ac secum, quod omnium facillimum fuit, asportasse credibile est. Hinc prima certaminis hujus mentio, ac Simonis ex alto dejecti apud Græcum scriptorem reperitur, Constitutionum scilicet Apostolicarum Auctorem (qui ut infra monebimus, haud serius tertio Christi seculo suas dixisse scripsisse videtur) post quem Cyrillus Jerosolymitanus, alique turmas in Græci id scripto postea tradiderunt. Mazochius ibidem.*

eruditissimus Albaspinæus jam notaverat (6); volantis Simonis his meminit; semel Lib. II. cap. 14. his verbis: *Hic vero Simon præter naturam volitans, elisus est.* Iterum vero Lib. VI. cap. 9. copiose rem gestam narrat, & quidem in eum prope modum, quo ab Ambrosio in suo Ex-josippo narrari jam supra observavimus.

XIX. Quid quod haud levem ipsi antiqui Patres in narratione efferunt circumstantiarum discrepantiam? Veluti illud est, quod Petri oratione dejectum Simonem Ambrosius, Philastrius, Augustinus, & alii memorant: at Petro oranti Paulum comitem adjungunt Cyrillus Jerosol. & Maximus. Item illud, quod alas tanquam Icarias Simoni adplicant Ambrosius, Maximus, &c. at Arnobius ignearum quadrigarum, & currus meminit. Cyrillus *ὄχιματός vehiculi*, alii universe vi dæmonum raptum Simonem agnoscunt. Verum, uti rectissime observat *ibidem* Mazochius, ex his, aliisque ejusmodi narrationum dissidiis, quantacunque ea sint, nihil aliud colligitur, nisi rei gestæ summam, utpote tot testimoniis confirmatam, fuisse verissimam, eamque facile brevi aliquo commentario fuisse comprehensam; cetera vulgi sermonibus fuisse jactata, cui familiare est plura addere, remque unam pro locorum, temporumque diversitate aliter, at-

C 4

que

---

(6) De Constitutionibus Apostolicis *quædam præfert judicium Vir eruditissimus Gabriel Albaspinæus Lib. I. Observat. 13.* Sunt tamen illi Canones, Constitutionesque antiquissimæ, multa in illis excellentissima, & magni ponderis continentur. Nec dubio, quin olim Græcæ Ecclesiæ pro legibus, Manuali, Pontificali, Rituali, ut vocant, codice fuerint. . . . De Constitutionibus porro istis nemini dubium esse debet, quin probus juxta, & antiquus liber sit &c. *Igitur Eusebii Collectio fortasse vel exunte III. vel IV. incunte seculo confecta est; quæ autem complectitur antiquissima sunt, vel ex vetustioribus Scriptis, vel ex ubique receptis Træxadoῦσσι traditionibus deprenta.*

que aliter narrare. Adhæc inter sanioris Artis critices regulas illa ipsi Joanni Clerico præcipua habetur, nimirum Historiam idoneis testibus satis probatam ab circumstantiarum discrepantiis, quæ in horum narrationibus essent, nihil prorsus detrimenti accipere.

## EXCURSUS II.

## De S. Petro unico Ecclesiæ Capite.

I. **Q**uid huic quæstioni locum dedit? I. Quædam Scripturæ loca, maxime ipsius Pauli Apostoli in *Epist. ad Galatas*, & in *Epist. ad Ephesios* (1) in quibus prædicatio verbi ad omnes gentes, & sollicitudo omnium Ecclesiarum a Christo mandata videtur Paulo æque ac Petro.

2. Quædam Patrum loca, quæ æqualem Petro Paulum, atque indivisam veluti auctoritatem ponere in utroque feruntur (2), adeout duo.

(1) *II. ad Corinth. XI.* Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.

*Ad Galat. II.* Qui operatus est Petro in Apostolatam circumcissionis, operatus est & mihi inter Gentes . . . quum venisset Cephas Antiochiam; in faciem ei restiti.

*Ad Ephes. III.* Gentes esse coheredes, & concorporales, & participes promissionis ejus in Christo Jesu per Evangelium: cujus factus sum minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis ejus. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, & illuminare omnes.

(2) *S. Irenæus Lib. III. Cap. 3.* Ecclesia Romana a sanctis Apostolis Petro & Paulo instituta est, ac fundata.

*Epiphanius Hæresi XXVII.* Romæ primi omnium Petrus & Paulus Apostoli pariter, & Episcopi fuerunt.

*S. Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi VI.* Petrus & Paulus Capita Ecclesiæ.

*S. Joannes Chrysostomus Hom. XXX. in Epist. ad Rom.* Petrum & Paulum oculos Romæ, & Sanctorum Coryphæos indistincte adpellat.

duo caput unum Ecclesiæ totius efficere videantur.

3. Quædam Pontificum dicta, quibus in suis Constitutionibus sese successores Apostolorum Petri, & Pauli, & auctoritatis utriusque hæredes esse testantur; eoque contumaces indignationem Petri, & Pauli subituros denuntiant (3).

II. Soluturi hunc nodum diversas in partes abiere Theologi: alii Petrum ultro sibi Paulum adscivisse in regimen totius Ecclesiæ dicunt, ut socium & comitem; alii ut Vicarium & delegatum. Alii duos in eadem Urbe constituunt Episcopos, Petrum Judæorum, Paulum Gentium, reservata tamen Petro prærogativa Primatus. Quidam ulterius progressi eo usque deveniunt, ut Primatum utrique communem faciant; sola Petro ætatis, conversionis, ordinationis prærogativa attributa.

III. Socium & comitem Petro Paulum nemo negaverit. Igitur id tantum in quæstionem cadit, an inter Apostolos socios & comites Petrus auctoritate sit primus ac princeps.

IV. Vicarium qui faciunt, longe ab ejus

C 5

æta-

S. Leo Serm. I. de Natali Apostolorum Petrum & Paulum vocat Romanæ Urbis Patres, ac Pastores.

S. Gregorius M. Lib. I. Dialogorum cap. 12. Paulus, inquit, Apostolus Petro Apostolorum primo in principatu Apostolico Frater.

S. Ambrosius Serm. I. al. XXVIII. eosdem Apostolos Capita martyrum, & Principes Sacerdotum vocat.

Auctor Commentar. in Epist. Pauli sub Ambrosii nomine vocat Paulum unanimem Petro, & Coapostolum; & Primatus gratiam Paulo concessam, ac, sicut & Petro

S. Maximus Turinensis Serm. V. in sexto Apost. Principes Ecclesiarum, & fidei Christianæ &c.

Sacramentarium S. Gregorii M. in Fests. SS. Petri, & Pauli. Deus, qui ligandi, solvendi que licentiam tuis Apostolis Petro, & Paulo contulisti.

(3) Paulus III. in convocazione Concilii Tridentini sic loquitur: Auctoritate Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, qui nos quoque in terris iungimur, &c. Eadem respicit Paulus IV.



ætatis more discedunt, & ad sequiores ætates conjiciunt oculos. Cui enim ex veteribus Episcopo Vicarius constitutus? Atqui constitutus fuisset exemplo Principis Apostolorum.

V. Episcopos in eadem Urbe qui duos faciunt, haud improbabilia sentiunt: sed hæc explicandis Scripturæ, & Patrum locis satis non sunt; ut sufficiant explicandis Pontificum dictis.

VI. Qui Primatum jure divino ex æquo communem utrique faciunt, hi nimium a veritate deflectunt, ac transversim rapiuntur, & cum nodum solvere nequeant, secant. Uni Petro primum claves promissæ a Christo sunt: *Matth. XVI. 19.* Uni pascendi & agnos, & oves cura mandata est: *Joann. XXI.* super unam hanc Petram ædificatam Ecclesiam Christus docet: *Matth. XVI. 18.* & quidem hæc omnia nullis finibus, nullis terminis, nullis clausulis circumscripta; sed ubique, sed semper, sed super omnes extensa, antequam Paulus vocaretur, dum adhuc in tenebris delitesceret. Atque universalis potestas hæc, universale regimen his verbis expressum est: aliunde vero *sine pœnitentia sunt Dona Dei*: *Ad Roman. XI. 29.* Ergo & Paulo converso ad fidem, adsumto in Apostolatam, deminuta in Petro universalis potestas illa non est. Fuisset autem, si Paulus ab ejusmodi potestate, ac regimine subtraheretur, & in consortium principatus adscisceretur: quando indivisa potestas minor semper in duobus, quam tota in uno est.

VII. Cyprianus, Optatus Milevitanus, Hieronymus, & Augustinus (4) duo simul certif-

---

(4) *S. Cyprianus Lib. de Unitate Ecclesie*: Hoc erant utique ceteri Apostoli, quod fuit & Petrus, pari consortio præditi honoris, & potestatis, sed exordium ab uni-

tissima ponunt in Petro; pari quidem consortio honoris, & potestatis Apostolos præditos fuisse, sed originem unitatis a Petro exorientem: ex æquo quidem super omnes Apostolos Ecclesiæ firmitatem fundatam, sed caput in Petro constitutum: æqualia Apostolis munia commissâ, sed Primatum Petro datum, ut Ecclesia una, cathedra una, communio una monstraretur; scilicet ne singuli Apostoli suam sibi Ecclesiam, suam sibi cathedram adferrent a Petri communione alienam, a Petri unitate divisam.

VIII. Omnibus quidem Apostolis commune fuit, per universum Orbem, ut præcones, Evangelium salutis adferre, ut testes mysteriorum qua Judæos, qua gentiles in fide erudire, sacramentis pascere, Episcopos præficere, Ecclesias instituere, censuris in reos animadvertere. Quod vero eximium Petri jus? Num ut de Apostolorum persona iudicium ferat? corrigat? plectat? nihil alienius a statu Apostolorum, qui ab ipso Christo edocti, & Spiritu Sancto repleti nullam præbuere materiam iudicio, emendationi, censuræ.

IX. Sed duo præ ceteris Apostolis habuit

C 6

Pe-

tate proficiscitur, & Primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstraretur.

*Optatus Milevitanus Lib. I. contra Parmenianum*: Bono unitatis Beatus Petrus . . . præferri omnibus Apostolis meruit, & claves regni caelorum communicandas ceteris solus accepit. Et *ibidem Lib. II.* In qua una Cathedra Petri unitas ab omnibus servaretur; ut jam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra unica est, quæ est prima doctoribus.

*S. Hieronymus Lib. I. adversus Jovinianum cap. 14.* Licet cuncti Apostoli claves Regni caelorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio.

*S. Augustinus Tractatu CXXI. in Joann. cap. 17.* In typo Unitatis Dominus Petro dedit potestatem, ut id solveretur in terra, quod ille solvisset.

Petrus. 1. Ut omnes cum eo tanquam primo, tanquam centro communionis, tanquam principio unitatis, communionem retinere deberent, & ipsi qui instituebant per orbem Ecclesias, & ipsæ ab iis institutæ per orbem Ecclesiæ: adeo Petro subjectas, ut Capiti, non aliis redderent.

2. Ut causas communes ad universalis Ecclesiæ disciplinam pertinentes Apostoli ad eum, tanquam ad Collegii Principem, discutendas referre tenerentur.

X. Patet primum quod uni commendatum prius, quod post omnibus datum, uni cura mandata, quæ post aliis dispertita, super uno fundata Ecclesia, quæ super alios deinde superstructa; adeo ut nec legitimus Pastor, nec legitimus cœtus agnoscendus, qui esset a Petri communionem divisus: & ei adhærere Ecclesiæ deberet quisque, quæ super hanc Petram esset ædificata.

XI. Patet alterum, quod Paulus & Barnabas quæstionem ortam de necessitate legalium ad Petrum in Concilio retulerint: *Actor. XVI.*

XII. His constitutis, quod Petri, & Pauli præ ceteris consortium? 1. Non id habuit Paulus, ut ipse fons unitatis, centrum communionis esset aliis, vel ut alii Paulo, quas instituebant Ecclesias, subjicerent, ut Paulo in Concilio causas majores deferrent. Ergo in Primatu consortium nullum: Probatur I. Quod Paulus conversus ad fidem venit videre Petrum, alium vero Apostolorum vidit neminem: *Ad Galatas I.* cum eo contulit Evangelium, quod prædicabat, cum eo dexteram iunxit: *ibidem II.* non vero Petrus aut Paulum convenit, aut cum eo contulit, aut dexteram ab eo petiit.

2. Quod jam erat supra Petram ædificata Ecclesia, quam Paulus Petrum adiit, jam  
cla-

claves promissæ, jam confirmandi fratres cura Petro mandata. Ergo Paulus ei nomen Ecclesiæ dedit, quæ super Petrum constituta; clavium particeps fuit, quarum potestas integra jam Petro data; inter fratres numeratus sub eo, cui cura confirmandi fratres commissa jam erat.

XIII. Num in fundanda Romana Ecclesia parem cum Petro patrem sortitus est? minime gentium. Jam Petrus Evodio Antiochiæ relicto Romæ fundaverat Ecclesiam, jam Romanorum fides adnuntiabatur universo mundo, antequam Paulus Romam adiret: testatur id Paulus ipse Epist. ad Romanos *Cap. I.*

XIV. Quid ergo præ ceteris Apostolis Paulus a Domino accepit? hoc tantum, ut Vas electionis esset, ut portaret Christi nomen in gentes, in reges, in regna, usque ad extremum terræ, ut denique Apostolus Gentium præcipue esset, uti Petrus Circumcisionis præcipue Apostolus erat. Hinc comes, & socius Petro Romæ fuit in adgregatione illius Ecclesiæ, ut quam ex Judæis primum conflaverat Petrus, ipse ex Gentilibus augetet, amplificaretque.

XV. Sed in hoc ipso subordinationem Pauli ad Petrum ad oculum cerne: Judæorum natio radix sancta; ex ea primum componenda Ecclesia: huic radici gentiles inferendi, ut rami; sed radici caput Petrus: ergo & ramis. Nam rami ad radicem pertinent, & radix ramos portat, non rami radicem, ut ait Paulus. Ergo & Paulus, quos undique congregabat Gentiles, huic Ecclesiæ, huic Capiti subiciebat.

XVI. Ergo duo Capita in Ecclesia Romana ex equo constituere a verbo scripto, & tradito alienum est, & Primatum Petro proprium, in necessitate communionis, & re-

la-

62 *Antiquit. Christian. Institut.*  
lationis cunctis imposta situm, adprime con-  
vellit.

#### C A P U T IV.

De Evangelii per Regiones Occidentales  
Propagatione.

§. I. De Evangelii per regiones Occidentales  
Propagatione generatim.

I. **E**X iis, quæ prioribus hisce Libri I. Ca-  
pitibus *διὰ βραχίους* breviter quidem,  
at non jejune de Evangelii propagatione pri-  
mum generatim, dein & speciatim disseruimus,  
perfecto colligere cuius datur, regiones orien-  
tales, & barbaricas Apostolorum potissimum  
præconio ad Christi fidem fuisse evocatas.  
Hoc autem ipsum de regionibus occidentali-  
bus, si Romanam excipias, quis eodem jure  
audeat pronuntiare, quum tanta monumeto-  
rum inopia laboremus, ut tentando potius,  
& conjiciendo certi quidquam ex veteribus  
extendere vix, aut ne vix quidem valeamus?  
Jam vero quum instituti nostri ratio haud pa-  
tiatur, ut hujusmodi argumentum, quod no-  
stra magis interest, intactum prætergrediamur;  
abs re equidem futurum non putamus, si quæ  
certiora, aut duntaxat minus dubia videntur  
monumenta unde colligentes, ea *ἀκριβήτως*  
*sincere*, atque ex ordine proferamus, quo ca-  
put istud adcuratissime, quoad ejus fieri po-  
test, pertractetur.

II. Ac primo illud generatim observare  
omnino juvat ex monumentis *Cap. I.* produ-  
ctis certo effici, colligique, altero Ecclesiæ  
læculo per omnes Occidentis provincias Evan-  
gelium jam plene fuisse disseminatum. Et sane  
ut omittamus Patrum Apostolicorum, immo  
& an-

& antiquissimorum *Ἐθνικῶν* gentilium Histori-  
 corum testimonia, quibus Christi fides ipso  
 apostolico ævo per omnes omnino vel lon-  
 ge distitas regiones evulgata evincitur; pro-  
 fecto Irenæus, & Tertullianus mentionem  
 expresse injiciunt de Ecclesiis in Germania,  
 Gallia, Hispania, Britannia, Dacia, Africa,  
 & Italia jamdiu constitutis. Irenæus Lib. I.  
 cap. 3. *Et neque hæc, inquit, quæ in Germa-  
 nia sunt fundatæ Ecclesiæ, aliter credunt, aut  
 aliter tradunt; neque hæc, quæ in Celtis, ne-  
 que hæc, quæ in Oriente &c.* Tertull. *adversus  
 Judæos cap. 7.* „ In quem alium universæ  
 „ gentes crediderunt, nisi in Christum, qui  
 „ jam venit? Cui enim & aliæ gentes credi-  
 „ derunt, Parthi, Medi . . . immorantes Ægy-  
 „ ptum, & regionem Africæ, quæ est trans  
 „ Cyrenem, inhabitantes Romani & incolæ,  
 „ tum & in Jerusalem Judæi, & ceteræ gen-  
 „ tes: ut jam Getulorum varietates, & Mau-  
 „ rorum multi fines, Hispaniarum omnes ter-  
 „ mini, & Galliarum diversæ nationes &  
 „ Britannorum inaccessa Romanis loca, Chri-  
 „ sto vero subdita, & Sarmatarum, & Da-  
 „ corum, & Germanorum, & Scytharum, &  
 „ abditarum multarum gentium, & Provin-  
 „ ciarum & Insularum multarum nobis igno-  
 „ tarum, & quas enumerare non possumus.“  
 Constat igitur de Christi fide ipsa pene Apo-  
 stolica ætate ab omnibus prorsus Occidentis  
 Regionibus jam plene recepta; unde non  
 abs re quisque colliget partim per Apostolos  
 ipsos, partim per Christi discipulos, aliosque  
 Apostolicos viros Occidentis provincias, quæ  
 jamdiu in umbra mortis contempultæ detine-  
 bantur, Evangelii lucem aliquando tandem  
 adspexisse. At non pigeat paucis in singulas  
 inquirere nationes.

§. II. *De Prædicatione Evangelii per  
Britanniam.*

III. Jam inde ab ævo Apostolico Britanniam Christi fidem suscepisse indicat plus vice simplici productum Tertulliani testimonium: *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita.* Tertulliano concinunt Eusebius (1), & Chrysostomus (2), quorum aureo contra non cara monumenta illud quoque haud obscure indicant, Apostolico scilicet præconio ad Christi fidem Britannos primum fuisse evocatos. Neque omittendus Clemens R. *Epist. I. ad Corinth.* ubi scribit: *Paulum Apostolum in justitia mundum universum instituisse, & ad Occidentis terminos venisse: καὶ ἐπὶ τὸ πέραν τῶν ὄψεως ἐλθεῖν*: terminos enim Occidentis Britannicam Insulam designare haud levibus conjecturis ducti contendunt Britannicarum Antiquitatum Scriptores. Igitur tota in eo versatur quæstio: nimirum cuiusnam Apostolo, Apostolicove viro Britannicus Apostolatus sit adscribendus.

## IV.

(1) *Eusebius Demonstr. Evang. Lib. II.* At vero apud omnes nomen Jesu prædicare, admirabiliaque illius gesta & in urbibus, & in agris docere: & alios quidem eorum Imperium Romanum, ipsamque omnium urbium reginam civitatem invadere, alios Persarum &c. . . . alios porro trans Oceanum evasisse ad eas insulas, quæ Britannica vocantur.

(2) *Chrysostomus Orat.* Quod Christus Deus *Tom. I. Edit. Nov. pag. 575.* Cogita quantum sit totum orbem tam brevi tempore Ecclesiis replevisse, tantas convertisse gentes, ut paternis solutis legibus radicatam consuetudinem evellerent, ubique altaria excitarent in regione Romano- rum, Scytharum, Maurorum, Indorum. Quid dico? vel extra orbem nostrum. Nam & Britannicæ insulæ, quæ extra hoc mare sitæ sunt, & in ipso Oceano, vim Verbi senserunt: illic enim Ecclesiæ, & altaria erecta fuere. *Placuit integra istæ Eusebii, & Chrysostomi testimonia exscribere, quippe quæ rem, de qua agimus, illustrant quam maxime.*

IV. Simonem Petrum duodecim quidem annis esse versatum in Oriente, viginti autem & tres annos transegisse Romæ, in Britannia, & in reliquis civitatibus occidentalibus tradit Eusebius apud Metaphrastem: *Comm. de Petro, & Paulo ad 29. Jun.*

V. Simonem Zelotem ad Occidentalem Oceanum, Britannicasque insulas Evangelii doctrinam pertulisse tradit Nicephorus Callix. *Lib. II. cap. 14.* Eundem in Britannia crucifixum, occisum, & sepultum esse auctor est Dorotheus in *Synopsi*, & tradunt Græcorum Menologia. At Martyrologia latina in Perside martyrium subiisse afferunt.

VI. Jacobum Zebedæi de Hispania reducem Britannis quoque prædicasse testatur, qui Flavii Lucii Dextri larvam sibi imposuit in *Chronico ad an. 41.* Verum id ad Hibernos potius spectare mox videbimus. At istæ hæc levibus innixa sunt conjecturis, dubiæque fidei monumentis. Gravior videtur disputatio de Paulo, & de Josepho Arimatheensi.

VII. Et sane de Gentium Apostolo Theodoretus in 2. *Timoth. IV.* hæc habet: *Quando adpellatione usus Romam a Festo missus est, defensione audita fuit absolutus, & in Hispaniam profectus est, & ad alias gentes excurrens eis doctrine lucem adtulit.* Et in *Pl. II 6.* *Insulis, que in mari jacent, utilitatem adtulit.* Hæc sane Theodoreti verba de Britannicis oris intelligenda clarius videntur, quam ut demonstrari possit: præsertim quum Venantius Fortunatus, qui VI. Seculo floruit *Lib. III. de Vit. S. Martini* de eodem Apostolo canat:

*Transit Oceanum, vel qua facit insula  
portum,  
Quasque Britannus habet terras, quasque  
ultima Thule.*

Idem



Idem quoque subindicat S. Clemens R. *nuper producto loco.*

VIII. Josephum ab Arimathea nobilem Decurionem, comite Aristobulo, qui unus fuerat ex LXX. Christi discipulis, Britanniam Evangelii fulgore collustrasse vetus fert Britannica Traditio apud Baronium *ad an. 35.* Pearsonium *de Tribus Angliæ Conversionibus,* Michaellem Alfordum *Ann. Eccles. Britann. ad an. 53.* aliosque complures Britannicos Archæologos.

IX. At id sibi persuadere haud potuerunt Usserius *de Ecclesiarum Britann. primordiis,* & Stillingfleetus *de Originib. Britann.* aliique, ac præsertim Basnagius, qui *Lib. de Rebus Sacris ad an. 35. pag. 27.* Traditionem illam inter fabulas amandandam pluribus contendit: & quidem 1. Altum de Episcopatu Josephi in Scriptura, vetustisque Annalibus silentium: immo, quod magis mirere, tanti viri dignitas, & munus vigilantes totius Antiquitatis oculos effugit.

2. Alienum a Christi moribus fuit, ut amplissimos Senatores crearet in Episcopos, ne sapientiæ, eloquentiæ, ac dignitatis mortalium lætos quis referret acceptos Evangelii fructus: aureas hanc in rem Chrystostomi & Theodoretii sententias vide inferne adnotatas (3).

3. Ex Sacris utriusque Fœderis litteris nefas

(3) *Chrystostomus Orat. in Gentil.* Mira virtus erat piscatorem, publicanum, pellionem nudis præceptis mortuos suscitare, morbos pellere, mortem ambigere, Philosophorum linguam mutam facere, Rhetorum ora constringere, apud Principes, & Reges versari, Barbaris, Græcis, & universo humano generi imperare: Nam & hoc illi verbo perfecerunt.

*Theodoretus Lib. VI. de curandis Græc. aff.* At nostri piscatores, ac publicani, sutorque ille noster cunctis nationibus legem Evangelicam detulerunt, neque solum Romanos, qui sub Romano vivunt imperio, sed Scythas quoque,

fas fuit Judæo ad alienigenam accedere, antequam gentibus, Christo jubente, fidei referretur ostium, quod, Josepho ad Britanniam adpellente, nondum contigerat.

4. Britannicarum Insularum mentio a Patribus non semel agitata fuit; nemini vero Josephus ab Arimathea Anglicanæ fidei parens est habitus.

5. Demum alios a Josepho Britannici Christianismi auspices Traditio suppeditat: scilicet inito Pontificatu Eleutherius statim epistolam accepit a Lucio Rege Britanno, qua rogabatur, ut se, ac suos in numerum Christianorum reciperet. Quare Fugatum, & Damianum viros optimos eo misit, qui Regem ipsum, ac populum baptizarent: quæ Platina ex Beda transcribit. Profecto Lucio nihil opus fuisset ad Eletherium scribere de mittendis Evangelii præconibus, si Josephus in Angliam pedem intulisset; quum doctrinæ episcopatusque sui plurimos pastores hæredes reliquisset. Hactenus Basnagius.

X. Modo indicatum Fugatii, & Damiani Britannicum apostolatam sunt qui tuentur, sunt qui rejiciunt. Negant Spanhemius, & Basnagius antiquiorum Patrum potissimum silentio innixi; atque ob Bedæ, aliorumque, qui eam referunt historiam, in ea exponenda dissonantiam. At contra qui tuentur, longe majores numero sunt, doctrina, eruditione, ac rerum sacrarum scientia clarissimi. Eorum porro rationes præcipuæ sunt. I. Autor Pontificalis, quem medio sæculo VI. scripsisse eruditi contendunt, Beda, tum *Hist. Angl. Lib. I. Cap. IV. tum in Compend. Hist.* alii-

que, & Sauromatas, Indos præterea, Æthiopas, Persas, Scythas, Hyrcanos, Britannos, Cimmericos, utque semel dicebatur, nationes omnes induxerunt Crucifixi leges accipere.

alique haud recentes Historiographi, quorum collecta testimonia reperies apud Usserium *ibid. Cap. 3.* omnes unanimi consensione Lucii ad Eletherium Epistolam, & susceptam a Britannis ejusdem Pontificis opera Christianam religionem testantur. Quod vero antiquiores Scriptores ejusmodi historiae caput non retulerint, illud in causa fuisse contendunt, quod de Britannicis Ecclesiis data opera nunquam egerint.

2. Vetusta quaedam ab Usserio exhibentur numismata *ibidem*, argenteum unum, aureum alterum, quod Christiani Regis imaginem praefert, & litteras quasdam, quae *LVC.* denotare videntur.

3. Quod vero Beda, alique veteres in constituenda Britannicae per Lucium conversionis epocha, tum & in ejusdem exponendis *περι τῶν σασι* circumstantiis dissentire inter se videantur, id agenti sententiae haud officit, quum magna sit eorundem in Historiae summa consensio.

4. Britanniae Insula, uti ex Caesare, Diodoro, Tacito, Pomponio Mela, aliisque colligitur in multa, ac diversa regna tributa erat, quibus diversi Principes imperabant. Porro in ea Insulae parte Lucius omnino regnasse dicendus est, quae a Romanis subacta fuerat, uti ex ipso Lucii nomine videre est, quod certe Romanum, non barbarum est. Et sane imperasse in ea parte Reges, qui tributum Romanis pendebant, auctor est Tacitus (4). Adeundi Usserius *ibid.* Tillemontius *Mon. Eccles. Tom. III.* alique.

XI.

---

(4) Tacitus *Annalium Lib. XIV. cap. 31. tradit.* Regem Irenorum Prasutagum longe opulentia clarum Neronem heredem scripsisse, tali obsequio ratum regnum, & domum suam procul injuria fore. *Et in Vita Julii Agri-*

XI. Igitur Britannia primum ab Apostolis ; Apostolicisque viris , dein & ab Eleutherio christianam fidem edocta , eandem postea paulatim maximopere auctam , & mirifice florentem ad V. usque sæculi finem servavit. Id probant tum Martyres quamplurimi , qui ibidem , Diocletiano Imperii Romani clavo adsidente , pro Christi fide tuenda mortem oppetiere ; tum magnus Ecclesiarum per varias Insulæ regiones constitutarum numerus , quarum Episcopi haud pauci doctrina , ac pietate insignes variis Synodis , præcipue Nicænæ , Sardicensi , & Ariminensi interfuere , atque pro fide Orthodoxa , adversus hæreticos strenue decertarunt ; tum demum & Gildas antiquissimus Britannicus Scriptor ( 5 ).

## XII.

*col.:* Redacta in formam provinciæ pars proxima Britanniz . Quædam civitates Cogiduno regi donatæ , is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit , vetere , ac jam pridem recepta Populi R. consuetudine , ut haberet instrumenta servitutis , & reges .

( 5 ) *Gildas Histor. Angl. pag. 3. Tom. I. Script. Histor. Britan.* Interea glaciali frigore rigenti Insulæ , & velut longiore terrarum recessu Soli visibili non proxima , verus ille Sol . . . præfulgidum sui coruscum ostendens , tempore , ut scimus , summo Tiberii Cæsaris ( quo absque ullo impedimento ejus propagabatur religio , comminata Senatu nolente a Principe morte delatoribus militum ejusdem ) radios suos primum indulget , idest sua præcepta Christus . Quæ licet ab incolis tepide suscepta sunt , apud quosdam tamen integre , & alios minus usque ad persecutionem Diocletiani tyranni novennem . . . permansere ; tunc quanta fuga , quanta strages , quanta diversarum mortium , quanta religionis apostatarum ruina , quanta gloriosissimorum Martyrum corona . . . Magnificavit igitur misericordiam suam Deus nobiscum , qui gratuito munere superaddito , ut cognovimus , persecutionis tempore , ne crassa atræ noctis caligine Britannia offuscaretur , clarissimas lampades Sanctorum Martyrum nobis accendit , quorum nunc Corporum sepultura , & passionum loca , si non lugubri devotione barbarorum quamplurima ob scelera nostra civibus adimerentur , non minimum intuituum mentibus ardorem divina caritatis incuterent . *Gildam vel exunte V. Seculo , vel ineunte VI. scripsisse demonstrant eruditi ; & ipsa Authoris scriptio sat indicat .*

XII. Haud negandum Christi fidem in Britannia quosdam veluti passam fuisse vicissitudines: præsertim ob Pelagii teterrimam pestem, quem Britannum fuisse comperta res est. At illud quoque nemo inficiabitur Pelagianos errores non diu in Britannia viguisse; quum opera vel Fastidii Britannici Episcopi, vel S. Germani e Gallia illuc contendentis statim fuerint extincti. Usserius *ibid. pag. 171. & 174.*

XIII. Præterea medio circiter seculo V. Angli, & Saxones Germaniæ populi universam pene insulam occupantes eandem suæ ditioni subjecere. Unde e Britannis plerique paratis navibus alio commigrarunt, reliquis dein ab ipsis Anglo-Saxonibus ex Insula ejectis. Porro hi recentes Britannici advenæ, quippe qui paganismum profiterentur, Rem Christianam ibi graviter labefactatam pene deleverunt, atque adeo maximam Insulæ partem paganismi labe infecerunt (6).

XIV. Quum igitur ita se res in Britannia haberent, Gregorius M. quod jamdiu mente agitaverat, Pontificatu inito, nihil habuit antiquius, quam ut Anglos a superstitione revocaret, atque ad Christianam Religionem acciret. Qua de re illuc misit S. Augustinum Romani S. Andreae Monasterii Abbatem, aliosque nonnullos monachos, qui etsi principio quadam pusillanimitate correpti ab proseguendo apostolatu deterrerentur; tamen a S. Gregorio confirmati summa alacritate Insulam adpulsi, primum Anglos Cantiam incolentes, eorumque Regem Ethelbertum ad Christum con-

ver-

---

(6) *Glastoniensis Chronographus ad ann. 449. apud Usserum pag. 499.* Angli, & Saxones in Britanniam venerunt. Hi pagani fuerunt, & christianam fidem, quam Brittones per 243. annos fideli devotione conservaverunt, isti postea totam fere Britanniam perverterunt, & usque ad tempus S. Augustini, videlicet 147. annos, maximam hujus regionis partem paganismò repleverunt.

verterunt. Tum Augustinus in Galliam profectus Arelate a Virgilio Anglorum Episcopus ordinatur; unde in Angliam reversus magnam Insulæ partem Christo lucratur, Ecclesias constituit, Episcopos ordinat, Monasteria excitat: adeo quidem, ut brevi spatio per universam Britanniam Christiana Religio altas radices egerit. Adeundi Beda *Lib. I. & e recentioribus Cl. Mabillonius Annal. Benedic. ad an. 596.*

XV. Illud heic silentio haud prætereundum Anglicanarum Ecclesiarum curam R. Pontificibus secutis temporibus semper cordi fuisse; cujus rei ut reliqua taceamus argumenta, quod propius ad nos spectare videtur, paucis dabimus. Nimirum sub annum circiter 670. auctore Beda, Vitalianus Papa Hadrianum Abbatem Monasterii Niridani, sive Nisidani selegit, quem *Ecclesiis Anglorum (7) Archiepiscopum*, sive Primatem mitteret. Et quamvis Hadrianus indignum se tanto gradu existimans Episcopus ordinari rennerit, atque ejus loco Theodorus Monachus Hadriano notus Britannicus Archiepiscopus renunciatus fuerit; ipse tamen Hadrianus Theodorum in Britanniam perducere Pontificio mandato jussus est; cui in Britanniam pervenienti Theodorus dedit, uti scribit Beda *ibid. Monasterium B. Petri Apostoli, ubi Archiepiscopi Cantie sepeliri solent. Præceperat enim Theodoro abeunti Dominus Papa Apostolicus, uti in Diœcesi sua provideret, & daret ei locum, in quo cum suis, scilicet cum suis monachis, quos e Monasterio Nisidano sibi comites Hadrianus adjunxerat,*  
apte

(7) Beda *Lib. IV. Hist. Eccles. Cap. 1.* Erat autem in monasterio Nisidano, quod est non longe a Neapoli Campania, Abbas Hadrianus vir natione Afer, sacris litteris diligenter imbutus, monasterialibus simul, & Ecclesiasticis disciplinis institutus, Græcæ pariter, & Latinae linguæ peritissimus. Hunc ad se accitum Papa jussit, accepto Episcopatu, in Britanniam venire.

apte degere potuisset. Mox Theodori progressus in divini Verbi diffeminatione referens, ait hoc eum fecisse *per omnia comitante, & cooperante Hadriano*. Tum plura subnectit de S. Hadriani ipsius obitu, discipulis, & miraculis. Igitur seculo VII. Nisida, quæ insula est Neapoli proxima, quæque olim Insula Salvatoris dici consuevit, Monasterium habebat, cujus Monachi adeo sanctitate, ac doctrina effulgebant, ut inde accitum Hadrianum R. Pontifex Angliæ Primatem delegerit. Adeundus omnino Cl. Mazochius *de Cultu SS. Episc.* pag. 445.

XVI. Juvat hic paucis subnectere Hadrianum in suo Anglicano Monasterio veluti Scholam aperuisse, in qua ipse disciplinas omnes, præcipue vero sacras, tradiderit; unde viri æque doctrina, ac sanctitate illustres prodierunt: ac præsertim S. Adhelmus Schireburgensis Episcopus longe omnium Britannorum eruditissimus (8), Adulphus Episcopus Rochestriensis, Alboinus ipsius Hadriani in Monasterii regimine successor, aliique. Profecto ante hanc ætatem litteras in Britannia in tanta obscuritate jacuisse, ut neque Clerici sine interprete Scripturas intelligerent, res est quam testatissima (9). Tum antequam illuc Hadrianus

---

(8) *De S. Adhelmo in ejus Vita a VVilelmo Malmesburiensi contexta ita scribitur: Beatus Adhelmus Saxonica prosapia oriundus, primis imbuendus elementis Hadriano Abbati S. Augustini traditur: quem in Arte Scientiæ stetit, qui Anglorum gesta perlegit, intelligit. Hinc puerio Græcis, & Latinis litteris brevi mirandus ipsis enituit magistris. Ac rursus de eodem jam natu grandiore. Horum (de quibus narraverat) exemplo, & confortio Adhelmus informatus ad studium, liberales artes plenitudini scientiæ adiecit: quas ut medullitus combiberet, iterum studuit Cantium ad pedes Hadriani, qui erat Fons Litterarum, Rivus Artium, donec valetudine cogente repedaret domum.*

(9) *In Vita S. Gregarii Ultrajectini (Tom. III. SS. Be-*  
no.

nus adpelleret, Scholamque in suo Monasterio aperiret, vix unus invenitur oscuri nominis Scriptor Anglicanus: quum, uti modo observavimus, Viri doctrina, ac eruditione clarissimi deinceps floruerint. Igitur e nostra Neapoli, unde Hadrianus excitus fuerat, solo Britannico litterarum auroram primum adfuisse jure gloriari possumus. Confer huc nostram Adnotationem ad Historiam Ecclesiasticam Laurentii Mosemii *Centuria VII. Part. I. Cap. 1. Not. 3.*

§. III. De Evangelii per Hiberniam  
Propagatione.

XVII. Hiberniam Britannicarum insularum alteram, quæ aliquando Britannia Minor, aliquando vero Scotia Magna audit, Apostolica prædicatione ad Christi fidem fuisse perductam, oppido verisimile est. Jam enim nuper observavimus ex Clemente R. Tertulliano, Eusebio, & Chrystostomo Apostolis etiam Britannicas insulas patuisse: quarum duæ sunt insigniores, scilicet Britannia, & Hibernia. Profecto si non omnes, majores duntaxat, magisque conspicuas Apostolos, Apostolicosve viros peragrasse, atque Evangelii luce collustrasse, haud dubitandum videtur (10).

XVIII. Adhæc ex Thullensium Annalibus, aliisque non recentibus monumentis colligunt Franciscus Irenicus *German. Exeges. Lib. III. Tom. I.* D *cap.*

*nedit.*) legitur, quod adhuc juvenis Scripturas audiente S. Bonifacio legens, nihil intelligebat, utpote Latine ignarus. In Anglia tunc temporis non tantum Laici, sed & pleraque Cleri pars parum latine sciebat, itaut Scripturas non sine interprete intelligere possent.

(10) Petrum, vel Simonem Zelotem, vel Jacobum Majorem Hibernis Christum adnuntiasse sunt qui tradunt Messinghamus pag. 110. & 138. Sulleranus Hist. Cathol. Hibern. Comp. Lib. IV. Cap. 5. Verum incerta prorsus fide, nec ex satis probata traditione.



cap. 49. Ufferius *ibid.* aliique S. Mansuetum Hibernum S. Petri discipulum, socium S. Clementis, ab eodem Apostolorum Principe primum Thullensem fuisse ordinatum Episcopum. Heic autem quis sibi persuadeat Mansuetum veluti Apostolum factum suorum concivium, vicinarumque gentium salutem fuisse deque prorsus tulisse?

XIX. Tum II. ineunte seculo in Hibernia Euchum, & Achlenam S. Cataldi Parentes fidei pietatisque custodes, ac vindices fuisse ex antiquissimis Ecclesie Tarentine MSS. Codicibus deducunt Fratres Morronii *Vita S. Cataldi Scriptores*. Uti quoque Molanus in *Additionibus ad Martyrologium Ussardi*, Ufferius *ibid.* aliique rerum Britannicarum Scriptores Florentinum memorant, Firminum, aliosque Catholicos viros (ex quibus nonnulli ob adnuntiatum Gallis Evangelium martyrii coronas sibi pepererunt) qui in Hibernia III. & IV. seculo floruerint; ac precipue quatuor Episcopos Albeum, Declanum, Ibarum, & Kiaranum, qui, ut legitur in *Vita Declani* apud Ufferium *ibid.* plures ad Christum rete Evangelico traxerunt. Sed tamen, sequitur Auctor, S. Patricius majores Hibernie, & potentiores convertit, & ipse summum habet Archiepiscopatum per circuitum.

XX. Et sane Patricius a Celestino Papa ad Hibernos Catholicam veritatem docendos missus, adeo strenue se gessit, tantaque felicitate usus est, ut Tempa vero Deo erexerit, monasteria excitarit, Episcopos constituerit, Remque Christianam publicam in Hibernia, etiam Synodis celebratis, legibus communi-verit. Confer sis Ufferium *ibid.* Pagium ad an. 431. n. 52. Tillemont. *Memor. Hist. Eccles.* Tom. XVI. &c.

§. IV. De Evangelii per Scociam  
propagatione.

XXI. Scotiam demum quod spectat, ejus Christianismi origines obscure prorsus sunt, & incertæ. Antiquissima duntaxat fert traditio Donaldum Scotorum Regem primum tempore Severi Imperatoris Christianos ritus accepisse; & quidem opera Paschasii cujusdam illuc a Victore Romano Pontifice missi, qui jussu Donaldi Romam profectus ipsum Victorem de statu Christianæ Religionis in Scotia certiore reddidit. Porro omnis omnino in hac regione superstitio deleri non potuit; licet in id maxime incumbere Donaldus ipse, Ethodius ejus successor, alique, qui postea Scotiæ imperitarunt. Videtis Georgium Buchananum *Rerum Scoticarum Lib. IV. pag. 65.* Episcopi tamen plures ibi ordinati sunt (11), magnificæ Deo consecratæ edes, ac monasteria amplissima constructa. Atque adeo viri identidem, ac feminæ pietate, doctrina, ac martyrio celebres eam illustrarunt Ecclesiam. Profecto annum circiter 425, quum Pelagii quidam discipuli Scotiam adpulissent, ut incolis suum adspergerent virus, Cælestinus Papa, ut scribit S. Prosper, ordinato Scotis Episcopo Palladio, Romanam insulam studeat servare Catholicam (12.).

D 2

§. V.

(11) Anno 1262. repertum est Corpus S. Nicolai Caldei, qui unus ex primis Scotiæ Episcopis severente per Britannias Maximiani persecutione martyrio adfectus est. Sæcra veteris reliquæ reperta sunt cum hac inscriptione: S. Nicolai Episcopi. Confer Dempsterum *Histor. Eccles. Scotor. Lib. VIII.*

(12) S. Prosper *Lib. contra Cellatorem Cap. 21.* Nec vero segniore cura ab hoc eodem morbo Pelagianismi Britannias liberavit Cælestinus Papa, quando quosdam inimicos Gratiæ, solum sue originis occupantes, etiam ab illo  
ic-

## S. V. De Fidei Christianæ per Gallias prædicatione, &amp; propagatione.

XXII. Ipsa Apostolica ætate Fidei Christianæ in Galliis fundamenta jacta fuisse apertissime indicant superius producta Irenæi, & Tertulliani testimonia. Quippe quorum alter de Gallicanis Ecclesiis, tanquam jamdiu constitutis, verba facit; Irenæus vero hereticos novarum rerum cupidos, ac molitores nonnisi ex traditionibus Ecclesiarum Gallicanarum, & Germanarum confutat. Quod certe ἀπρόσδιόνυτος absurdum, immo ridiculum esset argumentum, si earundem Ecclesiarum institutio recentior statuatur. Adhæc quisnam sibi persuadeat Apostolos de Indis, & Æthiopibus sollicitos fuisse, haud vero de Gallis? Jam vero gravis inter eruditos quæstio est, cui nam Apostolorum, vel viro Apostolico Christianæ Religionis in Galliis origo sit referenda.

XXIII. Petrus de Marca contendit 1. S. Lucam Evangelistam mandato Pauli, cui comes diu adfuerat, sese in Gallias contulisse: in cujus sententiæ patrociniū profert Euphphanium, qui *Heres. LI. de Luca* scribit: *Idque ipse Lucas primum in Dalmatia, Gallia, Italia, & Macedonia præstitit: sed in Gallia præ ceteris, vel magis ad græcū textum: principium vero in Gallia: ἀρχὴ καὶ ἐν τῇ Γαλιίᾳ*

2. Crescentem quoque Apostolos adhibuisse ad informandas in Religione Gallias: id quod haurit

---

secreto exclusit Oceani, & ordinato Scotis Episcopo Palladio, dum Romanam Insulam studet servare Catholicam, fecit etiam barbaram Christianam. *Et in Chron. ad an. 431.* Ad Scotos in Christum credentes ordinatur a Papa Cælestino Palladius, & primus Episcopus mittitur.

haurit ex II. ad *Timoth.* 4. ubi licet in quibusdam exemplaribus legatur in Galatiam, at tamen Eusebius, Epiphanius, Rufinus, aliique veteres, tum & plerique vetustiores MSS. Codices habent in *Galliam*: atque adeo Epiphanius *ibid.* errare eos docet, qui legunt *Galatiam*: Non enim in Galatia, ut quidam errore ducti credunt, sed in Gallia. Præterea *Galatiam* apud Græcos Scriptores tum sacros tum profanos pro *Galliis* non raro fuisse usurpam auctor est Theodoretus: qui licet legere maluisset *Galatiam*, verba tamen Pauli non ad Galatiam Asianam, sed ad Galliam, sive Galatiam Occidentalem referenda censuit: adeo certa erat apud omnes veteres Crescentis in Gallia prædicatio. Adhuc vetusta *Ufuardi*, & *Adonis Martyrologia* tradunt Crescentem post fidem in Galliis promulgatam in Galatiam Asianam rediisse. Quare constat veterum plerosque omnes ad stipulatos esse huic Traditioni (13).

3. Lucæ, & Crescenti assiduis Pauli comitibus ipsum Paulum Apostolum adjungit, cui Hispanias petenti pergendum certe fuit per celeberrimam apud veteres viam illam, quæ ab Italia per Gallias in Beticam ducit, cujus descriptionem apud Strabonem reperies. Atqui iners dicendus haud est Paulus in Galliis erudiendis fuisse, qui gentium salutem sibi pe-

C 3

cu-

(13) Galatia græce apud profanos quoque pro Galliis non raro usurpatur, teste Theodoro in indicatum Pauli locum: Crescens in Galatia: in quem sic commentatur: Galatia: Gallias sic vocat. Sic enim veteres vocabant: sic etiam & nunc illas vocant. Consentiant Eusebius Lib. I. cap. 4. Epiphanius *ibid.* Hieron. Catal. Script. Eccles. Sophronius Hieronymi Interpres, aliique. Tum pro Galliis Crescentis Apostolatu præter indicatos antiquissimos Patres stant etiam Chronicum Alexandrinum, Anonymus apud Oecumenium, Nicephorus, Dorotheus, Ufuardus, qui omnes tradunt Gallias a Crescente in Christianam Religionem institutas.

culiari modo commissam tam flagranti studio ubique peragratis regionibus undequaque procurabat, ut nihil supra.

4. Censet Philippi quoque Apostoli operam posse Gallis vindicari ex Isidoro Hipalensi Lib. de Vit. & Mort. SS. Cap. 74. *Philippus*, inquit, *Gallis prædicat Christum*. Sed quoniam Baronius eoque duce & alii pro Gallis legendum putant *Galatis*; hinc Usserii Armachani rationes profert, quibus Vir *κεκτημένα* demonstrare conatur *Gallis* legendum esse, non *Galatis* (14).

XXIV. Tum argumentis Usserianis duo alia & ipse addit; 1. scilicet erutum e Codice quodam MS. Bibliothecæ S. Germani, in quo Tractatus ille Isidori ante octingentos annos conscriptus una cum aliis ejusdem Isidori Operibus continetur; ubi tum Cap. 74. *Philippum Gallis prædicasse*, tum Cap. 82. *Galliam Philippo adsignatam* videre est.

## 2. Quum

---

(14) *Usserius igitur in Antiquit. Britannicis* Cap. 2. in hunc modum scribit: Quod autem de Philippi in Gallis Apostolatu habet Freulfus a Malmesburiensi citatus ex Isidori Libro *de Patribus utriusque Testamenti* Cap. LXXIV. ad verbum expressit. Apud utrumque enim legitur: *Philippum Gallis prædicasse Christum, barbarasque gentes, vicinasque tenebris, & tumentis Oceano conjunctas ad scientiæ lucem, fideique portum deduxisse*. Neque hic mihi Baronii conjectura placet, Isidori ista *a Gallis ad Galatas Asiaticos* traduentis, multoque minus nuperi Operum S. Isidori editoris Jacobi Breullii temeritas *Gallis* pro *Gallis* in ipso textu (sine ulla veteris lectionis commemoratione) repentis. Nam præterquam quod Isidorus in hoc ipso Opere Cap. LXXXII. & in officio Toletano (quod *Gothicum*, & *Mozarabum* vulgo adpellatur) itemque Julianus Toletanus Archiepiscopus in *Nahum Prophetam* scribens, & Beda (vel quicumque Auctor fuit *Cellestaneorum*, & *Florum*) Philippo Galliam adsignant, itemque Gallis prædicavisse Christum legitur in libello *de Festis Apostolorum*, qui in Hieronymiano Martyrologio MS. habetur (ex quo pleraque omnia in librum suum *de Patribus novi Testamenti* transcripsit Isidorus) illa barbararum gentium Oceano conjunctarum mentio *Europæos Gallos, non Gallos Græcos* ab Isidoro intellectos esse, satis evincit.

2. Quum Apostoli ex Christi mandato quacunque orbis parte Evangelium diffunderent, adeo ut quemadmodum scribit Eusebius, ipsis quoque Britannicis insulis Oceanum prætervecti fidei lumen intulerint, profecto nemo sibi persuaserit Apostolos de Britannis sollicitos, negligentiores fuisse in Galliis (per quas iter est ad Britannias) per se, aut per suos Legatos imbuendis.

XXV. Porro quidquid sit de Gallicano Lucæ, Crescentis, Pauli, & Philippi Apostolatu, profecto firmioribus nititur monumentis traditio, qua docemur Trophimum a S. Petro in Gallias ad Evangelium adnuntiandum missum fuisse. Id testantur Episcopi provinciæ Viennensis in libello oblato Leoni Papæ an. 445. (15). Quod jam primum tradiderat Zosimus Papa in Epist. edita a Sirmondo, & laudata olim tam in Concilio Francofordiensi, quam ab Ufuardo, & Adone (16): id & antiquissima præferunt Martyrologia. Merito igitur vehementer errare eos putamus, qui nobiscum amice non conjurant, dum Christianæ Religionis initia in Galliis ab Apostolica ætate repetenda censemus. Atque ideo ipso Apostolico ævo licet haud magno nume-

D 4

ro

(15) *Inter Epistolas S. Leonis Edit. Quæsn. 41. & Edit. Venet. 106.* Omnibus etiam regionibus Gallicanis notum est, sed nec sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ habetur incognitum, quod prima inter Gallias Arelatensis civitas missum a Beato S. Petro Apostolo Trophimum habere meruit Sacerdotem, & exinde aliis paulatim regionibus Galliarum donum fidei, & religionis infusum.

(16) *Zosimus Papa Epist. I.* Metropolitanæ Arelatensium urbi vetus privilegium minime derogandum est, ad quam primum ex hac Sede Trophimus Summus Antistes, ex cuius fonte totæ Galliæ fidei rivulos acceperunt, directus est.

*Ado in Martyrologio ad IV. Kal. Jan. & in Libello de Festivitatibus Apostolorum; antiquissimum Martyrologium ab Respondeo editum ad VI. Kal. Januarii, Martyrologium Rom. ad IV. Kal. Januarii, &c.*

ro essent Gallicani fideles, ut indicant Acta S. Saturnini, attamen non in una Galliarum civitate Ecclesiæ institutæ videntur. Trophium enim Arelatensem Ecclesiam fundasse ex modo productis monumentis evincitur. Seculo II. Lugduni, ac Viennæ ita creverat Christiana Religio, ut permulti variis tormentorum generibus excruciatii Martyres decesserint. Exeunte seculo II. pro quæstione de Paschate Gallicanum quoque Concilium celebratum occurrit. Tertullianus, qui etiam exeunte II. seculo floruit Galliarum *diversas nationes memorat, in quibus Christi nomen regnabat*. Cyprianus Ep. 67. Edit. Pamelii plures recenset Gallicanos Episcopos, quorum unum, quod novis rebus studeret, deponendum censet.

XXVI. Atque hæc certiora sunt, quæ de primæva apud Gallias Evangelii propagatione adferri possunt. Ceterum non magnam fidem merentur, quippe infirmis innixa monumentis, quæ circumferuntur traditiones, quæque diversis Apostolorum discipulis diversarum Galliæ Ecclesiarum institutionem adsignant: uti Narbonensem Paulo, Lemovicensem Martiali, Parisiensem Dionysio Arcopagitæ, Tolosanam Saturnino, Senonensem Saviniano, ac præcipue Massiliensem Lazaro, Marthæ, M. Magdalenæ, & Maximino, qui divina Providentia auspice in Gallias venerint, & Massiliensem, aliasque vicinas fundaverint Ecclesias.

#### §. VI. *De Fidei Christianæ per Hispanias Propagatione.*

XXVII. Si quæ unquam Occidentalis Ecclesia post Romanam Apostolica predicatione gloriari potest, ea profecto est Hispaniensis, quam S. Jacobus fundavit, S. Paulus invisit,  
au-

auxitque, ac ipse Princeps Apostolorum peculiari quadam caritate complexus est.

XXVIII. Ac primo quod a S. Jacobo Hispaniensis Ecclesia fundata sit, id licet haud pauci negent Scriptores, & quidem haud levibus ducti conjecturis, plerique tamen firmiter innixi monumentis tuentur. His ad censendam doctæ, & laboriosæ Juvenis Cl. Benedicti Clementis de Arostegui lucubrationes, quibus Hispanis Jacobi prædicationem tam strenue, tantaque cum ἀκρίβεια vindicavit, ut unus maxime omnium reliquis palmam præripuisse, & Hispanicæ Ecclesiæ tum vetustati tum dignitati velificasse videatur. In ea enim dissertatione paucis abhinc annis edita Neapoli, cui titulum præfixit: *De Adventu S. Jacobi in Hispanias*, ut est acri iudicio, singularique eruditione præditus, sic manus ad rem admovit, nullas ut post se salebras reliquerit. Quod heic dictum volumus, primo ut esset hoc nostræ voluntatis indicium erga Virum nobilissimum; cuius ut olim præsentis consuetudine delectabar impensius, ita nunc absentis desiderio distineor ægrius. Deinde ut ne Virum doctissimum merita laude defraudem, ubi semel animam induxi ejus heic dissertationis veluti specimen exhibere.

XXIX. Igitur I. Hieronymus ita divino jussu Apostolos per totam terram distributos exponit, ut unum eorum in Hispaniam venisse discrete adfirmet. En ejus verba: *Spiritus illius congregavit eos, deditque eis sortes, ut alius ad Hispanias, alius ad Illyricum, alius ad Indos, alius ad Græciam pergeret*. Ergo constat ex Hieronymo Hispaniæ Apostolicæ prædicationis prærogativa. At quisnam ille Apostolus fuisse dicendus est, quem Hieronymus producto loco indicaverit, quæstio est haud explicatu difficilis. Plurima enim evin-



cunt Hieronymum de Paulo haud cogitasse. Ergo nonnisi de Jacobo Hieronymiana sententia intelligenda, praesertim quum alibi ipse Hieronymus loquens de Jacobo, ejusque fratre Joanne a Domino vocatis, dum una cum Patre Zebedæo in navi resiciebant retia sua, scribit: *Apostolos videns Jesus in littore juxta mare Genesareth resicientes retia sua vocavit, & misit in magnum mare, ut de piscatoribus piscium faceret hominum piscatores, qui de Jerusalem usque ad Illyricum, & Hispanias Evangelium prædicarunt.* Quidnam quæso dilucidius ad demonstrandum Hieronymum eque in hoc, ac in superius producto loco S. Jacobi in Hispanias profectionem, ibique prædicationem & agnovisse, & comprobasse? Concors enim loci utriusque effulget sententia, nimirum ut Hispaniæ Jacobo adtribuantur; Joanni vero Fratri ejus Regiones, quæ interjacent usque ad Illyricum (17).

XXX. Tum Hieronymus ipse *ibidem* post descriptam Apostolorum sortitionem statim subnectit: *Ut unusquisque in Evangelii sui, atque doctrinæ provincia requiesceret.* Qua de re quum Jacobi corpus post ejus mortem a suis discipulis in Hispaniam fuisse transvectum, ibique requiescere negaverit nemo, quisnam tam impudens erit, ut contendat adhuc, Hieronymum laudatis locis alium, quam Jacobum, indicasse?

XXXI. Adhæc Isidorus Hispalensis egregius Hispaniensis Doctor in Libro, quem *de Ortu, & Obitu Patrum* inscripsit, in hunc modum

---

(17) Notissimum est in sortitione Apostolica Joanni contigisse Asiam, quæ usque ad Illyricum Orientale extenditur, ubi cum Hæll-sperto conjungitur. Ex quo maxima quædam elucet singularis diuinitas, qua Dominus Jacobum, & Joannem fratres voluit condecoratos, quum illi Occidentis, huic Orientis terminos fidei lumine illustrandos dederit.

dum se habet: *Jacobus Filius Zebedæi frater Joannis, quartus in Ordine... Hispaniæ, & Occidentalium locorum gentibus Evangelium prædicavit, & in occasu mundi lucem prædicationis infudit . . . Petrus Romam accepit, Andreas Achaïam, Jacobus Hispaniam &c.* Non defunt quidem, qui ejusmodi opus Isidoro abjudicant: at viri *κετιμωται* Petrus de Marca, & Gulielmus Cave genuinum agnoscuat. Ac præcipue Petrus de Marca *Epist. ad Valesium num. 6. de Codice Isidoriano S. Germani Parisiensis ante annos cætingentos exarato hæc habet: Nec dissimulandum est in eo codice legi Hispaniam Jacobo Apostolo datam, eumque Hispanis fidem prædicasse.* Quæ vetusti Codicis auctoritas tanti est, ut eximere debeat conceptam a quibusdam suspicionem vitiatæ forte loco in illo lectionis in prioribus editionibus ab aliquo Hispanarum partium studioso.

XXXII. Accedat alterum non infirmioris roboris argumentum ex Missali sic dicto *Mozarabico* antiquitatis, atque auctoritatis juxta maximæ (18). In eo enim legitur in honorem S. Jacobi concinnatus hic hymnus:

*Magni deinde filii tonitruï,  
Adepti fulgent prece Matris inclytæ,  
Utique vitæ culminis insignia,  
Regem Joannes dextra solus Asiam,  
Ejus frater potitus Hispaniam.*

Atque antequam hinc ulterius progrediamur

D 6

il-

(18) *Ejusmodi Missale, sive Officium Sacrum, quod nunc Gothicum, nunc Toletanum, nunc Mozarabieum audit, sæculo VI. haud serius dicendum esse, tum pluribus demonstratur, tum vel maxime ex eo, quod quum a Contilio Tolet. IV. an 633. celebrato unus ordo in divinis ministeriis, officiiisque celebrandis sancitus sit, illud ab eo tempore ad nostram hanc ætatem profecto derivatum dubitandum haud est.*

illud observandum censeo, quam mire scilicet Hieronymus, Isidorus, ac producti Hymni Auctor inter se consentiant.

XXXIII. Hactenus productis monumentis plura adjungi possent, uti auctoritates Juliani Episcopi Toletani, Ven. Bedæ, B. Presbyteri Liebanensis; tum Martyrologia Blumanum, seu VVeisemburgense ann. 772. Gallicanum an. 804. & Altissiodorense ineunte sæculo VIII. editum, auctore Viro Cl. Edmundo Martene. Porro hæc, & alia videri possunt apud Cl. Benedictum Clementem *in indic. Dissertatione*; ubi quoque objecta prorsus difflata invenies, quæ ab adversariis proferri solent.

XXXIV. Duo hic tantummodo observatu digna censeo. Primum, quod jam indicavi, scilicet miram antiquiorum cum recentioribus convenientiam optimum efferre veritatis argumentum.

XXXV. Alterum, præcipuum adversariorum argumentum esse ex iis, quæ negantia vocantur; scilicet antiquissimorum Patrum silentium. Verum argumenti negantis adversus adeo concordibus monumentis probatam *παραδοσιν traditionem* perparvam vim esse nemo vestrum subdubitaverit.

XXXVI. Ad Apostolum Paulum quod spectat, eum fidem in se recepisse Hispanos quamprimum adeundi, dubium esse potest nemini, quum id animi sui consilium prodiderit Paulus ipse *in Epist. ad Rom.* data, ubi, quando se in viam daret Hispaniam petiturus, Romanos quoque invisurum pollicetur. Atqui fidem in se receptam ut liberasse eum credamus, quamvis nullum æque *ἀναντιρρήτων irrefutabile* suppetat argumentum, si quid tamen conjectura adsequi licet, id consilium etiam periecisse facile suaderi potest.

XXXVII. Certe quum post primum ejus Romanam

matu adventum undecim anni, atque adeo. post Romanam biennio captivitatem, adhuc novem anni Paulo superfuert, horum aliquot in Hispanicæ regionis Apostolica peregrinatione impendisse est quod credamus: tum quia desiderium hoc conceperat pridem animo, tum eo vel magis, quod Romanorum consuetudine non ad satietatem, sed *ex parte* se velle frui significat (19).

XXXVIII. Huic porro conjecturæ, ceteroquin per se minime spernendæ, accedit præterea constans Patrum antiquissimorum traditio. Enimvero sub initium IV. sæculi Orientem totum atque Occidentem constans fama pervaserat, Hispanias Pauli quoque prædicatione peragratas. Epiphanius Hæresi XXVII. ut ab Petro semel atque iterum Ponti, Bithyniæque Provincias, ita a Paulo Hispanias perlustratas scribit: *Paulus in Hispaniam profectus est; Petrus sæpe Pontum, & Bithyniam visitavit.* Consentit ex Latinis Hieronymus in Caput XI. Isaïæ, ubi de Paulo scribit: *In Hispaniam alienigenarum portatus est navibus.* His adde S. Athanasium, S. Cyrillum Jerosolymitanum, S. Joannem Chrysoptomum, Theodoretum, Gregorium M. aliosque (20), quibus

(19) *Epist. ad Rom. Cap. 15.* Quum in Hispaniam proficisci cæpero: spero quod præteriens videam vos, & a vobis deducar illuc, si vobis prius ex parte fructus fuero. . . . Per vos proficiscar in Hispanias.

(20) *S. Athanasius in Epist. ad Deaconium:* Studium fuit Sancto Viro usque ad Illyricum prædicare, neque segnescere, neque omittere, quin Romam iret, & in Hispanias adscenderet, ut pro graviori labore majori frueretur mercede laboris.

*S. Cyrillus Jerosolymitanus Cateches. XVII.* Ab Jerosolymis usque ad Illyricum disseminavit Evangelium, qui Regiam quoque Romam instituebat, & in Hispaniam usque promittudinem prædicationis extendit.

*S. Joannes Chrysest. Hom. LXXVI. in Matth.* Quum igitur biennium Romæ exegisset in vinculis, tandem dimissus est.

bus hæc Pauli ad Hispanos profectio adeo certa, ac rata fuisse videtur, nihil ut magis. Profecto mirabilis tot tantorumque Patrum consensus nonnisi constanti omnium Ecclesiarum traditioni inniti poterat.

XXXIX. Postremo S. Petrus peculiari quadam caritate Hispanienses Regiones profectus est. Etenim auctore Paulo ab Hispania Romam reduce illuc septem Episcopos misit, qui fidem ibi jam a Jacobo statutam, & a S. Paulo firmatam, auferent, propagarentque, Ecclesias fundarent, Episcopos consecrarent, aliaque id genus præstarent, ut altas ibi radices Christiana Religio ageret (21).

§. VII. *De Evangelii per Germaniam, aliasque finitimas Gentes Prædicatione, & Propagatione.*

XL. Sæculo II. in Germania plures jam fuisse Christianas Ecclesias constitutas nemo, nisi in meridiana luce velit cæcutire, ex nuper pro-

est. Deinde in Hispanias profectus, invisit illic Judæos &c.

*Theodoretus in Cap. I. Epist. ad Philipp.* Quum autem illinc Roma profectus esset in Hispaniam, & illis etiam divinum Evangelium tradidisset.

*S. Gregorius M. Lib. XXXI. Moral. cap. 22.* Paulus quum nunc Judæam, nunc Corinthum, nunc Ephesum, nunc Romam, nunc Hispanias peteret. *His adde Martyrologia, ac præcipue Romanum ad diem 22. Martii, Adonis Chrenicum ad an. 59. ac denique Menologium Græcorum ad diem 25. Septembr. ubi mentio occurrit Xantippes, & Polixene a S. Paulo ad fidem in Hispania adductarum.*

(21) *S. Gregorius VII Lib. I. Regest. Epist. 64. data ad Alphonsum, & Sanctorum Hispaniarum Re. es.* Quum Beatus Apostolus Paulus Hispaniam se adiisse significet, ac postea septem Episcopos ab urbe Roma ad instruendos Hispaniæ populos a Petro, & Paulo Apostolo directos fuisse, qui destructa Idololatria Christianitatem fundaverunt, Religionem plantaverunt, Ordinem & Officium in divinis cultibus agendum ostenderunt, & sanguine suo Ecclesias dedicaverunt, yestra diligentia non ignoret.

productis Tertulliani, atque Irenæi testimoniis non intelligit. Atque hac fortasse de causa Theodoretus *Therapeutice Gentium Lib. IX.* inter Gentes Apostolorum præconio ad Christi fidem evocatas *Germanos* recenset, & *Cimbros*. Ex quo certe colligere est jam inde ab Apostolorum ætate Germanis Christi fidem refulisse.

XLII. Jam vero non ii duntaxat Germani, qui Romanis victoribus arma submiserunt, sed illi etiam, quos Romani subigere nunquam potuerunt, Apostolorum, vel Apostolicorum virorum opera Christianam Religionem amplectati sunt; quod Tertullianus producto loco indicat, & late demonstrat Babellius, Cellarius, alique Germanicarum Antiquitatum Scriptores. Porro cujusnam opera Christi Evangelium in Germaniam primum invecum sit, decertant Critici, & adhuc sub iudice lis est.

XLII. Non desunt qui credant Thomam Apostolum Evangelium Germanis adnuntiasse, quod quidem ex Pseudo-Dorotheo, OEcumênio, & Sophronii quibusdam Codicibus colligunt, ubi de S. Thoma legitur, *ipsum scilicet Parthis, Medis, Persis, Germanis &c. Evangelium Domini prædicasse*. Verum alii Codices habent *Caramannis*, ut observat Herinannus Corringius *Dissert. de Constitutione Episcoporum Germaniæ Tom. II. Oper. pag. 699.* Nicephorus *Lib. II. cap. 40.* habet *Brachmanos*: quæ sane lectio ad Historiam itinerum S. Thomæ videtur accommodatior; propterea quod, uti suo loco vidimus, in Indiam penetraverit, & Brachmanorum gens meridionalem Indiæ regionem spectet.

XLIII. S. Marci Evangelistæ apostolata gloriatur Laureacenses: Calmet *in Hist. Lotharingiæ*. Tum Moguntinam Ecclesiam a S. Crescente S. Petri discipulo fuisse constitutam tradunt.

dunt Ado, & alii recentiores, & contendit Serarius *Rerum Moguntinarum Lib. I. cap. 19.* Aliæ demum Germaniæ gentes alios deprædicant S. Petri discipulos suos institutores: sed hæc incerta prorsus sunt, atque ea definire desperatæ sedulitatis est. Tantummodo magis constans, veterumque monumentis haud destituta traditio illa videtur, quæ docet SS. Maternum, Valerium, & Eucharium a S. Petro in Germaniam fuisse missos, ac S. Materni opera Tungrenses, Colonienfes, aliosque finitimos populos, atque adeo ipsos Brunsvicenses ad Christi fidem fuisse perductos; Valerium vero, & Eucharium Trevirensibus Christi fidem adnuntiasse (22). Quare Petrus Cluniacensis *Lib. I. Epist. I.* dum enumerat Episcopos a S. Petro in Gallias missos: *Misit, inquit, in Galliam, Treverim & Coloniam Maternum, Eucharium, & Valerium.* Et Marianus Scotus *Sex Ætat. Lib. II. Anno Dom. Incarn. 54. Claudii an. 12. Episcopatus Petri Romæ an. 8. Eucharium cum Sociis Valerio, atque Materno ad prædicandum Gallicis gentibus missi sunt.*

XLIV. Helvetii, Belgæ, Batavi, Rethæ, aliique Germanis, Gallisque finitimi populi sui Christianismi initia ipsi accepta referunt Apostolorum Principi, vel saltem ipsius discipulis: scilicet Helvetii S. Beato Anglo Sacerdoti, quem primum apud Helvetios publice Christi mentionem habuisse, missum a Petro Apostolorum Principe Roma in eam regionem, con-

---

(22) Temporibus Constantini M. claudit Maternus quidam Colonienfis Episcopus, cujus mentio occurrit tum in Actis Conc. Arelat. tum in Epist. ejusdem Constantini ad Melchiam apud Eusebium *Lib. X.* Unde Tillemontius S. Materni discipuli S. Petri ad Germanos apostolatam inter commenta reponendum censet. At contra Baronius duos potius distinguendos autumat cognomines Episcopos Colonienfes, Majorem unum S. Petri discipulum; Minorem alterum, de quo Acta Arelatensia, & Constantinus M.

contendit Franc. Guillimannus *de Rebus Helvetiorum Lib. I. cap. 15.* Confer Bolland. *ad 9. Maji*, & *ad 6. Mart.* ubi de S. Fridolino. Rethæ S. Barnabæ, vel S. Lino; Belgæ SS. Rufo, Prudenti, aliisque sociis, omnibus S. Pauli discipulis; Lotharingenses S. Clementi, S. Pauli quoque collegæ, aliique aliis. Verum hæ traditiones, quippe quæ recentes, & monumentis destitutæ, nullam fidem merentur.

XLV. Porro quæ in hoc Capite certiora videntur, vel duntaxat minus dubia, præstat heic paucis complecti. 1. S. Narcisum Episcopum Gerundensem, qui exeunte sæculo III. floruit, ejusque Diaconum Felicem primum in Rethia Evangelium promulgasse produnt Martyrologia Ufuardi, Hispaniense, & Romanum *ad 18. Mart.* Vetus Auctor Vit. S. Narcisi *apud Bolland. eadem die*, & contendit Galestinus *in notis ad Martyrolog. Rom. ibid.*

2. S. Valentinum Passaviensem Episcopum vita functum an. 440. & dein S. Severinum an. 482. extinctum, Norici, & Vindelicorum Apostolos faciunt vetus Auctor Vitæ S. Valentini *apud Surium ad 4. August.* pleraque Martyrologia, & Eugippias Auctor Vitæ S. Severini (23).

3. S.

---

(23) Ab Apostolis inventam in Noricum Christianam Religionem fuisse contendit Marcus Hansfigius Tom. I. Germaniæ Sacræ Part. I. pag. 2. edit. anni 1727. & quidem tum ex Epistola Symmacho Papa tributa, quæque est apud Theodorum Laureacensem Archiep. circiter an. 504 data, tum vel maxime ex testimonio Agapeti Papa II. qui medio sæculo X. Ecclesia universa præsedet, in ea Epistola, quam scripsit ad Gerardum Laureacensem: ubi hæc habet: In exordia nascentis Ecclesiæ a Doctoribus Romanæ Sedis Catholice Fidei rudimenta percepisse Laureacenses cives, & exinde a succedentibus prædicatoribus in superioris, atque inferioris Pannoniæ provincias ejusdem fidei manasse gratiam. Profecto causa nulla est, cur, si primis Ecclesiæ sæculis in Illyrio, & Germania Christiani vivebant, nullos omnino fuisse putem, qui ad Noricos se conferrent, eis-



3. S. Columbano, ejusque discipulo S. Gallo, quorum prior an. 615. alter an. 640. obiisse fertur, Suevorum, & Helvetiorum apostolatam adscribunt Jonas *in Vit. S. Columbani*, & ex eo Surius, Sigibertus, aliique.

4. S. Vedastum Atrebatensium Episcopum Clodoveum Francorum Regem ad Christi sacra colenda instituisse auctor est Alcuinus *in ejus Vita*.

5. S. VVigbertum fidem Christianam in Belgio propagasse testatur Beda *de Gest. Angl. Lib. V. cap. 10.*

6. S. Audbertum an. 628. defunctum Francorum, & Bojariorum, sive Bavarorum fuisse Apostolum reperies apud Surium, Annales Bojariorum, & antiquum auctorem ejus Vitæ *apud Bolland. ad 27. Mart.*

7. Francorum Orientalium ad Christi fidem conversionem S. Kiliano an. 689. defuncto tribuunt auctor ejus Vitæ *apud Surium ad 8. Jul.* Martyrologia Bedæ, Adonis, & Rom. *ad eundem diem.* Videtis Mabillonium *in Annalibus Benedict. ad eundem annum.*

8. Evangelii ad Saxones prædicationem primum duobus Evaldis, sive Evvaldolis Presbyteris, qui apud eosdem an. 692. martyrii coronam adepti sunt, adsignant Beda *ibid. Lib. V. cap. 11.* Sigibertus *in Chron. ad eundem annum*, aliique σύγγραφοι cœvi Scriptores.

9. Primus in Frisia Evangelii præco occurrit S. VVilfridus Episc. Eboracensis, qui quum ab Egfrido Rege Episcopatu pulsus esset, Romam an. 679. iturus, & coram apostolico Papa causam dicturus, ubi navem adscendit, stan-

te

---

*eisque quid esset credendum ostenderent. Igitur SS. Valentinus, & Severinus ea duntaxat ratione Novicorum Apostoli dicuntur, quod quum barbari iis regionibus potiti Christianismum pene deleverint, in eo restituendo Apostolici illi viri strenuam operam navarint.*

te favonio, pulsus est Fresiam, & honorifice susceptus a barbaris, ac rege illorum Aldgiso, predicabat eis Christum, & multa eorum milia verbo veritatis instituens a peccatorum suorum sordibus fonte Salvatoris abluit: ita Beda *ibid. Lib. V. cap. 20.* Mox S. VVilfrido in Saxonum, Frisionumque apostolatu succedere S. Suitbertus, qui an. 717. vitam cum morte commutavit, quemque Boruchtuariorum etiam Apostolum, ac primum Frisionum Episcopum faciunt Beda *ibid. Lib. V. cap. 11. & 12.* & Marcellinus *in ejus Vita*; tum & S. VVillibrordus cum decem locis: id testantur Beda *ibid. Lib. III. cap. 13.* Alcuinus *in ejus Vita*, aliique. Videtis Acta SS. ad 1. Mart. *in Vita Suitberti.*

XLVI. Jam vero quidquid alii præstiterint in propagando per Germaniam, aliasque finitimas regiones Evangelio, maxime supra reliquos enituit S. Bonifacius, qui a Gregorio II. ad evulgandam Christi fidem in Germaniam missus maximam Germanorum multitudinem, præsertime Frisonibus, Hassis, Thuringis Christianæ Religioni subjugavit; plures etiam, qui christiana sacra jam antea receperant, hos confirmavit, iisque disciplinam, ac leges Ecclesiasticas sanxit; adeo nempe, ut nullus pene Germaniæ populus Bonifacii, vel saltem ejus sociorum caritates expertus non fuerit. Quamvis enim jam inde ab apostolica ætate in Germania Christi nomen fuerit adnuntiatum, tum & deinceps non defuerint, qui hos, aut illos Germaniæ populos in christiana fide erudirent: attamen vel ob vicinitatem paganorum evulsum est furore gentilium semen cæleste, vel, quia cultura deerat, suffocatum, vel demum hæreticorum pravitate corruptum. Qua de re multo opus fuit sudore, ac sanguinis etiam effusione, ut aliquis tandem fructus colligetur.

tur. Et sane Bonifacius postquam Germanico apostolatu mirabiliter est functus: tum & Trajectinam Ecclesiam per plures annos incredibili sapientia administravit, denique in Frisia a gentilibus ira, & rabie æstuantibus Christi martyr renuntiatus est.

XLVII. Jam vero S. Bonifacio felicius, quam aliis, qui ante ipsum vineam Domini excolendam susceperunt, res cessisse videtur. Ejus enim Evangelii præconium uberiolem, ac stabiliorem fructuum copiam Ecclesiæ peperit. Id vero duplici ex causa factum arbitror, tum scilicet, quod ipse, vel ipsius socii (inter quos S. Vvillebaldus dubio procul emicuit) quos semel in Christi ovile perduxerant populos, eosdem denuo invisere, atque in tradita fide confirmare non destiterunt; tum vel maxime, quod Francorum Reges in eandem rem strenuam & ipsi operam præstiterunt.

XLVIII. Sane Carlomannus, Pipinus, Carolus M. & Ludovicus Pius modo Episcoporum coactis Conciliis, modo sancitis sanctionibus de Paganis ad Catholicam fidem invitandis, modo etiam Ecclesiis a fundamentis extractis & ipsi Christianam Religionem vel labefactatam restituere, vel inter paganos Principes in suam ditionem redactos communicare, vel denique viris apostolicis, qui bonum semen seminarent, in remotas, ac barbaras nationes missis, mirum in modum augere conati sunt. Unde Ludovicus Pius in sua Sanctione an. 819. *De Paganis ad Christianitatem invitandis* apud Baluzium Tom. I. Capitularium pag. 681. scribit: *Sedem Archiepiscopalem Hamaburgensem Cesarea auctoritate fuisse constitutam, unde omnes illæ barbaræ nationes æternæ vitæ pabulum uberiusque capere possent... insuper etiam, & magnorum progenitorum nostrorum sacra lucrandi studia nostris in diebus*  
nun-

nunquam deficerent. Genitor etiam noster gloriose memorie Karolus omnem Saxoniam Ecclesiasticæ Religionis subdidit, jugumque Christi ad usque terminos Danorum, atque Slavorum corda ferocia ferro perdomans docuit. Idem testantur Sigebertus, Rembertus, aliique (24).

XLIX. Post Caroli M. tempora plures deinceps florere viri sanctitate, ac doctrina insignes, & Religionis Christianæ tuendæ propagandæque ardore mirum quantum incensi, qui partim in ipsa Germania Christianam Religionem confirmarunt, partim ad finitimos Germaniæ populos Christi nomen invexere. Uti S. Ansharius Bremensis Episcopus, qui Suecos, & Danos Christi fidem edocuit. S. Bruno Episcopus Ruthenorum, qui in Prussia Verbi Dei præco existit. S. Adalbertus, sive Albertus Pragensis Episcopus, qui Bohemis, Polonis, & Hungaris Evangelii lætus nuntius advenit. S. Otho Episcopus, qui Pomeranis Christi Evangelium adtulit, ac reliqui omnes, quorum alii alios Germaniæ populos Christianam fidem edocuerunt. Videtis Germanicarum

Re-

---

(24) *Sigebertus Gemblacensis ad an. 780.* Carolus Rex Albiæ fluvium transgreditur, ibique in ejus gratiam Bardogavenses, & Norduitæ baptizantur. *Tum ad an. 780.* Carolus Saxoniam velut tempestas proterit, munitiones irumpit, & ad hoc eos impellit, ut se, & patriam ei dedant, & datis obsidibus se Christianos futuros spondeant. *Et ad an. 785.* VVithicindus, & Albion Duces Saxonum Carolo reconciliati baptizantur, & motus Saxonum reprimuntur.

*Rembertus in Vita S. Anscanii cap. 11.* Carolus Augustus, *inquit*, omnem Saxoniam ferro perdomitam, & jugo Christi subditam per Episcopatus divisit, ultimam partem ipsius provinciæ, quæ erat in Aquilone ultra Albiæ, nemini Episcoporum tuendam commisit, sed ad hoc reservare decrevit, ut ibi Archiepiscopalem constitueret sedem, ex qua, Domini gratia tribuente, etiam successio fidei Christianæ in exteris proficeret nationes: qua de re primitivam etiam ibi *Hamburgi* Ecclesiam per quendam Episcopum Galliæ *Trevirensis* Amalharium nomine consecrari fecit.

Rerum Scriptores, & Albertum Fabricium *Lucis Evang. Cap. XIX.* Postremo iidem Caroli M. temporibus floruit in Germania S. Lioba Virgo miraculis clara, quæ cum Sorore VValpurga sanctimonialium apud Germanos institutarum antesignana fertur. S. Liobæ Acta Rabani jussu conscripta edidit Surius *Tom. V.* Confer etiam Trithemium de *Viris Illustribus Ord. S. Benedicti Lib. III. cap. 173.* & Baronium in *Martyrologium ad diem 28. Septemb.*

## C A P U T V.

De Evangelii per Italiæ Provincias  
Propagatione.§. I. De Evangelii per Italiæ Provincias  
Propagatione generatim.

I. **N**ostri sane Instituti non est heic S. Petri Historiam adtexere, ejusque Romam adventum; ibique Episcopatus regimen, ac postremo ipsius martyrium ex veterum monumentis adstruere; præsertim quum id præstiterint Viri Cl. non e Catholicis modo, verum & ex heterodoxis cordatiores. Contentimus tantummodo hoc in loco paucis designare quonam pacto, & quorum opera per Italiæ regiones Evangelium fuerit evulgatum.

II. Principio illud monendum duco, S. Petrum, postquam Romam concessit, non ita illic suam statuisset sedem, ut ne pedem quidem extra urbem efferret; sed, ubi postularet occasio, alia evagatum fuisse. Namque illum, præter iter Jerosolymam institutum, ubi Jerosolymitano præfuit Concilio, Occidentis, ac præcipue Italiæ regiones, ut ipsi  
evan-

evangelizaret, haud semel percurrisset, & veterum monumenta, & antiquissimæ Ecclesiarum traditiones satis commostrant.

III. Et re quidem vera S. Epiphanius *Heres.* 27. de S. Clemente verba faciens (quem opinio erat inauguratum fuisse Romæ Episcopum, quum adhuc in vivis ageret S. Petrus) in eam it sententiam, Petrum scilicet, constituta Romæ sui Episcopatus sede, quia per varias regiones excurrere solebat, ut ipsis Evangelii lucem adferret, Linum, & Cletum sibi veluti vicarios supposuisset, ne Roma, ipso absente, sine ullo prorsus Episcopo remansisset diceretur. En Epiphanius verba: *Quamquam vel hac quidem ratione, viventibus adhuc Apostolis, Petro scilicet, & Paulo, Episcopi alii surrogari: quod iidem illi prædicandi Evangelii gratia in alias urbes, regionesque profectioem susciperent: carere autem Episcopo Roma non potest.* Eadem habent & alii veteres Historici, ac præcipue Rufinus, cujus verba vide inferne (1). Id quod etiam in causa fuisse videtur, cur R. Pontifex, tanquam S. Petri successor, licet in universum Christianum orbem non honoris modo, verum & potestatis primatum habeat; attamen peculiari quodam jure *Δουρικὼν κορυφαῖος Occidentalium Corypheus* a S. Basilio *Epist.* 10. dicitur, & *Occidentalis Ecclesie Præsidens* a S. Augustino

Lib.

---

(1) Rufinus *Præf. ad Recognitiones Clementi Romano adscriptas*: Linus, & Anacleus fuerunt quidem ante Clementem Episcopi in urbe Roma, sed superstitæ Petro, videlicet, ut illi Episcopatus curam gererent, ipse vero Apostolatus impleret officium. *Huc quoque faciunt, quæ scribit Innocentius I. ad Decentium Eugub. Epist.* XXI. n. 2. Manifestum (est) in omnem Italiam, Gallias, Hispaniam, Africam, atque Siciliam, & insulas interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos Venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerint Sacerdotes, Aut legant, si in his Provinciis alius Apostolorum invenitur, aut legitur docuisse.

*Lib. I. contr. Julianum.* Tum & Patres Arelatenses *Epist. ad Silvestrum Papam eum majores diœceses tenere* scribunt.

IV. Nemo unquam dubitavit, immo Veteres concordi videntur sententia docuisse: uti reliquis Apostolis, vel Persiam, vel Achaiam, vel Asiam, vel Indiam &c. ita S. Petro Occidentis regiones Evangelica face illustrandas contigisse: cui Apostolatui S. Paulus comes & adjutor divinitus datus fuit. Atqui hanc Spartam, quam S. Petrus cœlitus nactus est, quinam pro merito ornasset, si Romæ mœnia nunquam transgressus foret, & non Italiæ saltem regiones, Roma haud longe distitas, Evangelica prædicatione illustrasset?

V. Quamvis veteres Patres plerumque S. Petrum Romam in sorte prædicationis accepisse tradant; id tamen haud ita intelligendum, quasi solam Romanam urbem instituentem accepisset: sed quod Roma Occidentis, ac præcipue Italiæ velut Caput esset, Princeps, ac Metropolis. Quare S. Hieronymus *Epist. 148. ad Marcellam*, ubi Petro Romam, Thomæ Indiam, Paulo Illyricum &c. assignat, *In omnibus locis, scribit, diserte versabatur ( Dei sermo ) cum singulis Apostolis, & Apostolicis viris in singulis, cunctisque regionibus.*

VI. Quod autem veteres Historici singularum non meminerint Italiæ civitatum, quas S. Petrus præsentia, prædicationeque sua decoraverit, hæc momenta in causa fuisse cordatioribus videntur: 1. Quam ii plerumque Orientales fuerint, nil mirum, si res Italicas peculiare & minutiores hoc in capite vel ignorarint, vel neglexerint.

2. Occidentalibus vero fortassis, aut ne fortassis quidem nulla suborta est occasio, ut peculiaria istæc, & de loco in locum ab

Apo-

Apostolo variis temporibus facta itinera recenserent.

3. Non inepte factum iisdem videri potuit, si pro Italia ipsius Italiæ Metropolim Romam adpellaverint, quemadmodum sub nomine Romanæ Urbis, Reipublicæ, vel Imperii Romani Scriptores veteres significabant, quidquid cogniti Orbis Populo, Senatui, & Imperatori Romano suberat.

4. Præterea sicut antiqui Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores contenti dixisse, Petrum Antiochiæ primum sedisse, quæ *totius Orientis Metropolis* erat (2), nil de Petri prædicatione addiderunt in provinciis *Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ*, quas adeocerum est, ipsum Christi Evangelium prædicando peragrassè, ut & ad illas Epistolas miserit Apostolus; ita quoque contenti indicasse, Petrum Romam venisse, Romeque sedisse, quæ ut totius Imperii, ita præcipue Occidentis, & præsertim Italiæ erat Metropolis, cætera sapientibus relinquebant lectoribus facili negotio intelligenda.

5. Dein Apostoli sane omnem terrarum orbem lustrantes, non taciti & elingues itinera instituebant sua, donec ad præcipuas quasdam Orbis Metropoles pervenientes, ibi solummodo Evangelicæ veritatis semina funderent, quasi ad eas tantum essent missi, & non præceptum illis fuisset a Domino: *Itè in Mundum universum; prædicate Evangelium OMNI CREATURÆ*; sed ipsi Dominici memores præcepti ubique prædicantes incedebant, comitibus sibi adhærentibus, simplicitate columbæ, & serpentis prudentia. Quare satis erat

Tom. I.

E

tio-

(2) Hieronym. Lib. con. Iohann. Hi. resol.



tiochiam, Ephesum, Corinthum, Romam venisse, ac eodem tempore explicasse regiones omnes, atque civitates, quæ secus viam erant, Evangelica illustrasse doctrina. Hinc satis fuit Dionysio Corinthiorum Episcopo in Epistola ad Romanos altero Christi seculo scripta apud Eusebium *Lib. II. cap. 25.* dixisse: *Vos tanta admonitione vestra sementem, quæ Petri, & Pauli satione succreverat, Romanos scilicet & Corinthios simul commiscuistis. Ambo enim illi in Urbem nostram ingressi, sparsa Evangelicæ doctrinæ semine nos instituerunt; & IN ITALIAM SIMILITER PROPECTI, cum vos similiter instituissent, eodem tempore martyrium pertulerunt; ac simul hisce verbis prægnantibus indicasse Italiam saltem Cistiberinam, civitatesque, quæ in Cistiberina Italia secus Appiam viam dextrorsum, & sinistrorsum erant positæ, Apostolos transmigrantes ad Christi religionem adduxisse.*

6. Demum rei satis compertæ, ac pervagatæ notitiam satis fuit traditione constanti, & perpetua Episcoporum sibi succedentium serie pene apud omnes servari; quod & plurimis id genus non historiæ modo, verum & ecclesiasticæ disciplinæ capitibus accidisse neminem latere arbitror.

VII. Non ut Romanam igitur peculiarem Ecclesiam tantummodo fundarent, in Italiam venire Apostolorum coryphæi Petrus, & Paulus, sed ut per Italicas quoque Civitates Cistiberinas, & Transiberinas, Cispadanas, & Transpadanas excurrentes, in iis, quod in aliis Terræ partibus perfecerant, & populos Christianam Religionem edocerent, & Ministros, sine quibus firma stare, & incrementum capere Christiana Religio non potest, opportune ordinarent, ut Epiphanius hæc. *LXXIX.* scripsit: *Presbyteris, & Diaconibus in primis opus*

opus erat; a quibus videlicet ambobus Ecclesiastica negotia administrari possunt. Ubi nondum Episcopatu dignus aliquis occurrebat, nullus eo loco positus est Episcopus; at ubi & necessitas postulabat, nec eorum, qui Episcopatu digni erant, copia deerat, ibi Episcopi constituti.

VIII. Præter hosce Apostolorum Principes, Italis circumpadanis Barnabam Apostolum Evangelium prædicasse non admodum obscura fama est. Cum Petro item Marcum Evangelistam, ipsius filium, interpretem, & prædicationis socium; ut & cum Paulo Evangelistam Lucam, hujus quoque itineris, periculorum, ac prædicationis socium, & scriptorem in Italiam adventasse, eamque Evangelica doctrina, quam scriptis luculentissime consignarunt, illustrasse, minime addubitari potest. Roma enim, ut cordatioribus firma manet sententia, *electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ* scribens Petrus ait: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* Paulus quoque Roma, ubi captivus degebat, ad Philemonem scribens addit: *Salutat te Epaphras.... & Lucas adjutores mei.* Quare hæresi LI. S. II. S. Epiphanius, quibus in regionibus Christum prædicaverit Lucas, extento veluti digito indicans, ait: *Idque ipse primum in Dalmatia, Gallia, ITALIA, ac Macedonia præstitit.*

IX. Igitur antiquissimæ illæ traditiones, quarum vi nonnullis Italicis Ecclesiis, præsertim Romæ adjacentibus, S. Petri vel alicujus ex ejus discipulis adferitur Apostolatus, haud contemnendæ videntur: quum 1. & nulla antiquorum Patrum iis adferretur auctoritas, & 2. servatæ ab Apostolis in Evangelii propagatione methodo convenient, & 3. nisi contineant, quod Antiquitati ecclesiasticæ

absonum videatur. Quibus adde sis earundem Ecclesiarum non paucas, ac saltem præcipuas Episcoporum catalogum jam inde ab ætate apostolica exordientem in tabulariis adservare: alias vero hisce catalogis gloriari non posse, non quod ab Apostolis, apostolicisque viris constitutæ non sint, sed quod sui Christianismi origines, & Episcoporum, quos primitus sortitæ sunt, notitiæ temporum injuria perierint: illas demum, quæ non Apostolica ætate, sed sæculo III. vel IV. primum ordinatæ fuerunt, nunquam apostolicæ foundationis gloriam sibi vindicasse; sed veram, ac posteriorem earundem constitutionem vel *τοπικὰς locales* historias, vel etiam traditiones testari: ut de Asculo aliisque plurimis Piceni Ecclesiis constat, quas IV. ineunte sæculo per S. Emygdium illuc a S. Marcello Papa missum ordinatas fuisse ex antiquissima traditione exhibet Martyrologium Romanum ad Nonas Augusti. His generatim veluti delibatis in idem caput speciatim, atque enucleate *διὰ βραχίον breviter* disquiramus.

§. II. *De Evangelii per Italiae provincias Propagatione speciatim.*

X. Florentini Hetruscæ fidei, ac pietatis origines ab apostolicis temporibus repetunt; & quidem a Paulino Petri Apostoli discipulo an. 46. in Hetruriam ad Evangelium adnuntiandum ab eodem Apostolorum Principe missus: Confer Franciscum M. Florentinum de *Hetruscæ Piet. origin.* Sed & Ptolomeum quendam in Tusciam ad prædicandum Evangelium misisse Petrus Apostolus traditur, qui & ibidem martyrio coronatus sit. Hujus acta habere se testatur Baronius ad Martyrologium Romanum die 19. Octobris. Adhæc Pisanis  
Evan-

Evangelii lux adfulsit opera S. Perini, vel Petrini, quem jubente S. Petro Pisas adventasse antiquissima fert Pisanorum traditio. Tum Lucenses Evangelii lumen adpexisse feruntur opera ejusdem S. Paulini, qui licet a S. Petro ad annuntiandum generatim Hetruscis Evangelium missus fuerit; at speciatim primus Lucensis civitatis Episcopus constitutus, sub Nerone ad radices Montis Pisani cum pluribus sociis martyr occubuit. Hujus Acta Manuscripta ab Ecclesia Lucensi accepisse se testatur Baronius ad Martyrologium die 12. Julii.

XI. Fesulani Apostolatu S. Romuli S. Petri discipuli Christianam Religionem fuisse amplexatos, tum scribit S. Antoninus *Part. I. Tit. VI. cap. 26. §. 4.* tum & antiquissima ferunt Ecclesiæ Fesulanæ monumenta. Is igitur ab Apostolorum Principe primum Fesulanus Episcopus constitutus, dein ab eodem ad prædicandum Evangelium missus, quum in multis Italiæ locis Christi adventum adnuntiasset, Fesulas rediens sub Domitiano Principe martyrii una cum sociis coronam sortitus fuit. Ejusdem Fesulani Episcopi Acta ex antiquissimis monumentis edidit Franciscus Cattaneus Episcopus itidem Fesulanus.

XII. Ravennates S. Apollinaris S. Petri discipuli opera sese ad christianam religionem recepisse contendunt. Id quod indicare etiam videtur S. Petrus Chrysologus *Serm. CXXVIII.* Eodem Apollinare doctore nonnullas antiquiores Æmiliæ Ecclesias, uti Ariminensis, Forocorneliensis, Faventina &c. Christi fidem agnovisse, & antiquissimæ earundem traditiones indicant, & vetusta Martyrologia tradunt.

XIII. Bononienses primum suæ civitatis Episcopum habent S. Zamam, qui ex Martyrologio R. ad XXIV. Jan. a S. Dionysio Romano Episcopus ordinatus illuc ad Christi fi-

dem propagandam missus Bononiensem fundavit Ecclesiam. At non desunt, qui contendant aliquos saltem e Bononiensibus ætate apostolica christianam religionem fuisse amplexatos; quibus, quippe quod perpauci, statim Episcopus datus non fit. Videtis Bollandum ad *eandem diem*, Baronium ad *an.* 272. ac præ reliquis Carolum Sigonium *De Episc. Bononiensibus Tom. III. Oper.*

XIV. Mediolanenses S. Barnabam Apostolum suæ Ecclesiæ Fundatorem fuisse, ac primum Episcopum contendunt; ejusque sedem S. Anathalonem, qui SS. Gervasium, & Prothasium baptizavit, occupasse tradit Rom. Martyrologium ad XXV. *Septembr.* (3) Verum Mediolanensem S. Barnabæ Apostolatam cum ejusdem Apostoli itineribus haud convenire observant Viri rerum Apostolicarum peritissimi. Videtis Tillemontium, Mabillonium apud Muratorium *Script. Rer. Italic. Tom. I. Part. 2.* Bolland. *Hist. de Episc. Mediolan. præfixa Tom. VII. Maji.*

XV. Parmenses, Placentini, Regienses, aliæque per illam Italiæ oram constitutæ gentes S. Apollinari S. Petri discipulo, aliove il-  
luc

(3) *De S. Anathalone exstat perveterustæ quædam ἐπιγραφὴ conscripta a S. Mirocle Mediolanensi Episcopo, qui floruit incunte seculo IV.*

D. ANATHALONI ATTICO SECUNDO EPISCOPO.

Petri hospes, sanctæque Anathalon, domne probate,

Atque idem socius Barnabæ Apostoli,

Qui Mediolani Verbi Mysteria tradens

Te juber agnatos visere Cenomanos.

Dum tua membra metu rigidis subducta tyrannis

Brixia vicino detinet in loculo.

Hic titulum, & picto venerandos pariete vultus

Mirocles reddit, præstitit alma fides.

*Si S. Miroclis genuina est hæc inscriptio, profecto S. Barnabæ, ejusque vel socio, vel discipulo S. Anathaloni ferperam Mediolanensis Episcopatus abjudicatur. Vera enim hæud simile est IV. incunte seculo Mediolanensis Christianismi origines ejusdem civitatis Episcopum latuisse.*

luc a S. Petro Evangelista misso sui Christianismi auctore gloriantur. Confer Mombritium Tom. I. Petrum in Catalogo Lib. VI. pag. 128. aliosque.

XVI. Ligures a S. Petro se, atque a S. Barnaba Cristianam fidem accepisse contendunt. Confer Augustinum Justinianum Ord. Prædic. *Hist. Genuensis Lib. I.* & Baronium ad an. LI. num. 54.

XVII. Aquilejenses a S. Marco Evangelista Christi fidem fuisse edoctos antiquissima Ecclesiæ Aquilejensis traditio est; quem vel Romanam petentem, vel inde discedentem, ut Alexandriam commearet, ipsis Evangelium adnuntiasset, primumque eis dedisset, ajunt, Episcopum suum discipulum S. Hermagoram, qui postea, quum vicinis etiam populis prodigiorum dono conspicuus Christi fidem prædicaret, una cum Fortunato Diacono suo capitali supplicio adfectus martyr occubuit. Consulendi Henricus Palladius *Hist. Aquilejensis Lib. V.* Bernardus de Rubeis in *Monumentis Aquilejens.* Tillemontius, Bollandiani &c. Inter Hermagoræ discipulos primas obtinuisse videntur SS. Syrus, & Juventius, quorum opera Ticinenses ad Christum conversi traduntur. Confer Anonimum Ticinensem de *Laudibus Papiæ* apud Muratorium Tom. XI. *ibid.*

§. III. In Veronensis Ecclesiæ Origines  
*speciatim inquiritur.*

XVIII. Veronenses Euprepium sibi vindicant primum Episcopum, quem unum fuisse ex septuaginta duobus Christi discipulis illuc a S. Petro missum ad Christi Evangelium adnuntiandum contendunt, ac pluribus demonstrant. Ita August. Valer. Episcopus Veronensis, & Card. *Lib. Antiq. Monum. Episcop. Veron.* alique Antiquitatum Veronensium Scriptores. Profecto ætate Apostolica Veronæ Evangelii lucem adfulsisse tum pluribus, tum vel maxi-

me ex eo evincitur, quod S. Zeno, qui VIII. ab Euprepio Veronensis Præsul fuit, Martyr sub Gallieno occubuerit. Gallienus enim imperium tenuit circiter ann. 255.

XIX. Non desunt quidem Historiographi, qui tantam Christianismi antiquitatem Veronensibus, aliisque finitimis gentibus denegent. Horum opinioni, quod mirum videatur, novissime suum calculum addidit Vir Cl. Eques Scipio Maffejus Veronensis in suo opere inscripto: *Verona illustrata Part. I. Lib. VIII. col. 207. seq.* Potiora recentioris Veronensis Christianismi argumenta hæc sunt. 1. Plures antiquæ Inscriptiones Zenoni Martyris notam non adpingunt. 2. S. Ambrosius Zenonem Syagrii prædecessorem memorat: atqui Syagrius Ambrosii ætate vixit, ad quem ipse Ambrosius scripsit Epistolam, quæ est 46. *Lib. VI. Vet. edit. Rom.* 3. Sermones Zenoni tributi in persecutionum tempora non quadrant.

XX. Primum argumentum facili negotio dissolvitur. Nam 1. Inscriptiones, in quibus *Martyris* nota deest, deest quoque nota *Episcopatus*; sed plerumque *Patronum* tantummodo efferunt (4): Num inde eduxeris Zenonem Episcopum non fuisse?

2. Fa-

---

(4) *Plures exhiberi possent Inscriptiones, in quibus Divo Zenoni neque Martyris, neque Episcopi character adpingitur: sed tantummodo Patronus significatur. At satis esto vetus Inscriptio apud Ugheium Episc. Veron. in Zenone*

Templum quod cernis Viator  
Priscis olim Longobardorum Regum temporibus  
Fundatum  
Bellorum deinde injuriis  
A Pipino Magni Caroli Filio Italiae Rege  
Augustius demum a fundamentis  
Excitatum  
Hostilibus subinde petitem incurfibus  
D. Zenoni Eximio Veronæ Patrono  
Restauratum  
Marmoreis Parietibus Æreis Portis adhuc perseverans  
Inter Urbis Miranda censetur.

2. Familiare fuit veteribus Martyrii, vel Episcopatus characteres omittere, uti pluribus demonstrari posset; sed satis esto nostrum vetus Kalendarium marmoreum, cui novem sæculorum antiquitatem vindicat Mazochius, in quo promiscue occurrunt: S. JOHANNIS CHRIM. S. POTITI, S. FELICI NOLANI, S. ELPIDII EPI. S. PHILONE, S. IGNATI, S. POLICARPI, S. RUFINI MAR. S. PHILIPPI EPI. MAR. &c.

3. S. Gregorius M. *Dialog. Lib. III. cap. 19.* dilerte Zenonem Martyrem memorat; *Apud Veronensem Urbem*, inquit, *Fluvius Athesis excrescens ad beati Zenonis Martyris, atque Pontificis Ecclesiam venit.* (5)

XXI. Alterum argumentum etiam plene occidit, ubi cum Baronio in *Martyrolog. Rom. ad diem XII. April.* duos ponamus Zenones; primum sub Gallieno, alterum ætate Ambrosii. Iis enim, qui nonnisi unum ætate Ambrosii Zenonem, Veronensem Episcopum constituunt, prora, & puppis est Sermo *de Pudicitia* eidem Zenoni tributus, ubi Auctor numerat ab Apostoli Pauli ad Corinth. primam scribentis Epistolam tempore ad suam ætatem *annos*, ut ait, *ferme quadringentos, & amplius.* At vero ubi quis ab anno Christi LIX. (quo illam Epistolam scriptam contendunt Usserius, aliique *χρονολογιστῆς* chronologistæ) recensent *annos quadringentos*, profecto inveniet sermonem illum Anno CCCCLIX. omnino scribi oportuisse, & quidem diu post obitum Ambrosii; quem extremum diem

E 5

obiit-

---

(5) Martyrium S. Zenonis adeo constat, ut neque Massequz illud in dubium revocare quiverit; licet dein contra perpetuam, & antiquissimam Ecclesie Veronensis traditionem, & veterum Martyrologiorum fidem illum exente IV. sæculo a paganis occisum suspicetur, vel potius comminiscetur.



obiisse anno CCCXCVII. satis constat. Igitur cæcutiat oportet, qui non videt illam numeri notam mendosam esse, atque pro *annos ferme quadringentos & amplius*, legendum *ducentos & amplius*. Sic enim numerando ducentos annos, & amplius ab anno Domini LIX. quo, ut diximus, ea ad Corinth. Epistola scripta est ad Gallieni tempora, qui imperavit ab anno Dom. CCLV. ad annum CCLXVIII. sub quo Zeno traditur passus, profecto deducitur numerus restitutus.

XXII. Tertium argumentum quod spectat, non desunt quidem, qui Sermones vulgo S. Zenoni Episc. & M. tributos, alteri Zenon. S. Ambrosii *συγγραμματα* *coævo* tribuant; verum mea sententia illorum plerique S. Zenoni M. omnino tribuendi sunt, licet fortasse aliquot alterius Scriptoris sint, & inter Sermones Zenonianos vel ex nominis similitudine, vel ex argumenti adfinitate, admixti. Quod vero illorum plerique S. Zenonis M. genuini factus sint, atque adeo in persecutionum tempora quadrent, pluribus evincitur. Speciminis loco sint, I. Eodem nuper indicato de *Pudicitia* Serm. Auctor vehementer in fæminas invehitur, quæ Gentilibus nubunt; adhæc diferte scribit Idolorum templa tunc fuisse patentia, & victimas solitas immolari: id quod ab Ambrosii ætate alienum est, & potiori jure ab medio sæculo V. quo tempore, uti modo probavimus, sermonem illum oportuisset Auctorem conscribere, si antiquæ lectioni *annos ferme quadringentos & amplius* standum esset. Atque hinc etiam patet prorsus restituendum, *ducentos & amplius*, quod a nobis præstitum est; & miramur Massejum id non advertisse.

2. Serm. I. *de Avaritia* scribit in nummis excudi consuevisse signa idololatriæ, atque adeo

adeo ipsa idola, quæ colerentur in templo. Scribit enim: *Aurum, argentumque, Christiane, si vera dicenda sunt, execraris in simulacris solis, non in penetralibus tuis: nam & illic aureis, argenteisque veluti Templis tereti moneta percussis inesse similiter Regum vultus, si-gnaque cognoscis: nihilque aliud distat, nisi quod intra domum minuta sunt, in Templo majora.*

3. Serm. de Spir. Ædif. domus Dei, plane demonstrat eo tempore nullum templum, aut perrarum fuisse erectum, quod cum Gentilium ædibus comparari posset: quod sane significat Auctorem longe ante Constantini tempora claruisse.

4. Eodem Serm. I. de Avaritia Veronensium mores iis depingit coloribus, quibus persecutionum potius tempora, quam pacis efferuntur. *Sed hæc, inquit, non ad vos, Fratres, quorum largitas Provinciis omnibus nota est, quorum pia semina totius quodammodo Orbis per membra jactantur; a vobis multi redempti: MULTI EDICTIS FERALIBUS liberati: multi conditionibus exuti: vestrae domus peregrinis omnibus patent, sub vobis vivus, mortuusque diu nunquam visus est novus.*

XXIII. Placuit longius aliquantulum immorari in vindicanda Veronensibus Apostolica ætate constituta Ecclesia, & consecrato Episcopo. Inde enim maximum argumenti robur accedit antiquissimis, & haud recentibus monumentis, nec levibus conjecturis firmatis traditionibus, quas Brixienfes, Bergomates, Cremonenses, Patavini, Dertonenses, Vicentini, aliæque circumjacentes regiones efferunt ad suam tuendam Apostolicam antiquitatem; quas neque firmioribus rationum momentis Cl. Maffejus *ibidem* prostrernere conatur.

XXIV. Igitur ab Apostolicæ Prædicationis possessione exturbandi non sunt 1. Patavini, qui primam originem referunt ab S. Prosdocimo natione Græco S. Petri Discipulo, qui Patavium ad prædicandum Evangelium missus, ibi cum plures ad Christi fidem convertit, tum vel maxime Vitellianum Præsidem cum uxore baptizavit, ejusque filiam Justinam, quæ postea Martyr occubuit. Qua de re ab eodem S. Petro Patavinæ Ecclesiæ Episcopus constitutus, quum eandem pluribus annis rexisset, ibidem denuum extremum diem obiit. Ejusdem Historiam ex antiquis Patavinæ Ecclesiæ actis collegit Mombritius *Tom. II. Vit. Sanctior.*

2. Ejusdem Prosdocimi opera Vincentinos quoque circiter annum LXXVII. Christi fidem, ac primum Episcopum S. Leontium accepisse, tum Vicentinorum Præfulum ab ipso Apostolico ævo series indicat, tum & ipse Mombritius *ibidem* demonstrat.

3. Tridentinis ex antiquissima eorumdem traditione Evangelii lux adfulsit opera S. Hermagoræ discipuli S. Marci Evangelistæ, qui, quum jam Aquilejensis esset Episcopus, Tridentinis Christi fidem prædicavit, iisdemque primum Episcopum dedit suum discipulum Jovinum. Confer Janum Pyrrhum Pincium *de Trid. Urbis origine.*

4. Bergomates S. Narno sui Christianismi gloriantur auctore, qui a S. Barnaba baptismi aqua lustratus primus ab eo Bergomensis Ecclesiæ Episcopus est constitutus.

5. Brixientes S. Anathalonem, quem primum Mediolanensem Episcopum destinaverat S. Barnabas, sui Christianismi Auctorem efferunt; qui cum Brixie plurimum laborasset, Mediolanum reversus ibidem extremum diem obiit.

6. Cre.

6. Cremonenses Sabinum S. Syri Papiensis Episcopi discipulum primum Episcopum accepisse feruntur.

7. Tertonenfes, vel Dertonenses fidei Doctorem fortiti sunt S. Marcianum Episcopum, & Martyrem, qui sub Trajano pro Christi gloria occisus est: ita Martyrologium Romanum. At ejus acta apud Mombritium *Tom. II.* & apud Petrum in *Catal. Lib. III. cap. 189.* sub Hadriano passum efferunt.

## C A P U T VI.

De Apostolica per Oras Regni Neapolitani Evangelii propagatione.

§. I. *De Apostolica per Oras Regni Neapolitani Evangelii propagatione generatim.*

I. **J**AM vero præ reliquis universæ Italiæ regionibus Regno Neapolitano primigenia Apostolicæ prædicationis gloria potiori jure tribuenda videtur, eo quod regiones, ex quibus illud modo coalescit, Pauli in dubio adpulsu primo, & Petri Apostolorum Principis adventu primo Romam versus, dein propter Claudii edictum ex Urbe discessu, demum ipsius in Urbe reditu fuerint non semel peragrata: quod sane Christianæ Religionis momenta vetustiora, & Antistitum series abunde testantur; præsertim si ex citata Dionysii Corinthiorum Episcopi Scriptoris antiquissimi Epistola animadvertatur, Petrum & Paulum diversis utique temporibus Corintho solventes in *Italiam* certe *Cistiberinam* adpulsisse. Et profecto quemadmodum apud Eruditos clarissime constat, regiones hæc Cistiberinas primum fuisse post diluvium habitatoribus ex Oriente advenientibus cultas, ita quoque A-

postolis adhuc ex Oriente, & a Græcia præfertim solventibus regiones easdem Evangelio fuisse primum illustratas fatendum est.

II. Vetustissimis igitur Regni nostri traditionibus sane sincerioribus contat, duplici itinere Romam petiisse S. Petrum. Sub Claudio primum Imperatore Corintho solvens Apostolus Brundisium, e Græcia advenientibus stationem opportunam, & frequentissimam, adpulsus; inde visitasse Hydruntum, ac Tarentum; dein terrestri itinere via Appia ut plurimum per Uriam, Egnatiam, Barium, Medumnium, Butuntum, Rubos, Hadriam Appulam, Cannas, Salapiam, Sipontum, Canusium, Beneventum, & inde Neapolim, Capuam, aliasque Civitates Romam ingressus, eodemque retrogrado itinere e Roma sub eodem Claudio discedens in Orientem reversus traditur.

III. Sub Nerone postmodum Imperatore iterum Romam petens, itinere maritimo dicitur Rhegium primo, inde Siciliæ Urbes Syracusas, Tauromenium, aliasque, & illinc Salernum, Neapolim, Puteolos, nonnullasque nostri Tyrrheni maris alias Urbes invisisse Apostolus; quo cursu peracto in Latium terrestri via rediisse. Illud profecto dubio procul esse videtur, Neapolitana in Urbe, Capuana similiter, Suesiana, Atinensi, Tarracineni, & ceteris, quæ hinc inde Romanam ad viam pertingunt, Apostolum constitisse. Non inficias ibo, hoc decus Tranio Summontium, Sarnellium Vigilii, Cupersano Tarsiam, aliosque Scriptores aliis Civitatibus esse impertitos: nec quidem silentio premam, Caracciolum, Summontium illum, nonnullosque alios recentiores pro lubitu paulo aliter hæc itinera descripsisse; verum excussis Ecclesiarum Regionum nostrarum Archivis & Monumentis, quæ  
anti-

antiquitate, & sinceritate se commendant, non alio modo traditionem, semotis difficultatibus, ac miris omnibus averruncatis eventibus, stare posse fateor.

IV. Hac igitur traditione exposita, majus illi pondus accedit ex Episcopis Apostolo coævis, qui in illis Civitatibus ab eodem suis in Evangelicis peregrinationibus constituti ex cujusvis Ecclesiasticis monumentis proferuntur. Et profecto *Amasianum* a Divo Petro Episcopum ordinatum affert Tarentina Ecclesia, *Barientis Maurum*, *Photinum* Beneventana, *Neapolitana Asprenum*, *Priscum* Capuana, *Suessana Sisinnium*, *Puteolana Patrobam*, *Atinensis Marcum*, *Epaphroditum* Tarracinensis, *Rhegina Stephanum*, nonnullosque alios. Quod sane argumentum tanti est momenti, ut Jannonium ipsum Historiæ Regni nostri difficilem criticum fateri coegerit, negari haud posse Christianam Religionem primis Ecclesiæ sæculis a S. Petro, vel alio Apostolo, vel aliquo ex eorum discipulis nostras in Regiones fuisse investam; adeo quam in partem argumenti vi compulsius sedaret, nesciebat.

V. Infinitus sane essem, si harum omnium Ecclesiarum monumenta ad traditiones modo in medium prolatas comprobandas adferre vellem. Præstat autem ex iis aliqua seligere, ne videantur traditiones nostræ sola stare vulgi traditione. Porro de Ecclesia Neapolitana superior nobis sermo habebitur *Capite sequenti*, quo Urbi Neapolitanæ S. Petri adventum, & prædicationem vindicabimus.

## §. II. De Ecclesia Tarentina.

VI. Ac primo Tarentinam quod spectat Ecclesiam, licet male adsertis quibusdam narratiunculis ipsius traditio apud Joannem Juvenem reperiatur, ut erant medio ævo hominum ingenia ad mira in Sanctorum Actis fingenda plerumque adcommodata; illis tamen sublatis ex MS. codice, quem Tarentini clerici pro officio Divi Cataldi in Choro observabant, & ex Antonii Galatæi *de situ Japigiæ* opere elegantissimo ediscimus: 1. Quod adhuc existet ad XII. mille passuum ab Acra Japigia versus Tarentum vetustissimum templum Divo Petro dicatum, ubi Apostolus ad pulsus primum in Italiam divina mysteria cum sociis celebravit.

2. Tarentum ingressus quum ei *Amasianus* pauperculus, & miserrime incurvus horti cujusdam divitis Eucadii custos occurrisset, non solum invocato Christi nomine sanum erexit, sed baptismo ablutum ipsi Christo fidelem reddidit.

3. Mox cum alios ad fidem convertisset, inde discedens Petrus, ut in alias sese conferret civitates, Marcum reliquit, qui Tarentinam augeret ordinaretque Ecclesiam.

4. Quare Marcus Eucadii filia a dæmonis vexatione liberata, quum inde integra Eucadii domus, nonnullique alii baptismum recepissent, ipse Amasiano tunc adolescente Tarentinæ Ecclesiæ Episcopo augurato, ad Præceptorem suum, qui non Rhegii, sed in Penetia morabatur, se contulit.

## §. III. De Ecclesia Bariensi.

VII. Juvat heic paulo plenius de Bariensi S. Petri Apostolatu subnectere, quæ mihi suggestit acerrimi judicii vir, & in rimandis æque sacris, ac profanis, præcipue Regni nostri, antiquitatibus si quis unquam callentissimus Alexander Maria Kalæphatus Reginus Sacr. Theologiæ Antecessor, & ejusdem Præmatialis Bariensis Ecclesiæ Canonicus. Igitur constantissima æque ac vetustissima Bariensium traditio, S. Petrum Apostolorum Principem, Barium universæ Apuliæ illustre. *Municipium* venisse non semel, hisce septem innititur fundamentis.

1. Bariensis Civitas Græcis Romanisque frequentata secus viam erat posita, quæ Appia dicebatur, quaque Brundusio Romam versus, & Roma Brundisium sollemne iter erat (1). Hinc, unde Apuliæ, Lucaniæ, & Samnii reliquæ civitates mediterraneæ argumentum arcessunt traditionis suæ, receptæ nimirum per Apostolum Petrum Religionis Christianæ, inde & potiore jure sibi vindicant Barienses.

2. In hac quidem urbe prope maris littus boreale, & in ipso pene Bariensis Promontorii apice adhuc incolumis est subterranea specus faxoso excavata tofo, oblonga, satis ampla, sinistrorsum sinuosa, & vetustissimis ornata picturis, in qua sub tholo aræ vestigia superiunt, & cui in monumentis nomen est SPECUS S. PETRI ARCHÆI, & PROTERI, scilicet *Antiqui*, & *Primi*. In hac utique specu Divum inhabitasse, ibique & Barienses baptismo peperisse Christo, & primum Episcopum

---

(1) Horat. Satyr. 5. L. 1. . . . . via pejor ad usque Bari mœnia piscosi.



pum *Maurum* ordinasse, & sacrificasse pluries, dum *Barii* est moratus, semper & ab omnibus una voce constantissime traditum est. Quare grato *Bariensium* erga *Divum Petrum* animo minime oblanguescente, quemadmodum in aliis propriæ civitatis regionibus, & in suburbiis antiquitus sub ejus invocatione sacras ædes erexerunt, ita non longe a prædicta specu venientibus annis amplissimum ab iis constructum est Templum, quod duobus abhinc sæculis restitutum, hodie dum dicitur *S. Petri Apostoli Majoris*, sive *S. Petri ad Foveas*. In hoc profecto Templum solemnè pompa illa est ejusdem Apostoli illata vetustissima marmorea statua, quæ in sacra illa specu antiquitus colebatur.

3. In duobus *Bariensis Ecclesiæ* Kalendaris primo sæculi V. brevissimo, copiosiore altero VII. sæculi legitur XIII. Kalendas Januarii, ( scilicet xx. Decembris ) **ADVENT. PETRI BAR.** quod nisi de adventu Apostoli Petri in *Bariensem urbem* intelligatur, aliud non occurrit, quod interpreteris. Præsertim quod in satis antiquo ejusdem Ecclesiæ breviusculo Martyrologio plenior hujusce adventus memoria legatur. In eodem antiquiore Kalendario habentur quoque & hæc alia notatu dignissima; IV. NON. Maii, ( scilicet die IV. Maii ) **TRANSIT. PAULI.** Item III. KAL. Novembris, ( idest xxx. Octobris ) **REVERS. MARCI;** ut & VI. IDUS Septembris, ( videlicet VIII. Septembris ) **COMMORAT. LUCÆ;** quæ quidem peculiare omnino hujus Ecclesiæ commemorationes non nisi *de transitu Pauli Apostoli* per *Bariensem civitatem*, *de reversione S. Marci* in eandem urbem, & *Commemoratione S. Lucæ* apud *Barienses cives* intelligi possunt; præsertim si addatur in codice Membranaceo obvoluto sæculi x. vel xi. in quo peculiare **EXULTET**, & peculiaris **BENEDICTIO IGNIS,**

IGNIS, CEREI, ac FONTIS habentur, quæ in illa Ecclesia Sabbato Sancto de more cani solebant, sane notatu dignum illud occurrere, quod non sine consilio inter imagines Apostolorum Pauli, & Petri verba illa sunt adposita: *Dignum & justum est (gratias Deo agere) per eundem Dominum nostrum, qui nos ad noctem istam non tenebrarum, sed luminis matrem perducere dignatus est, in qua exorta est ab inferis in æterna die Resurrectio mortuorum.* Verum hæc, & alia egregia quidem monumenta propediem opera ejusdem viri Cl. Commentariis illustrata prodibunt.

4. Hujusce Petri adventus in urbem Bariï, ut & prædicationis memoria luculentissime legitur enarrata a *Michaele Bariensi subdiacono sæculi octavi* Scriptore in ejus adversus Iconoclastas opusculo.

5. In antiqua Bariensis Ecclesiæ Liturgia sæculi noni, quæ priorum sæculorum Liturgicas usu confirmatas consuetudines continet, præcipitur, die Sabbati Sancti Hebdomadæ majoris, post benedictionem baptismalis fontis in *Trullo Cathedralis Jesu Christo Soteri* dicto, Clerum urceos quinque aqua benedicta e *Trullo* hausta plenos gestantem cum Archiepiscopo *tunc solum antecedente*, Crucemque auream præ manibus gestante procedere ad *S. Petri Apostoli Archæi, & Proteri* specum, ad fontem benedicendum, in perennem baptismi ab Apostolo Bariensibus primum collati memoriam: inde postmodum procedere ad benedicendos fontes in sacris ædibus *S. Pauli, S. Lucæ Illyricorum, S. Joannis Baptiste, & S. Marci Alexandrinorum*, in quarum singulos fontes unus ex quinque urceis aquæ benedictæ *Fontis Trullani* infundebatur, & e quorum fontibus singulis urceus ille unus exhaustus denuo replebatur: ac demum Clerum ipsam

sum cum Archiepiscopo in Cathedralem redire ad quinque illos urceos, noviter aqua benedicta quinque fontium baptismalium *SS. Petri, Pauli, Lucae, Joannis, & Marci* repletos in Trullanum fontem Salvatoris effundendos, ad unitatem baptismi, qui unus est in Christo Jesu D. N. clarissime significandam.

6. Præterea primus Bariensium Antistes, qui in Episcoporum hujus Primatialis Ecclesiæ occurrit serie, est *S. Maurus Episcopus, & Martyr Petri discipulus*. Hic ab Apostolo constitutus novi gregis a se congregati Pastor, sub *Domitiano* Imperatore una cum *Sergio Diacono, & Pantaleone Lectore* apud Barium martyrii corona donatus, a *Thecla* pientissima Matrona in prædio suo *Sagina* dicto prope *Vigilias* honorifice est sepultus, cui eodem in loco ipsamet *Thecla* sub *Trajano* Basilicam excitavit. Quamvis & *Vigilienses* civitatis medii ævi incolæ, Martyrem hunc suum primum prædicent Episcopum: at & hoc *Bollandistæ* negant, & *Acta Primigenia, & cœva* hujusce Martyrii auro contra pretiosiora Barienses apertissime in sua retinent antiqua possessione.

7. Quatuor ulterius MSS. Bariensium Episcoporum Catalogi, Liberque MS. Actorum Antistitum Bariensium a *S. Mauro* Divi *Petri* Apostoli discipulo seriem exordientes, factis evincunt, Bariensem traditionem de felici præsertim Apostolorum Principis apud eos prædicatione maxima veritatis specie constare.

8. Tandem Scriptores pene omnes, qui de Regno Neapolitano per Petrum ad Christi fidem converso verba fecerunt, hanc probarunt Bariensem traditionem; uti inter ceteros videre est *Petrum Jannonium* in sua *Civili Historia Lib. I. cap. II. §. 2.* Hactenus firmata

Bariensis Ecclesiæ Traditio mirum quantum ceterarum Regni nostri Ecclesiarum traditiones roborat. Namque si S. Petrus Romam petens Barium in Neapolitano Regno positam Civitatem Evangelica sedulo instituit doctrina, quin alias ejusdem Regni Civitates, quæ Barium circumstant, ad Christi fidem perduxerit, nefas est dubitare.

§. IV. De Ecclesia Beneventana.

VIII. Quod ad Beneventanam principem in Hirpinis positam Ecclesiam, omni ævo illustrem, & S. Januarii Neapolitani Civis Episcopatu, & Martyrio sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus celeberrimam spectat, profecto res omni dubitatione vacat. Joannes de Vita Vir Clariss. primum S. Beneventanæ Ecclesiæ Canonicus, modo Episcopus Reatinus, in tuo vere omni eruditione, doctrinaque refertissimo *Antiquitatum Beneventanarum Thesauro*, Dissert. III. in qua *de Tempore, quo primum Beneventi suscepta est Christiana Fides* inquit, Patriæ tuæ traditionem in tuto posuit validissimis hisce momentis fultam.

1. Profecto nihil verius, certiusque adfirmari potest, quam Petrum in eo itinere, quo ter Cistiberina Italia sibi fuit peragrandam, illustrioribus saltem locis, qua pertransiisse oportuit, Evangelii prædicandi munere non sine felici successu fuisse functum. Quare quum Beneventum Romanorum antiqua Colonia in meditullio Appiæ viæ, qua Brundusio Romanam iter erat, fuerit posita, quis unquam addubitaverit, qui a S. Petro in illa Christi caula fuerit constituta?

2. Huic non mediocri profecto conjecturæ majus robur accedit ex eo quod in *Kalenda-*  
riis,

*viis, Martyrologiis, Lëctionariis, Litaniis, & hujusmodi aliis antiquis monumentis, quibus, ut Eruditi satis norunt, Beneventanæ Ecclesiæ Bibliotheca abundat, primus Beneventanorum Episcopus recensetur S. Photinus, S. Petri discipulus, & ab eodem Apostolo ordinatus (2).*

3. Præterea cum criticis cordatioribus fateatur De Vita, plurima tum in quædam Episcoporum acta, quæ circumferuntur, tum in ipsas traditiones commenta irrepsisse; ea tamen non esse hujusmodi contendit, quæ veritati illi officiant, qua in plerisque Cissiberinæ Italiæ Urbibus Petri prædicatione, ac labore Christi fidem susceptam fuisse constat; ita maximopere gloriatur, quod *sincerior forrasse, quia ceteris simplicior, ad posteros ejus rei traditio ( Beneventana ) pervasit, dum de suo*

---

(2) *Franciscus Pacca Archiepiscopus Beneventanus in Epistola Encyclica, quam in suæ Sedis inauguratione ad Clerum Populumque Beneventanum misit, adseruit, primum Beneventi Episcopum fuisse S. Marcianum Martyrem S. Petri discipulum. Verum Archiepiscopus a Viro Cl. Episcopo Areatino (quod optime factum) interrogatus, unde eam notam illam, omnibus ignotam, ac communi, vetustissimæque oppeditam hausisset traditionem, quam Beneventano pulpito venditaret, respondit: In Uuardo Monasterii Beneventani S. Sophiæ, modo in Bibliotheca Vaticana adseruato, cui X. aut XI. Seculi antiquitas tribuitur in Mens. Junio se aliquando legisse: Beneventi S. Marciani Episcopi, & Martyri. discipuli S. Petri. Perro merito indignatus dictus De Vita ait: Quis credat, quom longo tempore Ecclesia S. Sophiæ (in ipsa Beneventi civitate antiquitus a Benedictinis Monachis maxime culta) ejus Codicis quotidiana pene lectione uti debuisset, atque adeo vulgatum apud omnes Beneventanos S. Marciani Primi Episcopi nomen jam fuisset, ejus tamen rei ita periisse memoriam, ut nullum vel leve vestigium ad posteros perueniret? Et e contrario, ut Episcopi Reatini dictis aliquibus nobis addi liceat, quis credat, si uti vera, ac sincera daretur illa Uuardi S. Sophiæ lectio, aduersus illam S. Marciani jactatam traditionem petuisse unquam S. Photini Primi Beneventi Episcopi, Petrique Apostoli discipuli tot seculorum cursu apud omnes Beneventanas Ecclesias, in omnibus Sætris Beneventanis monumentis adeo constantem semper perennare memoriam?*

suo Episcopo Photino, ac de Petri in sua mœnia adventu nihil magnificum, ac quadam miraculorum pompa illustre jactat; eo duntaxat contenta, ut eundem Photinum primum sibi ab eodem Petro Episcopum constitutum velit (3).

§. V. De Ecclesia Puteolana.

IX. Neminem profecto latere arbitror, quibus diverso tempore Puteolorum Civitas vexata fuerit bellis, incendiis, terræmotibus, vastationibus &c. ita ut sæpe sæpius habitatoribus denudata, inculta, ac deserta jacuerit. Et nostra etiam ætate jaceret profecto, nisi opportunas admovisset manus Petrus de Toledo Neapolis Prorex. Qua de re mirum non est, si monumentis iis destituta lugetur, quibus Evangelii prædicatio ab Apostolis per Puteolos disseminata monstratur.

X. Nihilominus satis superque constat Evangelicam lucem Puteolanis Apostolorum opera adfulsisse; & quod tum maximi momenti, tum Puteolis honoris est, ex Sacris Novi Testamenti paginis id aperte evincitur.

1. Profecto in Apostolorum Actis Cap. 28. describitur Paulus a Melita Syracusas adpulisse, inde devenisse Rhegium, & post duos dies

---

(3) Hæc omni o animadvertendum, constitutum a Viro Cl. Critices Canonem non ita esse intelligendam, ut inde alia Acta, vel miracula sine omnino expellenda, vel uti falsa traducenda; præsertim si miracula ipsa probabilibus sint firmata monumentis; quippe in prima gentium ad fidem conversione miracula a Deo in adnunziata veritatis confirmationem patrari consueverunt, uti ex Actis Apostolicis, ex antiquis Ecclesiasticis monumentis, & ex ipsis Christi Domini promissis nobis sat evidenter efficitur. Quid si dicamus S. Photini Acta perisse (nam nulli circumferuntur) & Photini tanquam nominis, ordinationisque eius a Petro facta, ut & ejusdem Apostolici discipulatus memoriam simpliciter in Calendariis, aliisque id genus brevioribus Ecclesiasticis monumentis, ut docet, esse servatam?

dies Puteolos, ubi inventis fratribus rogatus est manere apud eos dies septem. Quod fratrum nomine fideles heic intelligantur, illi nimirum, qui Christi fidem jam fuerant amplexati, res est luce ipsa splendidior, atque æque veterum, ac recentiorum Scriptorum auctoritate firmata. Nos quoque rei ejusdem inferne pauca subnectimus (4). Paulus Puteolos advenisse conjicitur circa annum Æræ vulgaris LXIII. Neronis vero IX.

2. Præterea Paulus *Epist. ad Rom. Cap. XVI.* hæc habet: *Salutate Asyncritum, Patrobam, Hermen, & qui cum eis sunt fratres.* Patrobas primus fuit Puteolorum Episcopus. Quamobrem quum Epistola ad Romanos exarata sit ann. 60. Æræ vulgaris, effici inde, ægiquæ posse videtur, Puteolorum civitatem jam tum fuisse fidelem.

3. Sanctum vero Patrobam primum fuisse Puteolorum Episcopum non aliunde colligitur, quam ex antiquissima, ac perpetuo sibi constante Puteolorum Civitatis, aliarumque Italiæ Ecclesiarum traditione; quam Clariss. Ughellius sic describit: *Patrobam unum ex septuaginta duobus discipulis Christi, immo & Pauli comitibus, cujus meminit Epist. ad Romanos, satagente Petro Apostolorum Principe Jerosolymis, post Judaicam persecutionem, dispersionemque Christi discipulorum per universas orbis terrarum partes, ordinatum Episcopum*

(4) Græcus textus sic se habet: Οὐ εὐρόντες ἀδελφοὶ παρεκλήθημεν ἐπ' αὐτοῖς ἐπιμῆναι ἡμέρας ἑπτα. Quod interpretari licet: Ubi inventis fratribus rogati, sive rōtius consolati sumus, quum ibi mansissemus apud eos. Sive, ut aliis placet: rogati sumus, ut ibi permaneremus eorum causa, eorum iuro, propter eos, quali diceret: ἐπὶ τῷ κέ. δα. Profectō duo Codices legunt: παρ' αὐτοῖς. Ita Grotius, Ludovicus de Dieu, Hostius, aliique apud Polum. Verum quicumque modo Luca verba explicentur; ἀδελφός fratres hæcicæ esse arbitranāni haud recit.

*pum Puteolos nutu divino adpulisse, eaque in urbe tunc florentissima Evangelium disseminasse, ejusque primum Præsulem fuisse institutum vetus constansque traditio narrat. Verum de ea pauca loquuntur monumenta; quæ enim, ut Baronius scribit, a primis Christifidelibus gesta sunt Scriptorum inopia, vel scripturarum naufragio, remanserunt silentio sepulta. Igitur S. Patrobas primus Puteolanus Episcopus assiduo labore, fideique fervore prædicationis accensus, fidem, sedemque Episcopalem Puteolis constabilivit. Confer etiam Baronium in Martyrol. die IV. Novembris, & Annal. Eccles. An. LVI.*

S. VI. De Ecclesia Capuana.

XI. Pervetusta, & perpetua Capuanæ Ecclesiæ traditio tum antiquis monumentis, tum validissimis conjecturis firmata docet, S. Petrum, Ecclesiis Tarenti, Beneventi, Neapolis, aliisque fundatis, quum Romam versus iter adgrederetur, Ecclesiam Capuanam stabilivisse, eique Episcopum præfecisse S. Priscum, unum ex 72. Christi discipulis. Michael Monachus in suo *Sanctuario Capuano*, quod ex antiquis Capuanæ Ecclesiæ memoriis collegit, confecitque, postquam traditionem hanc adtulisset, sic habet: *Hanc ego traditionem diligenter examinans mihi visus sum aliis monumentis consentaneam reperire. Hæc habet, S. Petrum Neapoli Romam terrestri itinere concessisse: at idem habent acta antiquissima Atinensis Ecclesiæ. Hoc etiam innuunt verba Petri Natalis Lib. VIII. cap. 18. quæ sunt: Priscus post Adscensionem Domini veniens Romam cum Apostolo Petro in partibus Campaniæ Evangelium prædicavit. Qui & apud Capuam in via Aquaria depositus est. Tum antiquissimum*



mum Breviarium Capuanum: *B. Priscus Capuæ donatus a Domino, ut populus, qui ibi Dianæ vana sacrificia offerebat, liberaretur .... Verbi Dei predicatione intentus non longe ab Albana porta in via, qua Beneventum itur.* Jam vero quæ in antiquissimis hisce Actis dicuntur de Porta Albana, & de cultu Dianæ optime conveniunt cum antiqua Capua, uti demonstrant Camillus Peregrinus *de Campania Felice Diff. II. cap. 29.* aliique Scriptores, qui antiquum Campaniæ situm descripserunt.

XII. Præterea in dubium revocari minime potest, quod Martyrologia Adonis, & Romanum testantur, Capuæ scilicet S. Priscum martyrio coronatum occubuisse. At vero constat aliunde, S. Rufum tertium in Capuana Sede Episcopum baptismo initiatum a S. Apollinari D. Petri discipulo, martyrium sub Nerone subiisse. Itaque S. Priscus aliquot ante annis consecratus fuit Episcopus. Neque alia proferri potest causa, quamobrem dicamus S. Priscum ad fidem conversum, baptizatum, atque Episcopum ordinatum, nisi D. Petri Capuam adventus statuat, qua prætereundum illi fuerat, quum Romam contenderet.

XIII. Porro his adde, Christianæ religionis antiquitati maximam lucem accedere a martyrio Episcoporum, aliorumque fidelium, qui ad multorum tormentorum obruffam exacti, Capuæ tandem laurea decorati obierunt. Hujusmodi fuere primi Episcopi Priscus, & Rutilius: Aristinus, Carpophorus &c. ut constat ex Martyrologio Romano, & ex aliis etiam Martyrologiis Bedæ, Ufuardi, & Adonis. Confer quoque Orlandum in Orbe Sacro, & Profano *Part. II. Lib. IV. cap. 5. num. 8.* & Joannem Petrum Pasqualem in sua *Historia Lib. I. pag. 23. & 24.*

XIV. Denique observatum sapius a nobis est,

est, hunc ordinem in propagando Evangelio servasse Apostolos, ut nobiliores, & illustriores prius civitates invaderent, quo facilius inde ruptis obicibus, qui in principibus urbibus frequentiores opponuntur, provinciarum urbes minorum gentium Christi jugo, imperioque subigerent. At vero Capuana Civitas tunc temporis nobilitate summa, ac magnitudine florebat, quum S. Petrus, cui Occidentales regiones obtigerant, Romam contenderet; qua de re oppido verisimile est, hanc illum stabiliendæ ibi religionis Christi occasionem arripuisse.

XV. Verum ad præscriptam Capuanæ Ecclesiæ traditionem magis corroborandam illud mihi sane validius, & omni exceptione majus argumentum videtur, quod deducitur ab antiquissima quadam Ecclesia D. Petro dicata, quam dicunt *S. Petri de Aposteja*, sive *Apostoleja*. Hæc porro Ecclesia tantam præfert vetustatem, ut anno 1420. Canonicus quidam Cathedralis Ecclesiæ Capuanæ quum eam reficere, & reædificare statuisset, ne locum quidem invenit, ubi quondam illa erigebatur, ut ab Instrumento constat, quod in Archivis Capuæ adservatur, quodque refertur a Michaele Monacho in suo *Sanctuario Capuano*. Hujusmodi Instrumentum hæc habet: *Prefatus Marinus Pharaoni de Alipha habitator Capuæ ex quadam sua devotione, quam gessit, & gerit erga Ecclesiam S. Petri ad Postejam extra Capuam antiquitus pia fidelium devotione fundatam, quæ propter ipsius antiquitatem & propter guerrarum turbines, totaliter fuit, & est collapsa & diruta, adeo quod vix potest discerni locus, ubi dicta Ecclesia antiquitus fuit edificata. Quæ propter ipsius collapsitatem, & ruinositatem ab eo tempore quum hominum memoria in contrarium non extet &c.*

Argumenti sane hujus vis, & robur elucet vel maxime a priorum fidelium consuetudine ut adpellarent *Apostolejum* illam præcipue Ecclesiam, ubi Apostoli alicujus corpus adfervaretur. Atque hac de causa *Apostoleon* adpellat Sozomenus Ecclesiam sub auspiciis D. Petri Romæ dedicatam, siquidem S. Petrus Romæ profecto Sedem suam posuerat, martyriique laurea redimitus occubuerat. Atque heic summopere miror, eccur Franciscus Antonius Granata in sua *Historia Ecclesiastica Capuana*, & Petrus Rinaldus in suis *Memoriis Historicis Civitatis Capuæ* hoc argumentum minime attenderint, quod mihi maximam videtur Capuanæ Traditioni conciliare auctoritatem.

S. VII. *De Ecclesiis Regni Siciliae, ac primo de Panormitana.*

XVI. Antiquissima sane, & vetustate ipsa commendabilis Ecclesiæ Panormitanæ traditio est, a D. Apostolo Petro S. Philippum *Agyrensem* dictum delegatum fuisse, qui Evangelium Siciliæ adnuntiaret, veteresque Panormitanos ejusdem Philippi opera Christi fidem amplexatos fuisse. Nemini profecto dubium est, quin Philippus diu multumque adlaboraverit, quo Evangelium per Siciliam disseminareretur. At vero gravis inter eruditos contentio exoritur, qua potissimum ætate ille floruerit.

XVII. Doctissimus Rocchus Pirro Ab. Netinus in sua *Sicilia Sacra*, *Notitia I. §. I.* de ejusmodi traditione hæc habet: *Jam antiquissima, sibi que semper constans Siculorum omnium, atque Agyrensi præcipue traditio fuit; Agyrensem illum Philippum ab Apostolo huc transmissum Petro ad expellendos demones, &*  
Chri-

*Christiane Religionis sementem faciendum; neque doctiorum hominum suffragio hactenus caruit opinio, aut adversis rationum machinis, sive aliorum scriptorum auctoritate eversa est.* Et licet Martyrologium Romanum simplicissimis illis verbis rem adnotet: *S. Philippus ab Romano Pontifice in Siciliam missus*; in explorato tamen est, Gregorii XIII. Martyrologium quantamaxima diligentia, & studio elaboratum, typisque Romæ primum, tum Antuerpiæ editum aperte, dilucideque statuere: Apostoli Petri Auctoritate, atque imperio Philippum in Siciliam trajecisse (5).

XVIII. Præterea in antiquissimo quodam Ecclesiæ Gallicanæ Breviario hæc Psalmo cuidam antiphona præfixa visitur: *In manibus tuis Domine commendo servum tuum Philippum filium meum, ait subito B. Petrus.* Idemetiam testantur Manuscripti antiquissimi Codices Ecclesiarum Calatabillottæ, & S. Philippi Fragalatis, ac denique Commentariolus Manuscriptus S. Athanasio Archiepiscopo Alex. tributus. & inscriptus: *De Vita, & moribus S. Philippi Agyrensis*, quem sub Nerone statuit.

XIX. Haud ignoro, P. Octavium Cajetanum in Opusculo suo *de SS. Sicularum Vitis* in alia omnia abiisse; quippe qui S. Philippum Agyrensem intra tempora Imperatoris Arcadii coarctat, quadringentos circiter annos post constitutam a nobis Epocham. In hanc eum sententiam adducere videntur Acta S. Philippi, quæ ab his verbis initium ducunt: *Temporibus Arcadii Imperatoris &c.* Acta hæc

---

(5) In *Pivri sententiam conspirant Faxellus Sicularum Histor. Scriptor Dec. 1. Lib. X. Joseph Carnil. de Descrip. Sicil. fol. 197. Joseph Bonfigl. Messan. in sua Messan. Lib. 1. fol. 4. Galestinus in Martyrolog. 6. Idus Maji. Clarissimus Baronius in Annalibus ad ann. 146. &c.*

conscrip̄ta feruntur ab quodam Eusebio ipsius Philippi Comite, & Manuscripta prostant in Archivis Panormi, Syracusarum, Catanæ, & Agyronis. Qua de re Actorum ejusmodi auctoritas minime videtur despicienda.

XX. Porro heic facile suspicari, quin pro certo licet adferere verba illa: *Temporibus Arcadii Imp.* vel ab imperio quodam in marginem primum conjecta, inde vero in textum majori imperitia irrepsisse, vel amanuensium errore *Neronis* vocem in *Arcadii* fuisse commutatam, vel denique aliunde erroris originem repetendam. At sane genuina Actorum exemplaria haud raro occurrunt, quæ ejusmodi sciant erroribus, qui tamen non ita sunt, ut eorundem auctoritati aliquid detrahant, ut scite Cardinalis Baronius animadvertit (6).

XXI. Porro hæc Acta Eusebiana vetustioribus sæculis esse referenda nonnullæ suadent haud contemnendæ conjecturæ. Ac 1. In his Actis res aliquæ gestæ describuntur, quæ a V. sæculo alienæ solis Apostolicis temporibus convenire videntur. Confer Rocchum Pirum *ibidem*.

2. Id etiam suadet Dignitas Panormitanæ Civitatis. Si enim tantæ S. Petro curæ fuit Fidei Christianæ per Siciliam propagatio, ut Marcianum, Pancratium, & Berillum Episcopos dederit Syracosis, Tauromenio, & Catanæ, ut mox dicemus; eccur autem inficiabi-

---

(6) *Baronius ad diem 9. Octobris in S. Dionysio: Quod si unum, vel alterum errorem in Vitis sanctorum inventum, cetera quæ remaneant, fide carere dixerimus, profecto omnes fere Sanctorum vitæ in maximum discrimen adducimus; quum pene in omnibus aliquid notari possit, quod corrigendum videatur; sitque canonicarum tantummodo scripturarum singularis prærogativa, ut in eis cuncta vera, inconcussa, certaque narrentur.*

bimur eandem illum quod ad Panormum præ-  
setulisse sollicitudinem?

3. Medio sæculo III. imperante Decio B. Agatha martyrii coronam adsecuta est. Panormus igitur, ubi & orta, & Religionis mysteria illa edocta est (7), jam tum Christiana Civitas dicenda, quin & suum habuisse Episcopum, quum inde mulieres tanta pietate, ac virtute exornatæ emicuerint.

§. VIII. De Ecclesiis Catanensi, &  
Messanensi.

XXII. Catanensis & ipsa Civitas traditam a majoribus opinionem servat, primum se Episcopum cognomento Berillum a Divo Petro inauguratum accepisse, cujus hæc in Martyrologio Rom. habentur: *Catanæ S. Berilli, qui a D. Petro ordinatus Episcopus, quum multos gentilium convertisset ad fidem in ultima senectute quievit in pace.* Ejusdem S. Berilli mentio etiam occurrit eadem die in Græco Menologio; hunc Baronius notat diversum esse ab eo, quem S. Hieron. de *Script. Eccles.* scribit vixisse temporibus Alexandri Imper. At vero quum religionem Christianam disseminare, & constabilire in principibus urbibus, unde facilius in vicinas Civitates dimanaret, Petrus consueverit; quumque præterea in comperto sit Catanam unam ex illustrioribus Siciliæ urbibus fuisse, non abs re erit hinc adferere Catanensis Ecclesiæ traditionem non minimum ponderis sibi compara-

F 4

re.

---

(7) S. Agatham Panormi ortum suum habuisse antiquissimi Manuscripti Codices, vetusta Martyrologia, Menologium Græcorum, Vita S. Agathæ apud Metaphrastem, auctore Lypomano in Præf. mens. Febr. ex antiquissimo Codice eruta, Ado Trevirorum Episcopus, aliique docent.

re. Eadem ratione videtur quoque Messanenſi Civitati tribuenda ſuſcepta ævo apoſtologico Chriſtiana Religio; quum alioquin monumenta, quæ pro vindicanda ſibi Apoſtolica prædicatione vulgo a Catanenſibus venditantur, nimis recentia ſint, ac dubiæ fidei.

§. IX. *De Eccleſia Syracuſana.*

XXIII. Verum Syracuſanæ Eccleſiæ tradi- tio videtur firmioribus ſuperſtructa fundamen- tis, quippe quæ adſerat ex Antiochia Petrum ad prædicandum per Siciliam Evangelium de- legiſſe Marcianum, qui Episcopopus jam ab eo conſecratus, Syracuſis ſedem fixit. Hujus rei teſtes habemus Martyrologium Romanum (8), & pervetuſtum quoddam Gallicanum Brevia- rium. Præterea Metaphraſtes *die 29. Junii* aperte ſtatuit, Petrum ab Antiochia S. Mar- cianum Syracuſas, Pancratium Tauromenium miſiſſe. Poſtremo Syracuſana Civitas S. Pauli Apoſtoli tridui manſione decorata eſt; qui ex antiquiſſima traditione a S. Marciano incre- dibili lætitia hoſpitiſ receptus, per tres illos dies commoratus verba fecit ad populum jam Marciani opera chriſtiana dogmata edo- ctum.

§. X.

---

(8) *Martyrologium Rom. die 14. Jan. hæc habet: Syra- cuſis S. Marciani Episcopopi, qui a B. Petro ordinatus Episcopopus poſt Evangelii prædicationem a Judæis occiſus eſt. Concinit pervetuſtum Gallicanum Breviarium eadem die: Poſt triumphalem memoriam Domini noſtri Jeſu Chriſti . . . B. Apoſtolus Petrus Antiochenam fundavit Eccleſiam; Sanctum vero Marcianum Episcopopali dignitate inſignitum cum Pancratio in Siciliam provinciam comite miſerunt.*

## §. X. De Ecclesia Melitensi.

XXIV. Pauca supersunt adjicienda de Ecclesia Melitensi. Profecto constans, atque antiquissima traditio est *Publium insulae principem*, cujus pater febribus, & dysenteria vexatus S. Pauli oratione illico sanitati restitutus fuerat, *Actor. Cap. XXVIII.* cum insulanis plerisque ad Christianos transisse, qui mox ab ipso Apostolo Episcopus fuerit renuntiatus. Ejusmodi traditio patronis non caret, & quidem antiquitate, ac auctoritate clarissimis. Id docent S. Jo. Chrysostomus, S. Gregorius M. (9), Martyrologia Bedæ, Adonis, &c.

XXV. Clarissimus Tillemontius *Note 64. sur S. Paul.* censet, Publium Athenarum Episcopum martyrium obiisse circa ætatem Marci Aurelii, scilicet medio sæculo II. Unde ex ejus sententia opinio de Publio Melitensi opera S. Pauli ad Christi fidem traducto corruere videtur. At contra non modo Martyrologia Bedæ, Adonis, aliaque Publium Athenarum Episcopum *Melitensem* faciunt, verum & Dionysius Corinthiorum Episcopus apud Eusebium, & S. Hieronymus (10) di-

F 5

ferte

(9) *S. Joann. Chryf. Hom. LIV. in Acta*: Solventibus imposuerunt necessaria: Manifestum quod & verbum prædicationis susceperunt, qui illos sic tractaverunt. Non enim differuissent trimestri illo tempore, nisi & credidissent, & fructus declarassent; & inde magna conjectura est, multitudinem credentium illic visam.

S. Gregorius in *Job lib. XXVII Cap. 1.* Signo quippe virtutis pater Publii sanandus fuerat, ut mente revivisceret, dum miraculo ad salutem rediret.

(10) *Eusebius lib. IV. Cap. 23.* Altera vero Dionysii *Epistola* ad Athenienses scripta excitans ad fidem... negligentiam arguit Atheniensium, quippe qui a fide propmodum descivissent, ex quo Publius ipsorum Episcopus in persecutionibus tunc temporis excicatis martyrium subierat.

Me-



serte adserunt Publium Dionysio Areopagitæ in Ecclesia Atheniensi, Publio autem iuffectum esse Quadratum.

§. XI. *Nonnulla subnectuntur ad firmandas Regni Neapolitani Traditiones.*

XXVI. Jam vero illud heic primo profus observandum, (quod ab initio jam lectores monuimus) scilicet S. Petrum non perpetuo Romæ desidem fuisse commoratum. Qua de re ut sui Apostolatus munia obiret, Italia, ac Neapolitanum præcipue Regnum plus vice simplici percurrendum ipsi fuit; unde plures earum regionum civitates, & oppida visitare, ac salutaribus imbuere præceptis tum potuit, tum debuit. Quandoquidem & in iis locorum, temporumque circumstantiis versatus est, ut illas excurrere difficile ei non fuerit, & localium traditionum concordia æque ac vetustas ad idem confirmandum veluti conjurant.

XXVII. Profecto uti hoc Regnum ejusmodi traditiones usque immobiliter servavit, salutarem nempe Evangelii lucem S. Petro acceptam referens: ita e. g. Mediolanenses, Ravennates, Bononienses suas Ecclesias non a S. Petro, sed a Barnaba, ab Apollinare, a Marco ab eodem S. Petro legatis institutas adserunt. Reliqui sane Italiæ populi, qui ab Apostolico usque ævo Christo nomen dederunt, Neapolitanis scrupulosius non fecissent, quin

---

Meminit etiam Quadrati, qui post martyrium Publii Episcopus Atheniensis est constitutus.

*Hieron. Vit. Script. Eccles. in Quadrato*: Quadratus Apostolorum Discipulus, Publio Athenarum Episcopo ob Christi fidem martyrio coronato, in locum ejus substituitur.

quin falsas inducerent traditiones ad sui Christianismi origines honestandas.

XXVIII. Hactenus prolatæ Ecclesiarum traditiones, quippe quæ *τοπιχα*, *locales*, & antiquissimis monumentis destitutæ a nonnullis tanquam dubiæ fidei habentur (11): a quibus equidem non possum quin dissentiam. Quamvis enim, quod ad singulas quasque partes attinet, fidem omnem sibi non vindicent, quod tamen ad rei summam, tantam verisimilitudinem præferunt, ut de iisdem dubitare piaculum pene ducam: quod jam satis demonstratum autumo hujus Capitis initio. Quibus addehis.

1. S. Petrus quum Antiochenæ Ecclesiæ clavo adfideret, ipse per se Pontum, Asiam, Cappadociam, Bythiniam &c. percurrit Evangelium prædicans, & sui discipuli, nimirum S. Marci opera, Alexandrinam Ecclesiam instituit. Qui igitur existimari poterit S. Petrum Romanam tenentem Cathedram Italiæ regiones neglexisse, quum Occidentalis præcipue apostolatus ipsi fuerit concreditus?

2. Ex concordî antiquissimorum Patrum sententia altero Ecclesiæ sæculo Religio Christiana jam minores urbes, ac oppida etiam occupaverat. At unde tanta Evangelii, ipsa pene apostolica ætate, profecta esset diffusio, si Apostoli in primis tantummodo Metropolitibus Evangelium adnuntiassent, circumjacentes vero regiones posthabuissent? Id quod ab apostolico instituto quam fuerit alienum, unus

---

(11) *Auctor Hist. Civilis Reip. Neap. Lib. I. Cap. 11. illorum opinionem videt, qui ejusmodi traditiones proferunt, & eas commendandas censent: atque adeo in illorum potius abire sententiam videtur, qui præcipuas saltem Reip. nostræ civitates apostolica prædicatione ad Christi fidem perducendas docent.*

C A P U T VII.

Vindicatur Urbi Neapolitanæ Apostolica Prin-  
cipis Apostolorum Prædicatio.

I. **Q**UUM de Religionis Christianæ exor-  
diis, quæ urbi Neapolitanæ Aposto-  
licis temporibus adfulsit, ut paulo  
latius differamus, res ipsa exoptulare videatur,  
necessarium omnino ducimus, capita quæ-  
dam hujusce Neapolitanæ traditionis in an-  
tecessum figere, eaque monumentis breviter  
demonstrare indubiis, ut in quibus a Criti-  
corum ingeniis hæc eadem Traditio discrepat,  
& in quibus cum iis conveniat, Lecto-  
ribus harum cupediarum prudentissimis, ante  
quos hæc eadem judicium subitura se sistit  
Neapolitana Traditio, luculentius pateat.

1. Est igitur caput primum, *Apostolorum  
Principem Simonem Petrum, Antiochensi fun-  
data Ecclesia, Romam sub Claudio Imperatore  
accedentem, e Beneventana Appia via ad mœ-  
nia Urbis Neapolitanæ pervenisse, ibique lon-  
go fatigatum itinere paululum quievisse.*

2. Alterum est illud: *Quandam muliercu-  
lam, senem, infirmam, transeuntem a Petro  
fuisse conspectam, qua de civium moribus, &  
religione interrogata, cuique Christo ex ordine  
evangelizato, eandem Jesu nomine invocato,  
cum Christianis, qui ejus vestigia ab Antioche-  
na Urbe secuti erant, Petrum sanasse; quo mi-  
raculo & credidisse mulierem, & regeverantis  
liquoris baptismi rore fuisse perfusam salutarè.*

3. Est illud tertium: *Dicente vetula illa,  
se habere VIRUM amicissimum quendam,*

mi-

mine *Asprex* (1), *benignum*, *pium*, *modestum*, *sobrium*, & *religiosum*, atrocissimo tamen morbo quassatum, qui si sanari potuisset, fidem, quæ ab ipso Petro prædicabatur, statim reciperet, ejus adsertor idoneus, defensor robustus, & propugnator existeret: inde ejusdem mulieris ministerio a Petro fuisse *Asprenem* sanatum, qui surgens, oblitus tunicæ, soloque pallio indutus ad Simonem veniens ejus pedes osculatus est, quemque præterea idem Petrus catechizat, baptizatque.

4. Quartum caput est illud: Post receptum baptismum cœpisse *Asprenem* Magistri sui in catechizandis, baptizandisque infidelibus COOPERATOREM (ergo Ecclesiastico Ministerio initiatum) esse, & ad clamationem nominis Salvatoris signa, & prodigia facere.

5. Tandem quintum est illud: Conquista Neapoli Christo Domino (scil. non plenarie, sed illa ex parte, qua tunc quidem Neapolis Christi portio dici poterat, ut Mazochius scite advertit) Romam Petrum ire decrevisse; sed ad preces Neapolitanæ plebis ab Apostolo *Asprenem* fuisse Neapolitanum Præsulem consecratum, qui ad Pontificis proventus apicem, verbo Doctrinæ usque ad mortem opportune, & importune constantissime prædicavit; quique demum obiit senex, plenus dierum, & operibus

---

(1) De vera hujus S. Episcopi scriptura sic eruditissime Mazochius De cultu SS. Epis. Neap. pag. 191. Apud omnes antiquos *Aspren* duabus Syllabis legitur, & sic per omnes casus, quasi si nomen ἀκλίτων (indeclinabile) fuerit. Sic legitur in Fastis marmoreis, sic in Joanne Diacono, sic in Blanchini laterculo, in longiore Vita Athanasii, in lectionibus antiquis, ceterisque posterioribus Actis: uno Alberico excepto, in quo nova declinandi ratio invenitur: recto casu modo *Aspren*, modo *Aspres*: gen. *Aspres*; accus. *Aspren*. Abl. *Aspre*. Verum hujus auctoritas nauci non est. Etiam Romanum Martyrologium tritam scribendam rationem sequitur his verbis, Neapoli in Campania Sancti *Aspren* Episcopi &c.

*bus virtuosis tertio nonas Augusti miraculis coruscando.* Simplici hæc veste, vultuque minime fucato, at ad modestiam composito omnibus conspiciendam se præbet Neapolitana constans, & antiqua Traditio.

II. Verum si quis peteret, quibus e monumentis hæc in apurum prodeat Traditio? Dicimus illa octo esse, eaque ut disparisætatis, ita & auctoritatis.

I. Primo sunt *Acta Primigenia S. Asprenis* QUARTO SÆCULO ab Anonymo conscripta, quæ simplicitate, brevitatem, & nativam quædam elegantiam omnibus se commendant; quæque a Chioccarello in *Episcopis Neap.* a Mazochio in *Dissertatione De Sanctorum Neap. Episcoporum cultu* Part. III. Cap. I. a Sabbatino Ep. Aquilano in *Vetusto Kalend. Neap. illustrato* diè III. Aug. aliisque edita sunt ex antiquo Codice Manuscripto Litteris Langobardicis exarato, & in Thesauris S. Januarii Ecclesiæ Majoris Neap. adservato. Hæc quidem Acta Cl. Tillemontius T. I. art. ult. de S. Petro p. 190. præ cæteris legere percipiebat, sciens breviora illa esse, & Neapoli in Thesauris Cathedralis servari. Ex his sane Actis quinque Neapolitanæ Traditionis Capita iisdem pene verbis protulimus, ut non alio ex fonte illa sincere noscerent exteri, quam ex quo sibi met Neapolitana Ecclesia jure meritoque in Domino plaudit (2).

2. Se-

---

(2) De ejusmodi primigeniis Actis hæc habet Chioccarellus in *SS. Epif. Neap.* pag. 10. Habetur etiam Sancti Aspreni vita, atque rei hujus narrationis historia sincerissime, etsi rudi stylo, nulloque fucato, atque orationis elegantia elaborata, sed sincera tantum historica veritate referta, quæ conscripta videtur (si conjecturæ locus est) paulo post Silvestri Papæ, & Constantini Augusti temporibus, quæ antiquis Langobardicis litteris exarata servatur in majoris Ecclesiæ Thesauri sacello.

2. Secundo est *S. Athanasi Episcopi Neap. Vita*, vel *saeculo X. a Petro Subdiacono Neapolitano*, ut nonnullis, vel *XI. aut XII. ineunte ab Anonymo*, ut Mazochio placet, scripto tradita. In hujus Vitæ Prologo §. 3. legitur: *Non solum a Constantino piissimo Principe, Primo Augustorum Christianissimo, sed plures ante annos Christiana inibi (scil. Neapoli) Religio floruit. Siquidem beatissimus PETRUS Apostolorum Princeps ASPREN sanctissimum IBI ORDINAVIT EPISCOPUM.*

3. Tertio sunt alia *S. Asprenis Acta secundigenia*, ut ita dicam, ab Ughellio *Ital. Sacr. T. VI. in Neap. Episcopis* primum vulgata, quæ, ut in prologo legitur, *stylo diffusiori, atque excultiori, ut ad novem competentis magnitudinis lectiones ea sufficerent, sed potius stylo pessimo oratorio, quidam Albericus Auctor infelix, & quidem iussu Petri de Surrento saeculo XIII. Neap. Archiepiscopi ex tomographæ breviter, & inculto, corruptoque sermone de Santo Viro Asprene antiquitus exarato (scil. ex Actis Primigeniis, & antiquioribus, quæ ipsi Alberico Scriptori verboso, & exfucato videntur brevia & inculta) confarcinavit. Porro Albericus eandem reipsa narrationis, traditionisque veritatem servavit. Hæc profecto Alberici Acta Tillemontius loc. cit. vocat magnum verborum cumulum, & nihil amplius; Mazochius vero noster Albericum ipsum vocat Scriptorem ingenio præditum, orbatum judicio. Namque dum ipse Albericus Actorum priorum simplicitatem vocat incultum, corruptumque sermonem, Albericiana istæ sua qui legit Acta, mirum si cachinnum tenere possit, tantis a summo ad imum redundant pbaleris ineptissimis, & nugacissimis.*

4. Est quarto *Chronicon S. Marie de Principio*, quod post saeculi XIII. medietatem fuit

con-

contextum, quodque licet modo sit deperditum, in Tabulario tamen Capituli Neap. ejus servantur *Excerpta* ann. 1553. eleganti caractere descripta. Verum recte est, quod integra pars illa Chronici vetustioris, in qua *Petri adventus, Mulieris vetulae* (cujus in hoc Chronico primum *CANDIDÆ* nomen effertur, quum in utrisque laudatis Actis esset ipsa anonyma) & *Asprenis infirmitas, curatio, & baptismus*, ut & *Asprenis ipsius tandem Episcopatus ab eodem Petro illi collatus*, Mazochio testante, in hæc *Excerpta* fuerint traducta.

5. Quinto est *Chronicon* alterum *Joannis Villani*, quod vergente sæculo XIV. patrio dialecto fuit ab eo contextum; & in quo quidquid in priore *Chronico S. Mariæ de Principio* legebatur, & *Excerptis* illius adhuc superest, Italice conversum adparet.

6. Sexto veniunt antiquissimi Manuscripti Codices, de quibus sic loquitur Clariss. Caracciolus *de Sacr. Eccl. Neap. Monum. cap. III. pag. 59.* "Tertio Codices Mss. ego ipse vidi, legique permultos, & quisque alius poterit, qui diligenter Archiva, ac Bibliothecas excutiat Campaniæ, Italiæque. Recensebo equidem ad præsens aliquot solummodo prisco caractere insigniores. Antiquissimum sane, & ante cætingentos propemodum annos (ut harum rerum periti judicant) litteris Langobardicis scriptum (3), habebat in suo museolo amplissimus, idemque eruditissimus Urbini Archiepiscopus Paulus Æmiliius San-  
cto-

---

(3) Caracciolus noster scribebat principio circiter Sæculi XVII. jam præteriti. Quare si Codices, in quibus *S. Asprenis Acta* erant conscripta, atate Caraccioli ante octingentos propemodum annos fuerant exarata, decimo Sæculo id factum dicere oportet. Hinc igitur concludendum, veluti exploratum statui non posse, ante Sæculum XI. nullibi scriptum reperiri, *S. Asprenem* ab Apostolo Petro fuisse Episcopum ordinatum.

33 Aetorius celeberrimi illius Sanctæ Severinæ  
 33 Cardinalis ex fratre nepos. Alterum æque  
 33 fortassis antiquum Codicem apud Divi Re-  
 33 nati in Picentinis aliquot Neapolitanos,  
 33 Surrentinosque Divos enarrantem legerunt,  
 33 atque exscripserunt e Nostratibus multi:  
 33 ejusdemque ante centum annos exceptum  
 33 servat nostra Torensis in agro Vicano Do-  
 33 mus. Nunc e Divi Renati alio exportatum  
 33 fuisse prototypon audivi, ac plane indolui.  
 33 Porro ambo hi vetustissimi codices vitam  
 33 habent S. Asprenatis, sive ut alii vocant,  
 33 Asprenis primi Neapolis Episcopi; qua pro-  
 33 fecto si non eleganter, dilucide tamen, &  
 33 distincte narratur B. Petrum ab Oriente ad-  
 33 venisse Neapolim, & Neapolitanæ Ecclesiæ  
 33 a se fundatæ præfecisse Episcopum Asprena-  
 33 tem. His quoque adstipulantur summo con-  
 33 sensu vetera ejusdem Ecclesiæ Mss. Lectio-  
 33 naria, Martyrologia, Kalendaria, & sacra  
 33 Tabulæ fide dignissimæ“.

7. Porro omittendus non est Hymnus, quem,  
 ut scribit Chioccarellus *ibidem*, antiquissimis  
 temporibus Neap. Ecclesia in Asprenis sole-  
 mnibus recitare consueverat, quique habetur  
 in eo, qui *Hymnarius Neap. Ecclesiæ* vocatur,  
 & supra annos octingentos conscriptus videtur  
 Langobardicis litteris. Hymnus ille de S. As-  
 prene sic canit.

*Sanctus Petrus Apostolus*  
*Dedit te nostro Populo:*  
*Et fecit te Episcopum*  
*In nostro loco primitus.*

8. Ultimo loco veniunt *vetustæ Inscriptio-  
 nes*. Chioccarellus in *S. Asprene* p. 15. testa-  
 tur in *Regesto quodam Caroli I. Neap. Regis*  
*jussu confecto* ( ergo sæculo XIII. ad finem la-  
 bente ),



bente), quod in Regiæ Sicilæ Archivo adseruabatur... ubi de S. PETRI AD ARAM BASILICA agitur, Petri Apostoli in Civitatem Neap. adventus distincte recensetur, atque de Missæ sacrificio, quod inibi Petrus Aspren, Candida, alijque præsentibus obtulit, & DE S. ASPREN EPISCOPI INSTITUTIONE abunde agitur, & in dextro Altaris Cornu ejusdem Basilicæ ad posterorum memoriam GRÆCIS LITTERIS IN MARMORE SCULPTAM INSCRIPTIONEM, ea omnia probantem, adpositam testatur, quam TUNG QUOQUE EXSTARE ait; aliamque PRIUS VETUSTIOREM ADPOSITAM in Campanilis pariete MARMOREAM INSCRIPTIONEM, quam a Gothorum exercitu ereptam confractamque adfirmat. Quod quidem Regestum Ladislaus Rex... describi, & in publicam formam redigi jussit die 29. Novemb. 1409. adstantibus ipso Rege, atque Joanna ejus sorore, ac innumeris ejus Regni Proceribus. Igitur ad XV. usque sæculum constans a primis usque Religionis Christianæ temporibus stetit Traditio hæc Neapolitana. Quare hac tam multiplici, variaque monumentorum serie, addita Historicorum omnium sequioris ævi auctoritate, ipso Jannonio non refragante, quis firmam stare Neapolitanam hac in re Traditionem negaverit?

III. Clarissimus omni ævo Mazochius noster, cui non Respublica Litteraria tantum, at Neapolitanæ præsertim Ecclesiasticæ Antiquitates nihil non debent, quamvis PRIORA QUATUOR Traditionis Neapolitanæ CAPITA, & probet, & luculenter fateatur (aliter enim facere quis potest?) QUINTUM TAMEN negat ex parte, & ex parte adfirmat. En ejus verba, quibus suam explicat sententiam *ibid.* pag. 192. "Ordinatum a Petro ipso Asprenem, & ipse fateor; non Episcopum tamen, sed  
 „ Pres-

22 Presbyterum; qui quidem ad pusillum Chri-  
 23 stianorum Gregem a Petro conversum, qua  
 24 verbo Dei, qua Divinis Sacramentis enu-  
 25 triendum tunc satis esset. Nec enim primo  
 26 Petri Neapolitano adventu credentium tur-  
 27 bam copiosiore[m] fuisse arbitror, quam ut  
 28 presbyteri unius ductu regi posset. At post-  
 29 quam, *Asprene per Dominici talenti acceptio-*  
 30 *nem populos ad viam salutis quotidie evocan-*  
 31 *te*, crevit turba credentium, tum enim vero  
 32 Pontifice opus fuit, qui in vicinis pagis,  
 33 & oppidis alios presbyteros ordinaret. Hanc  
 34 vero Episcopalem Asprenis ordinationem sub  
 35 S. Clemente contigisse Joanneus, & Blan-  
 36 chinianus Catalogus (*en sibi sumit binos*  
 37 *Episcoporum Neap. Catalogos, qui nostris sunt*  
 38 *mox monumentis ad censendi*) aperte osten-  
 39 dunt<sup>cc</sup>. Quare, ut Mazochius *ibid. pag. 194.*  
 40 scribit<sup>cc</sup> in Asprenis historia duorei gestæ ca-  
 41 pita inter se adcurate sunt distinguenda. I.  
 42 Nam quod Aspren primus omnium in Ga-  
 43 thedra Neapolitana sederit, id quidem ex-  
 44 tra omnem dubitationis aleam poni debet.  
 45 II. At vero quod Aspren ab ipso Apostolo  
 46 Petro consecrationem Episcopalem acceperit,  
 47 ejusce vero rei haud exstat antiquius  
 48 monumentum Scriptore Athanasianæ Vitæ.  
 49 Ergo ante XI. sæculum haud facile scriptum  
 50 reperitur, a Petro ipso Asprenem fuisse or-  
 51 dinatum Episcopum<sup>cc</sup>.

IV. Verum quibus potissimum testimoniis,  
 quibusve argumentis tantum sibi fidit Magnus  
 merito Mazochius noster, ut Quintum hoc  
 Neapolitanæ Traditionis caput aliter explican-  
 do ex parte neget? Binis adhibet testes, unum  
 pene silentem, alterum mutum, & omnino  
 elinguem ad ea firmanda, quorum gratia il-  
 los profert; multiplici deinde utitur ingenio-  
 so quidem, at conjecturali argumento. En Te-  
 sti-

stimonium primum. In *Neapolitanorum Episcoporum Catalogo*, ineunte X. sæculo conscripto ( qui, utpote ex Florentino Bibliothecæ S. Marci Codice a Francisco Blanchino an. 1723. editus, dicitur *Blanchinianus* ) legitur: I. *Aspren Episcopus, sedit annos XXIII. Fuit temporibus Clementis, Anacliti, Evaristi, Alexandri Papæ; & Trajani, & Hadriani Imperatoris*. Quamvis hoc loco num a S. Petro, an vero a S. Clemente fuerit S. Aspren ordinatus Episcopus non dicatur, attamen quia *Auctor Blanchiniani Catalogi nec S. Petri, nec Lini Episcopatus Asprenis Cathedram æqualem facit, sed Clementis, & sequentium aliquot Pontificum temporibus*, hac de causa ut cetera monumenta omnia sive vetustiora, sive ævi sequioris, quæ disertissime Asprenem a S. Petro ordinatum Episcopum docent, cum hoc decimi sæculi catalogo conciliet Mazochius, binas illas Asprenis ordinationes, quas in ejus Actis Primigeniis a S. Petro ambas factas legimus, duobus adtribuit Pontificibus, & *presbyteralem a S. Petro, episcopalem a S. Clemente peractas autumat*. At quis non videt, novam hanc præsentis, & pene silentis testis a Viro præclarissimo ingeniose propositam explicationem majorem diligentiam desiderare, neque huic testi sibi, & aliis Scriptoribus non cohærenti esse fidendum?

V. Et profecto i. si Aspreni jam in ipso Petri adventu *HOMINI benigno, pio, modesto, sobrio, & religioso, atrocissimo morbo quassato, vetulae amicissimo* demus non sexaginta, ut deceret, sed ad minus *quinquaginta etatis annos*, quum a Petro *Ær. Christ. an. 44.* Presbyteratus, initiabatur; quum ulterius ipse Aspren a Chronologo Blanchiniano mortuus dicatur sub Pontificatu Alexandri I. qui regere Ecclesiam cœpit *Ær. Christ. an. 108.* etiamsi dicamus hoc  
pri-

primo Alexandri Pontificatus anno eum obiisse, haberemus inter ordinationem presbyteratus, & mortem annos *sexaginta quinque*. Tum ipsemet Chronologus Blanchinianus scribit Asprenem obiisse sub Hadriano, qui imperium nactus est anno *Æræ Christi. 117*. Quamobrem licet concedamus hoc primo imperii Hadriani anno eum vita functum, haberemus inter ordinationem presbyteratus, & mortem annos *septuaginta quatuor*; quibus si addas illos *quingenta* annos jam ante baptismum elapsos, constaret vixisse Asprenem annos *CXV. vel CXXIV.* quod sane præter ordinem factum, num sine Scriptore teste luculentissimo sit credendum, alii viderint. In Actis quidem Primigeniis Asprenem *plenum dierum* obiisse legimus; at hoc de *octogenario*, vel ad summum *nonagenario* intelligi vulgo solet, non de homine *quindecim, vel viginti quatuor annis centenariam supergresso ætatem*.

2. Præterea licet statuamus Asprenem a Clemente ordinatum Episcopum ultimo sui Pontificatus anno; nimirum *Æræ Christianæ 74.* & etiamsi demus Asprenem mortuum Pontificatus Alexandri I. anno primo, nempe *Ær. Christi. ann. 108.* haberemus eundem Neapolitanum Episcopatum rexisse per annos saltem *XXXIV.* quod qua ratione cum annis *XXIII.* Episcopatus Asprenis a Blanchiniano ipso Catalogo tributis stare possit sine notarum Chronicarum celebrosa emendatione, dicant alii.

3. Tandem quum ipsemet Mazochius scitissime & ipse viderit, *ibid. pag. 20.: Frustra laboraveris, si quidem* ( in legendo Blanchiniano Catalogo ) *EPISCOPORUM* ( Neapolitanorum ) *TEMPORA CUM PONTIFICUM,* & *Imperatorum ANNIS APTE SEMPER CONNECTERE CURÆ FUERIT;* & *pag. 19.* multo luculentius: *AT IN PONTIFICIBUS*

RO-

ROMANIS ( Catalogus Blanchinianus ) NON SATIS SIBI CONSTAT; nam CLEMENS & ANACLETUS, quos ASPRENI COÆVOS FACIT, TRAJANI PRINCIPATUM NON AT- TIGERUNT. ITAQUE ( quid, ut veritati nobisque faveret, poterat fateri sincerius? ) IN ASPRENE SALTEM HAUD BELLE OMNIA CONSENTIUNT; quum, inquam, ipse- met Mazochius, qua erat præditus ingenii perspicacia, judicii que acumine, & viderit, & edixerit, *Blanchinianum Catalogum male Epi- scoporum Neapolitanorum tempora cum tempo- ribus Pontificum Romanorum connectere, & hoc peccato præsertim peccare in S. Asprene; ne- icio sane, nec suadere mihi met valeo, quo- modonam Vir Summus secum pugnans, in exturbando hoc quinto Neapolitanæ Traditio- nis Capite, adeo incerto, immo falso a se probe detecto, aliisque prudenter common- strato, utatur teste adversus monumenta cer- ta, & antiquiora?*

4. Quid quod & ipse Mazochius Chronolo- giæ difficultatibus pressus vidit, ac fallus est, Asprenem ad S. Petri tempora esse traducen- dum? En ejus verba pag. 19. *Mitto ( adver- sus Blanchinianum Catalogum Neapolitanorum Antistitum tempora cum temporibus Pontifi- cum Romanorum, & præcipue S. Asprenis cum S. Clemente confundentem ) quod Aspre- nem a S. Petro ordinatum Auctor Vitæ Athana- sianæ, & VETERES ASPRENSIS LECTIO- NES ( scil. Acta S. Asprenis Primigenia ) tradunt. Ast dum hæc videt & fatetur Ma- zochius in priorem abreptus sententiam, sub- dit: Verum hæc quemadmodum sint accipienda, in Asprene ipso viderimus Parte III. In illa tamen III. Parte tam longe abest, ut ipse a propositis sese expediat difficultatibus, ut po- tius in majores se conjiciat: nam dum eam*

init

init viam, ut dicat, eundem Asprenem a Petro Presbyterum, Episcopum a Clemente ordinatum, profecto quum Asprenis tempora, ut jam vidimus, non bene consentiant cum temporibus Clementis, Anacliti, Evaristi & Alexandri Pontificum, ut & Imperatorum Trajani, & Hadriani, quomodo poterunt cum horum simul, & Petri Pontificis, & Imperatoris Claudii temporibus consentire? Vidimus argumentis 1. & 2. hujus §. V. quas in Chronologicas syrtis videns & lubens se projiciat nova illa sua explicatione Magnus Mazochius; ut tandem concludere merito possimus, vel traditioni nostræ favere, vel saltem non adversari Blanchinianum Catalogum.

VI. Alter mutus quidem, & elinguis testis, quem adhibet Mazochius noster, est *Episcoporum Neapolitanorum Catalogus a Joanne Ecclesie S. Januarii ad Diaconiam in Urbe Neapoli positam Diacono* ( nonnullis operibus de Neapolitanis Ecclesiasticis Antiquitatibus benemerentissimo ) sæculo IX. conscriptus, & a Viro Cl. Ludovico Antonio Muratorio e Cod. Latin. Vaticano 5007. in Part. II. T. I. *Script. Rer. Italic.* an. 1720. primum vulgatus. At quid adversus Episcopalem S. Asprenis ordinationem a Petro factam fatetur Joannes? Quum huic Catalogo, vel Chronico suo prolegomena ipse præmiserit, ea ex Mazochio pag. 191. sic auctori procedunt. „ I. Principio „ exponit, quo anno Christus Dominus in „ Mundum advenerit. II. Seriem Imperatorum recenset usque ad Claudium ( *advertete non usque ad Domitianum, & Trajanum, sub quibus S. Clemens floruit; a quo vult Mazochius S. Asprenem ordinatum Episcopum* ). III. Narrato Petri Romam adventu, „ & ejusdem Romana Cathedra . . . Petri „ successores Linum, Cletum, atque Clemen- „ tem

„ tem subnectit, horumque Cathedras cum  
 „ Imperatorum temporibus comparat; nisi  
 „ quod in Clemente . . . comparatio cum Im-  
 „ peratoribus mutila prorsus est. Sic enim  
 „ in Clemente narrat: *Clemens sedit ann. IX.*  
 „ *mens. II. dies X. Fuit autem . . .* Nam ce-  
 „ tera de Clemente desunt, nimirum hujus-  
 „ modi: *Temporibus Neronis, & Trajani*, ac  
 „ si quid forte aliud adjicere in mentem ve-  
 „ nit . . . His præmissis tandem de Episcopis  
 „ Neapolitanis sic incipit. I. Aspren Episco-  
 „ pus &c. “ Scripserat propterea idem Ma-  
 „ zochius pag. 19. in Notis Catalogo Blanchi-  
 „ niano subnexis: „ Undecim priorum Episco-  
 „ porum Cathedræ annos non adfert. Noster  
 „ priorum undecim (*Episcoporum*) tum pon-  
 „ tificatus annos . . . tum Imperatorum, &  
 „ Pontificum Romanorum, sub quibus sede-  
 „ runt, nomina accurate (alibi vidimus non  
 „ bene) notat; At Joannes in decem priori-  
 „ bus utrumque neglexit “. Et paulo post  
 „ idem addit: „ Pulchre sibi Joannes Diaconus  
 „ cavit, dum in prioribus sæculis tem-  
 „ porum curam in totum neglexit “. Hinc  
 „ tandem Vir summus pag. 196. Operis citati  
 „ concludit: „ Quæ textus Joannei *οικονομία*  
 „ (*dispositio*) plane evincit Chronographo  
 „ huic (*Joanni Diacono*) haud minus ac  
 „ Blanchiniani laterculi Auctori fuisse persua-  
 „ sissimum, Asprenis Episcopatum non fuisse  
 „ S. Clemente Papa antiquiorum „. En qua  
 „ via Auctorem Blanchiniani Catalogi cum  
 „ Joanne Diacono Chronici Episcoporum Neap.  
 „ Scriptore in unum copulat Mazochius, &  
 „ utrosque in suam adducit sententiam.

VII. Huic testimonio per se muto, & elin-  
 „ qui, quod tamen tam eloquenter fari docuit  
 „ Mazochius, ut ceteros eloquentissimos imma-  
 „ re quantum superet testes, quid nos pro ve-

ritatis patrocínio respondebimus? En quæ ad manus sunt adversantia argumenta, quæque testimonium ipsum nobis favere demonstrant.

I. Muratorius, qui hoc nobis Chronicon ex Vaticana Bibliotheca primum dedit, adhibitis inspectoribus Viris doctissimis, in Nota 3. post *Clementem Pontificem* adposita testatur ex ore testium oculatorum: *In Manuscripto Codice Vaticano heic finis est OCTAVÆ PAGINÆ*, ubi *CERTE DESIDERATUR UNUM FOLIOLUM* (nempe quintum) *sive duæ pagine* (nimirum nona & decima). Dolendum autem est, narrationem heic interruptam fuisse. Fortassis enim Auctor narrabat, quis Urbi Neapolitanæ primus Christianam Religionem invenit, & quis ex Romanis Pontificibus primum illi Urbi Episcopum dederit. Quid ad hæc Mazochius? Ait ipse pag. 195. „Facel-  
 „ sat illa Muratorii expositio conqueren-  
 „ tis . . . integrum chartæ foliolum deesse . .  
 „ Ne credas. Nam sicut in Blanchiniano Ca-  
 „ talogo Clemens Asprenem Episcopum ordina-  
 „ vit (*demonstravimus hoc aliter se habere*)  
 „ idem prorsus etiam Joannes Diaconus sen-  
 „ sit “. Quum adversis frontibus pugnent,  
 quæ Muratorius, & Mazochius dicunt, nos,  
 qui audientes mediis inter eos stamus, cuinam  
 ex his, uno agente, altero teste negante, cre-  
 demus? si verum omnibus est, quod in *Tru-  
 cul.* dixerat Plautus: *Plus valet oculatus testis  
 unus, quam auriti decem*, profecto magis Mu-  
 ratorio, qui ex fide testium oculatorum scribit  
*foliolum unum*, sive binas paginas deesse,  
 quam Mazochio, testi ex se gravissimo, at  
 hac in re nec *oculato*, nec *aurito*, sed tantum  
*ex ingenio conjicienti*, est omnino credendum.  
 Quare foliolum, seu binas paginas Vaticano  
 Manuscripto, & hinc evulgato Joannis Dia-  
 cono Chronico deesse pro certo habemus.



2. Binis illis paginis quidnam quæso erat inscriptum? Hoc sane est hariolari. Quid divinando & Muratorius, & Mazochius dixerint, modo vidimus. Nos utriusque cogitata amplectimur, & de nostro symbolam damus, ut ex integro duarum deficientium paginarum lacuna probe suppleatur. Cum Mazochio igitur dico primo, quod quum Joannes Diaconus tempora Pontificatus Petri, Lini, Cletique cum temporibus Imperatorum conjunxerit, hoc idem in Clemente fecerit, scripseritque propterea: *Clemens sedit ann. IX. mens. II. dies X. Fuit autem Temporibus Neronis, Vespasiani &c.*; quo sane factò sæculum Ecclesiæ I. absolvit. Dico secundo ex pœnu meo post Clementem adposita fuisse a Joanne in binis deficientibus paginis nomina, & tempora Pontificum II. & III. sæculi, nominibus Imperatorum, sub quibus vixere, conjuncta, ad usque *Marcellum* Papam, & Imperatores *Diocletianum, & Maximianum*. Undenam hoc scis, o bone? Ex ipsomet Mazochio. Hic enim in *Opere cit. p. 19.* scribit: *Joannes in DECEM PRIORIBUS* ( Neapolitanis Episcopis ) *utrumque neglexit* ( scil. notare Episcopatus eorum annos, & Imperatorum, ac Pontificum Romanorum, sub quibus ii Episcopi federunt, nomina subnectere, quod male factum habetur in Catalogo Blanchiniano, ut ipse advertit; ) *nisi quod in UNDECIMO* ( Episcopo Neap. ) *ZOSIMO* ( qui vixit sub Eusebio, Miltiade, & Silvestro Pontificibus, & Imperatore Constantino ) *incipiat EPISCOPALEM SEDEM CUM PONTIFICUM, ET IMPERATORUM TEMPORIBUS NECTERE.* Joannes ergo quum a *Zosimo Undecimo Episcopo Neapolitano*, qui initio IV. sæculi vixit, incipiat tempora Episcoporum cum temporibus Pontificum, & Imperatorum conferre, quod

quod in *decem Prioribus Neapolitanis Episcopis* I. II. & III. sæculi non fecerat; quumque a Pag. Manuscripti *Oclava* cœperit Joannes nomina Pontificum I. sæculi *Petri, Lini, Cleti, & Clemenris* cum respondentium Imperatorum nominibus enumerare; quid certius dici credique potest, quam a Joanne ipso hanc Pontificum & Imperatorum sæculi II. III. & non ultra, enumerationem fuisse pagina *nona, & decima* peractam? Dico tertio cum Muratorio, si quid spatii in *decima pagina* supererat, in eo fuisse narratum, *quis Urbis Neapolitanæ primus Christianam Religionem invexerit, & quis ex Romanis Pontificibus primum illi Urbi Episcopum dederit.*

3. At dicet non nemo: Cur nam Joannes hic Chronographus Neapolitanorum Antistitum Catalogum scripturus, præmittere in Prolegomenis decrevit Romanorum Pontificum, & Imperatorum I. II. & III. sæculi elenchum, & non potius, ut Auctor Blanchiniani Catalogi fecerat, Antistitum Neapolitanorum tempora cum temporibus Pontificum & Imperatorum una simul dare? Immo cur nam idem Joannes, quemadmodum ab initio IV. sæculi nomina Neapolitanæ Ecclesiæ Episcoporum cum Pontificum, & Imperatorum Romanorum nominibus, & temporibus conjunxit, non idem præstitit in I. II. & III. sæculo? Huic objectioni facile est respondere. Nesciebat Joannes *decem priorum Antistitum tempora peculiaris, quibus Neapolitanum Episcopatum rexe- rant, licet sciret eos per 250. circiter annos a S. Asprene ad Zosimum Neapolitanæ Ecclesiæ præfuisse.* Hac de causa quoque nesciebat, singuli priores decem Episcopi, sub quibus Pontificibus, ac Imperatoribus ex ordine, & temporum serie vixissent, quamvis sciret, sub Pontificibus ac Imperatoribus I. II. & III.

sæculi eos floruisse. Quare ne in historia luhens ementiretur ipse Joannes, & ita posteris fucum faceret, ut pessime præstitit, Mazochio advertente, Auctor Blanchiniani Larterculi, maluit potius tempora, quibus Antistites illi decem in Cathedra Neap. sederant, tacere, maluitque potius suo Catalogo Neapolitanorum Antistitum præmittere Pontificum, & Imperatorum I. II. & III. sæculi elenchum, scil. *a Petro ad Marcellum Papam, & a Claudio ad Diocletianum & Maximianum Imperatores*; quam, ut vellet, & tempora circumscribere Neapolitanis Episcopis, & cum temporibus Pontificum atque Imperatorum illa respondentia dare. Nam a IV. sæculo, quum tempora illi IX. sæculo viventi essent viciniora, & notiora; ac proinde clariora, atque luculentiora adestent monumenta, cœpit idem Joannes in *Zosimo* & annos Episcopatus adnotare, & subnectere Pontificum, ac Imperatorum nomina, sub quibus utcumque constabat Episcopos sequentes vixisse. *Quocirca*, ut egregie quidem scribit Mazochius noster, *pulchre sibi Joannes Diaconus cavit; dum in prioribus tribus sæculis TEMPORUM CURAM IN TOTUM NEGLEXIT*. Quæ quum ita sint, quoniam a *Petro Pontifice, & Claudio Imperatore* elenchum, Catalogo Antistitum Neap. præmissum, incipiat Joannes, hinc inspecta Joannis ejusdem sententia concludendum est omnino, *S. Asprenem I. Neapolitanum Episcopum a Petro fuisse ordinatum, & sub Claudio Neapolitanam regere Ecclesiam cœpisse*. Non ergo cum Catalogo Blanchiniano cohæret Joanneus Catalogus, nec Mazochio, sed nobis facem præbet, Neapolitanæque Traditioni unice favet Diaconus Joannes.

VIII. Atque hæc sunt bina illa monumenta a Cl. Mazochio producta, quibus disertissima

ma

ma Traditionis nostræ testimonia e manibus eripuisse videtur. Addit ipse deinde conjecturalia quædam argumenta. Et profecto Acta vetustissima S. Asprenis, quæ Chioccarellus, Sabbatinius, aliique quarto dant Sæculo, nos vero ad summum quinto adducimus, ad XI. ipse amandat Sæculum. At cur nam? In hisce Actis brevitæ, stylique simplicitate se commendantibus, in quibus Petri adventus, Vetulæ Asprenisque infirmorum curatio, & baptismus; ejusdem Asprenis Episcopalis ordinatio a Petro facta; ut & Asprenis ipse in Episcopatu ad mortem usque opera enarrantur, quatuor subnectuntur miracula a Deo Asprenis intercessione patrata, quorum primum illud est, cujus causâ Vir summus hæc eadem Acta, vix ac ne vix quidem, sex sæculorum ferre ætatem demonstrare conatur. En illud: Quum Neapoli vir & uxor essent timentes Deum, divites cum multa familia, filium tamen, aut filiam non habebant, & flagitabant S. Præsulis meritis, ut eo intercedente filius eis concederetur, vel filia: obtinent postulata: nascitur eis filius: conjuges ipsi gratias Deo & meritis Præsulis exhibentes referunt: *basilicam ad honorem S. Aspren decentissime construunt: QUÆ USQUE IN HODIERNUM DIEM DICITUR STEPHANIÆ BASILICA.* Ex postremis hisce verbis conjiciendo ita Actis S. Asprenis summe colendam auferit vetustatem, ætatemque tribuit Sæculi XI.

pag. 211. „ Cum nos ex Joanne Diacono,  
 „ & Blanchini Catalogo didicerimus, STEPHANIAM (Neapolitanam scil. Cathedralem)  
 „ a Stephano I. ineunte VI. Sæculo primum  
 „ factam, & mox (igne crematam) ab altero  
 „ Stephano exeunte Sæculo VIII. restructam;  
 „ quum hæc, inquam, jamdiu didicerimus,  
 „ quid hoc nunc, rogo, portenti est, quod

„ in his Actis Stephaniae aedificatae laus ab  
 „ iis Episcopis in conjuges nescio quos in-  
 „ nominatos, & temporis incerti transcribi-  
 „ tar „ ? Hinc post multa, quod minus cre-  
 „ debamus, sic concludit senex noster erudi-  
 „ tissimus. „ Sed magis est, ut aliam novissi-  
 „ mam Stephaniae refectionem in Actis S.  
 „ Asprenis designari credamus. Nam quae Ba-  
 „ silica post tria non integra Saecula, quam  
 „ facta fuerat, a Stephano II. reficienda fuit,  
 „ eam credibile est X. Saeculo, aut ineunte  
 „ XI. iterata reparatione indiguiffe: quam ab  
 „ his piis conjugibus perfectam heic designa-  
 „ ri credo “.

IX. Verum quis non videt, aliam fuisse  
 Scriptoris Actorum S. Asprenis sententiam  
 ab illa, quam ei, ut suam tueatur, adpingit  
 Mazochius? Scriptor paucis dixerat: *Basilicam ad honorem Sancti Aspren* (ac proinde ab  
 ejus nomine vocatam) *decentissime construunt*  
 (non reaedificant pii conjuges) *quae usque in*  
*bodiernum diem* (mutato nomine S. Asprenis,  
 & ab eorum Episcoporum adpellatione, qui  
 vel eam fatifcentem restaurarunt, vel novo  
 copularunt templo, scil. a Stephanis I. & II.  
 vocata) *dicitur Stephaniae Basilica*. Quare  
 post quartum circiter saeculum a conjugibus  
 pientissimis *J. Asprenis constituta est Basilica*,  
 quam Stephanus I. Saeculo VI. refecit; vel  
 cui probabilius Basilicam addidit S. Salvato-  
 ri dicatam, & a se Stephaniam dictam: quam  
 in Blanchiniano, & Joannis Diaconi Cata-  
 logis legatur: *Hic (Stephanus I.) fecit Basti-*  
*licam ad nomen Salvatoris, copulatam cum*  
*Episcopo, quae usitato nomine Stephanica voca-*  
*tur*. Altera haec sane probabilior sententia ex  
 Actorum vetustiorum amplificatore Alberico  
 clarius patet dicente: *Jugales . . . pro gra-*  
*tiarum redditione ad Antistitis (Asprenis)*  
*de.*

*decus AULAM decentissime construunt, sicut usque in hodiernum diem est cernere IN EA, QUÆ DICITUR STEPHANIÆ BASILICA.* Unde quisque videt Basilicam S. Asprenis non absolute vocari *Stephaniam*, quum adhuc post plura sæcula dicatur *Aula in ea, quæ dicitur Stephaniæ Basilica*. Quum enim pone eandem S. Asprenis Ecclesiam Stephanus I. *Basilicam Salvatoris* Episcopio copulatam construxerit ( quæ ab ejus nomine *Stephania* vocata est ) hinc profecto factum, ut utraque sacra ædes in unam pene coaluerint, ac nomine *Stephaniæ* indigitari cœperint, licet antiquissima S. Asprenis Ecclesia peculiare quid retinuerit, unde ab Alberico non absolute *Stephania*, sed *Aula in ea, quæ dicitur Stephaniæ Basilica*, dicta sint.

X. At nonnemo dicet forsan, quod quamvis tradita istæ interpretatio recto talo consistat, Mazochii tamen adhuc aliqua ex parte firma stat sententia, Acta nempe S. Asprenis novitatem redolere. Nam si statuatur post IV. circiter sæculum a piis conjugibus fuisse S. Asprenis Basilicam ædificatam, quæ deinde VI. Sæculo a Stephano I. resecta, ac novæ *Salvatoris Basilicæ* adnexa, & ipsa ab ejusdem *Stephani* nomine *Stephania* dici cœperit; quum in hisce Actis legatur, pios conjuges Basilicam S. Asprenis construxisse: *que usque in hodiernum diem dicitur Stephaniæ Basilica*; ergo hæc acta scripta omnino sint oportet post Stephanum I. sive post Sæculum VI. vel post alterum Stephanum, nempe post VIII. Sæculum.

XI. Ita sane res esset, si ab una eademque manu & S. Asprenis *Vitæ Acta*, & *Acta Miraculorum S. Asprenis*, quæ aliquot abhinc Sæculis in unum conjuncta sub unico titulo *Actorum S. Asprenis* circumferuntur, essent pro-

fecta. Verum ipsamet bina & Vitæ, & Miraculorum Acta, quamvis arctissimo secum vinculo jam copulata, duplicem sibi elata voce ciet Patrem. Stilus enim primo, quamvis in utrisque brevis sit, at in prioribus elegantior, nitidior, & purior incedit, in posterioribus vero sequiorum omnino sæculorum inelegantiam redolet. Deinde priora Acta satis apte desinunt in verba illa: *Obiit autem senex, plenus dierum, & operibus virtuosus tertio nonas Augusti*; quod sane Auctor ita non conclusisset, si ad miracula enarranda e vestigio procederet.

XII. Tandem, ut Lectori nostro proum fit, nostrum de vario horum Actorum stilo iudicium perpendere, in medium heic profertur nonnulla ex his excerpta. Acta Vitæ S. Asprenis sic exordiuntur: *Princeps Apostolorum Simon Petrus, Antiochensi fundata Ecclesia, Romam accedens, ad mœnia urbis Neapolitanæ transeundo pervenit: ubi longo fatigatus itinere quiescens paululum, quamdam mulierculam senem transire conspexit. Sciscitatur ab ea de civitatis statu, de civium habitu, de forma morum, de qualitatibus animorum; quæ eis vita, quæ legum cæremoniæ, quæ in deitatis cultura devotio, quæ in pietate religio eis inesset, &c.* At contra posteriorum Scriptor Actorum, ut viam sibi ad miracula, sequioribus Sæculis patrata, subnectenda faceret, ita incipit: *In Neapolitana siquidem Urbe vir & uxor conjuges erant. Nonne vir maritum, mariti sociam uxor explicant? Cur nam post virum & uxorem additur, illos fuisse conjuges? Redundantia est hominis insulse scribentis, nec vim verborum viri & uxoris plene adsequentis.* Post pauca addit Scriptor: *Quidam Sergius nomine, dolore iliaco tortus diutius, almifici Aspren Ecclesiæ adiit limina, & paulo*

lo post ad domum suam restituta plenissime est sospitate regreſſus. Alius quidam Sergius ejuſdem morbi adſictus anguſtiis, convertit ſe tota fide ad S. Aſpren ſuffragia expetenda, & ad frequentem clamationem aegroti, languore dimiſſo, ſanus integer eſt effectus, &c. Quis non videt illa dolore iliaco, almifici Aſpren, reſtituta ſoſpitate, frequentem clamationem, ſanus integer, & alia huiusmodi elegantiam non ſapere IV. vel V. Sæculi, ſed redundantiam potius, & novitatem Sæculi VII. vel VIII.?

XIII. Hanc Neapolitanam Traditionem, quæ primam Religionis Chriſtianæ in noſtram Urbem invectæ originem exhibet, quum primum huc Apoſtolorum Princeps Petrus advenit, paulo fuſius proſecuti ſumus: tum quia adcuratiorem operam ipſa, quæ excuſſimus, monumenta deſiderabant: tum vero potiſſimum, quia magni nominis is eſt, quicum contentio nobis fuit, ac diſceptatio. Porro vehementer diſplicet, in eum locum nos fuiſſe adductos, ut a Præcl. Mazochii (quemadmodum de univerſa propemodum ſapientia, ita de Neapolitana præſertim Eccleſia benemerentiſſimi) ſententia deſciſcere oportuerit. Unas enim perſcrutandæ veritatis amor efficere potuit, ut inviti tanto viro, cujus ſumma cum obſervantia memoriam ſemper uſurpabimus, adverſari auderemus. In quo ſane Auctorem ſecuti ſumus Virum Clariffimum *Joſephum Sparanum* noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicum Cardinalem, & Pœnitentiarium; cui tum aliis nominibus, tum vel maxime doctiſſimo evulgato Opere: *Memorie Iſtoriche per illuſtrare gli Atti della Chieſa di Napoli* &c. Neap. Eccleſiaſticæ Antiquitates plurimum debent; is enim indicato Ope-



154 *Antiquit. Christian. Institut.*  
re *Lib. II. Cap. 4.* primus fuit, qui ab Ma-  
zochii sententia discedendum duxit.

## C A P U T V I I I.

### *De Evangelii per Africæ oras Propagatione.*

I. **S**imonem Zelotem Evangelium in Afri-  
cam intulisse testantur Nicephorus *Hist.*  
*Lib. II. cap. 40.* Dorotheus, Hippolytus, &  
Græcorum Menologia *ad diem 10. Maji.* Pro-  
fecto Baronius *ad an. Christi 44.* Apostolorum  
voce Africam ad Christi disciplinam fuisse  
adductam censet, tum vel maxime Augustini,  
ac Salviani Maxiliensis testimoniis innixus.

II. Jam vero Augustini, & Salviani verba  
si adcuratius perpendantur, longe alia vide-  
tur ipsis adfigenda explicatio. Et sane quod ha-  
betur in *Libr. de Unit. Eccles. Cap. 15.* *Si di-*  
*citis periisse in illis locis, quod erat per Apo-*  
*stolos seminatum, & ideo esse rursus ex Africa*  
*seminandum: respondetur, &c.* Id quidem quis  
non statim intelligit ex Donatistarum dici  
sententia; quum ibi S. Doctor Donatisticum  
commentum sibi ipse opponat, ut illud postea  
dissolvat? Hoc autem aperte patet ex verbis,  
quibus suum sermonem auspicatur: *Si dicitis,*  
*inquit, &c.*

III. In Salviani *de Provid. Lib. VII.* porro  
exponenda sententia toto prorsus cælo ober-  
rat. *In urbe Christiana, inquit, urbe Ecclesia-*  
*stica, quam quondam doctrinis suis Apostoli in-*  
*stituerunt, quam passionibus suis Martyres co-*  
*ronarunt, viri in semetipsis fœminas profite-*  
*bantur.* At id de Carthagine haud intelligas.  
Adeo quippe verum est heic Salvianum de  
Roma, non de Carthagine conqueri, ut quæ  
proxime sequuntur verba, amplius dubitare  
non

non patiantur: *Hæc ergo impuritas, post adlatum testimonium illico subnectit, in Romanis & ante Christi Evangelium esse cæpit, nec post Evangelium cessavit.*

IV. Adhæc Tertullianus *de Virginibus ve-landis Cap. I.* in transmarinis regionibus apostolicas Ecclesias esse quærendas adfirmat: *Consuetudini etiam consuetudinem opponam. Per Greciam, & quasdam Barbarias ejus, plures Ecclesiæ virgines suas abscondunt. . . . Eas ego Ecclesias proposui, quas & ipsi Apostoli, & apostolici viri condiderunt.* Tum in *Lib. de Præscript. Cap. 20.* Hæreticos oppugnaturus ad Traditionem confugit, quam ab Apostolicis Ecclesiis poscendam constituens, *Romanam, Philippensem, Asianam &c.* Ecclesias commemorat; *Africanam* nullam.

V. Igitur verisimilius videtur Ecclesias Africanas non ab Apostolis fuisse fundatas, & fortasse neque auctoritate apostolica. At vero extra omnem dubitationis aleam positum est ineunte sæculo II. Christi fidem jam in Africam fuisse inductam.

VI. Et I. quidem Justinus in Dialogo cum Tryphone: *Nec unam quidem esse, inquit, hominum nationem, sive barbarorum, sive Grecorum, seu etiam aliorum omnium quocumque adpellentur nomine &c. inter quos per nomen Crucifixi Jesu preces, & gratiarum adpellationes Patri, & Conditori Universi non fiant.* Eadem habet S. Iræneus *Contr. Hæres. Lib. I. cap. 2.*

2. Adde his, quod Agrippinus Carthagenensis III. ineunte sæculo Synodum 70. Episcoporum celebravit: quod sane non levi est argumento haud recentem in Africa eo tempore fuisse Christianam religionem. Præsertim quum ex Cypriano *Epist. LXXIII.* constet non omnes Africanos Episcopos eam in Syno-

dum concessisse, nonnullis ob furentes persecutionum æstus absentibus.

3. Præterea eodem sæculo III. tum plures in Africa pro Re Christiana Synodi coactæ sunt, tum & innumeri pene Christiani pro catholica fide dimicantes martyrii palma insigniti sunt, quorum agmen an. 200. duxerunt MM. Scillitani.

4. Demum ejusdem Sæculi III. decurrente ætate, tum Martyrum fide, constantia, ac sanguine effuso, tum Episcoporum, ac maxime Cypriani opera & laboribus adeo Res Christiana in Africa excrevit, ut per universas pene Africanas provincias Christi nomen audiri cœperit, Ecclesiæ passim fuerint erectæ, & Episcopi constituti.

VII. Piget heic Christianæ Religionis in Africa IV. & V. sæculo incrementa referre, quum sine operæ pretio tempus, & studium perdere nolimus, & unusquisque, qui Ecclesiasticæ Historiæ delicias summis, ut ajunt, labris degustavit, perspectius noscat, quam describi possit.

## C A P U T I X.

De Persecutionibus, quas primum ab Judæis, dein & ab Ethnicis, ac Philosophis per quatuor priora sæcula Ecclesia passa est.

§. I. *De Persecutionibus, quas ab Judæis Ecclesia passa est.*

**Q**UOT quantaque mala ab Judæis Apostoli, antequam Jerosolymis discederent, passi sint, Liber Actuum Apostolorum diserte tradit; præcipue vero postquam Stephanus lapidibus obrutus est, tata  
cap

cap. 8. *ibid.* dicitur in Ecclesiam excita persecutio, ut omnes discipuli fuerint per regiones dispersi. Præ ceteris autem S. Paulus: tum ab Judæis, tum ab Ethnicorum plebe, plerumque Judæorum stimulis concitata quam plurimis, iisdemque gravissimis perpetuæ ærumnis ad satietatem pressus est: ut ipsemet semel, atque iterum in suis epistolis testatur, Liber Actuum Apostolorum indicat, & nos satis Cap. II. descripsimus.

II. Jam vèro capitale in felices Christianæ Religionis successus conceptum odium Judæi nunquam deposuerunt, illam derisione, blasphemis, calumniis, ac etiam apertis persecutionibus laceffentes; & quidem calumnias in Christianos confictas, quibus in locis poterant, spargere consueviffe Judæos, auctores sunt Origenes, Justinus M., Tertullianus, Eusebius, aliique veteres, quorum selectiora testimonia vide inferne (1).

III. Evangelicam doctrinam primum a Christo, dein & ab Apostolis evalgatam, vaticiniisque, ac prodigiis firmatam quamevidentissimis

Ju-

(1) Origenes contra Celsum Lib. VI. scribit Judæos jam ab initio calumnias adversus Christianos vulgasse: Eadem habet Hom. X. in Jerem. Cap. 12.

S. Justinus M. in Dialogo cum Tryphone num. 17. scribit Judæos Christianæ religionis progressibus invidentes scelestos viros Jerosolymis in universum mundum misisse, Atheam Christianam Religionem proliisse, dicentes, ea que spargentes, quæ in nos ab iis omnibus, quibus noti non sumus, dicuntur.

Tertullianus Lib. I. ad Nationes Cap. 14. Credidit Judæo vulgus; quod enim aliud genus seminarie infamie nostræ? & Lib. III. contra Marcionem cap. 23. notat a Judæis cœpisse infamiam, & per ipsos propter ipsos blasphemari nomen Domini in nationibus ex *Isaie* cap. 52.

Eusebius Lib. IV. cap. 18. Significat etiam Judæos ultra extrema terra suos Apostolos misisse epistolas descendentibus, ac supra dorsum aquarum, in marique navigantes, ubique terrarum discurrense, sermonem de servatore nostro calumniis vellicantes.

Judæi, veluti horribili quadam cæcitate percussi, conviciis, maledictisque nefarie exceperunt; quod non modo ipsi testantur Evangelistæ, verum & antiquissima produnt historica monumenta. Seducatoris, Samaritani, Dæmoniæci, aliaque hujus generis probrosa nomina haud raro Judæi Divino ipsi Magistro adfixerunt (2). Tum Apostolicæ prædicationi non solum tanquam perniciosæ noviter excogitatæ sectæ ubique contradicere (3); sed etiam illam despicientes ubique etiam execrari sui muneris esse censebant (4). Unde Origenes Hom. X. in Jerem. XII. *Etiannum*, scribit, *in silva leones sunt Judæi, diris devovere cupientes Jesum, eique maledicentes*. Atque eo usque Judæorum furor exarsit, ut quemadmodum ex Hieronymo, & Epiphano compertum est, quoties ad orandum in Synagogas convenirent, ter per singulos dies, mane, meridie, & ad vesperum sub nomine *Nazæorum Christianorum* nomen anathematizare consueverint (5),

## IV.

(2) *Matth. XXVII. 63. Joan. VII. 12. VIII. 48. &c.*

(3) *Actor. XXVII. 22.* De secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicuntur.

(4) *Actor. XIII. 45.* Contradicebant his, quæ a Paulo dicebantur, blasphemantes, ἀντιλέγοντες, καὶ βλασφημούντες, & *XVIII. 6.* Contradicentibus autem eis, & blasphemantibus: Ἀντιτασομένων δὲ αὐτῶν καὶ βλασφημούντων. Unde Paulus ipse, adhuc Saulus, ut a Judæis edocuit erat, Christianos persequens cogebat blasphemare. Compellebam blasphemare. *Actor. XXVI. 2.*

(5) *Hieron. ad Cap. V. Isaiæ:* Ter, inquit, per singulos dies in omnibus Synagogis sub nomine Nazæorum anathematizant nomen Christianum. Idem repetit *Lib. I. & III. in Amos.*

*Epiphani. Hæres. XXII. cap. 9.* Mane, ac meridie, & ad vesperum ter de die, quum in Synagogis suis ad orandum conveniunt, diris illos Nazæos, sive Christianos devotent.

*Sixtus Senenßs Biblioth. S. Lib. II. ex Judæorum scriptis, ac præcipue ex Ghemara ad Misnam IV. In Cod. Berachot cuilibet Judæo in more esse scribit, ter in diem blasphemare*

IV. At calumniis ne duntaxat, ac maledictis christianos infectati sunt? Haud sane. Namque aperta vi, cruciatibus, necnon morte ipsa, ubi temporum, ac locorum *περιστάσεις* *circumstantiis* id ipsis permiffum est, ab Christi discipulis exagitandis nunquam destiterunt. Unde Hieron. Lib. I. in Amos: *Dummodo nos interficiant, volunt igne comburi*. Tum præter ærumnas, ac graves etiam cruciatus, quibus ab Judæis Apostoli onerati sunt, uti superius enarravimus, Hadriano Rom. Imperii clavum tenente quidam Judæus Barchochebas, quum bellum Romanis intulisset, quos comprehendere, bello obstinatius persistente, *Christianos potuit, eisdem ad gravia supplicia, nisi Christum abnegarent, & maledicerent, pertrahi jussit*.

V. Postremo Judæi, uti Christi vaticinia a veritate exciderent, semel, iterum, ac tertio Urbis, Templique restitutionem moliti sunt: at semel, iterum, ac tertio irrito conatu. Chrysost. *Hom. VI. advers. Judæos*. Profecto dum Evangelium per orbem universum tanta celeritate, ac felicitate propagabatur, adeo Judæorum excreverat iniquitas, ut ejusdem Josephi Hebraici Scriptoris testimonio Lib. V. cap. 16. *ni Romani Jerosolymæ maturassent exitium, necesse fuisset, ut illa aut terræ biatu absorberetur, aut eluvione deleteretur, aut solis Sodomitici experiretur fulmina*. Enimvero Christi oracula de Judæa omni divina ope spolianda ea mirabili *οικονομία* *œconomia* suum eventum sortita sunt, ut primum Judæis in omnem immunditiam, ac prorsus in reprobam sensum

tra-

---

mare omnem Christianorum gentem, ac Deum precati, ut confundat exterminetque ipsam cum regibus, & principibus suis, atque hoc maxime facere Sacerdotes Judæorum in Synagoga ter quotidie orantes in odium Jesu Nazareni.

traditis, dein An. 70. Jerosolyma a Romanis excisa fuerit, Templumque eversum.

VI. Igitur 1. quum circiter an. 134. duce Barchocheba Templi instaurationem cogitarent, ab Hadriano Augusto non repressi modo sunt, verum & oppressi. Namque in loco vicino e ruinis excisæ urbis Æliam Capitolinam ædificari iussit gravi Judæis intentata pœna, si eo accedere tentassent. Eusebius ex Aristone Palæo *Lib. IV. cap. 6.* Tertull. adversus Judæos *cap. 13.* Hieron. in Isaïæ VI. & in Danielis IX. &c. Hinc Tertull. ipse Apolog. cap. 21. *Quanta deliquerint . . . probat exitus hodiernus ipsorum: dispersi, palabundi, & celi, & soli sui extorres vagantur per orbem sine homine, sine Deo, sine rege, quibus nec advenarum jure terram saltem vestigio salutare conceditur.*

VII. 2. Sub Constantino M. an. 325. iterum Templi reparationem Judæi adgressi sunt. Testatur id S. Jo. Chrysostronus *Homil. VI. adversus Judæos: At Constantinus, inquit, viso ipsorum conatu, amputatis illorum auriculis, ac rebellionis signo impresso corpori illorum, per omnia loca circumferebat illos tanquam fugitiva mancipia, & verberones, corporibus mutilatis conspicuos illos faciens omnibus, ac eos, qui per omnes regiones erant sparsi, erudiens, ne in posterum eadem conarentur.* Eadem habet Cedrenus pag. 234.

VIII. 3. Postremo sub Juliano Apostata an. 363. Judæi non facultatem modo impetrarunt Templi restituendi, verum & vectigalium, ac tributorum onere levato, ad illud operis subsidia obtinuerunt; at ipsorum opus cælitus immisso igne ad irritum cecidit. Id *ὑρακτικῶς* graphice describit Chrysostronus *Hom. V. adversus Judæos*, quam habuit an. 387. Res sane per univèrsam, qua late patebat, Rom. Imperium pervagata est. Ejusmodi enim Historiæ caput in-

indicat Julianus ipse in *Frag. de templo Judæorum ter everso*; ac evidenter testantur Nanzianz. *Orat. IV.* Rufinus *Lib. I. cap. 31.* Socrates *Lib. III. cap. 20.* Sozomenus *Lib. V. cap. 21.* Theodoretus *Lib. III. cap. 20. &c.* Jam vero sine piaculo omitti nequit Ammiani Marcellini Auctoris gentilis testimonium, qui *Lib. XXIII. cap. 1.* de Juliano: “ Imperii sui, inquit, memoriam magnitudine operum gentiens propagare, ambitiosum quondam apud Jerosolymam Templum, quod post multa, & interneciva certamina, obsidente Vespasiano, posteaque Tito ægre est expugnatum, instaurare sumtibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alypio dederat Antiocheni, qui olim Britannias curaverat pro præfectis. Quum itaque rei idem fortiter instaret Alypius, juvaretque provinciæ Rector, metuendi globi flammæ prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum: hocque modo elemento destinatius repellente, cessavit inceptum (6) ”.

§. II. De Persecutionibus, quas ab Ethnicis Christiana Religio perpeffa est.

IX. Non ab Judæis duntaxat, verum & ab Ethnicis & quidem vehementius suos discipulos perturbatum iri haud semel Apostolos monuit Christus Dominus. Profecto sicut ipse Gentibus tradendus erat ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, *Matth. cap. X. vers.*

(6) S. Ja: Chrysofomus *Homilia V. adversus Judæos*: Nam semel, & iterum, ac tertio sub Hadriano, sub Constantino, sub Juliano conatus illorum Templi instauranti cohibitus est.



*vers.* 19. haud secus suos Apostolos, horumque exemplo alios fideles ad Præsides, & reges ducendos in testimonium illis, & gentibus ipsemet divinus Magister manifesto prædixit *ibid. cap. X. vers.* 18. Et sane Apostoli, primique Christi discipuli Ethnicorum Principum Decretis ad supplicia rapti martyrium consecuti sunt.

X. Verum nulla crudelior extitisse videtur persecutio, quam quæ sub Ethnicis Romanis Imperatoribus per tria pene sæcula in Ecclesiam debacchata est; a Nerone nimirum ad Constantinum usque. Hæc sane eo sævior fuit, quo magis suos limites extendit, quum Romanum totum imperium pervaserit, quod tunc ex Europa, Africa, magnaque Asiæ parte coalescebat: ex potioribus scilicet Terræ tunc cognitæ regionibus. At licet per 300. ferme annos perdurasse visa fuerit, attamen quum identidem a sua sævitate deserbuerit, fidelibusque quædam veluti induciæ datæ fuerint, hinc in decem vulgo Persecutiones dispefci solet, quas heic *βραχίως breviter* describemus.

### §. III. *Persecutio Neroniana.*

XI. Prima itaque Persecutio Neronis vulgo dici solet, quæ licet principio in solos Urbis Christianos desæviret, quippe qui auctores appellarentur incendii, ab ipso Nerone dolo malo excitati, (7) quo Trojæ conflagrationem expressam inde conspiceret, sive, ut alii opinantur, quo Roma magnificentius exstrueretur: tamen modico admodum elapso intervallo, & quidem an. LXIV. (8) Neronis jussu

to-

(7) *Tacitus Ann. Lib. XV. Cap. 44. Suetonius in vita Neron. cap. 38.*

(8) *Nero an. AERE Vulg. LIV. ad Imperium evectus est.*

totum Romanum orbem invasit, quæ tandem Imperatore extincto cessavit. Primum omnium in Apostolorum Principes Petrum, & Paulum sævitum est; dein immanis per Imperii provincias cujuscunque conditionis fidelium cædes facta est. Id testantur Ermes in *Pastore*, Auctor Epistolæ Diognati datæ, quæ eruditorum judicio a quodam *συγχρόνῳ* coævo conscripta est, Tertullianus *Apolog. cap. I.* Melito Sardinensis apud Eusebium *Lib. IV. cap. 25.* At audiendi prorsus Tertullianus in *Apolog. & Lactantius in Lib. de Mort. Persecut. (9)*, qui ibidem causam insuper exponit, quamobrem sævus Imperator universalem hanc persecutionem edixerit. Neroni an. 68. Galba, Galbæ eodem anno Otho, Othoni an. sequenti Vitellius, Vitellio eodem anno Vespasianus, Vespasiano an. 79. Titus, Tito demum an. 81. Domitianus successit. At sub his Imperatoribus nulla adverius Christianos Edicta prodire.

#### §. IV. *Persecutio Domitiana.*

XII. Altera persecutio Domitiano imperante excitata est. Is sub Imperii exordium *Clementis*, & *Pii* nomen usurpavit: at processu temporis eo crudelitatis, atque insanix devenit, ut Nero & ipse dici optimo jure quiverit; atque ea sane de causa a Tertulliano *Portio Neronis* adpellatur *Apolog. cap. V.* ab  
La-

---

(9) *Tertull. Apolog. Cap. V.* Consulite commentarios vestros; illic reperieris primum Neronem Casariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ gloriamur.

*Lactantius de Mort. Persec. cap. II.* Quum animadverteret Nero non modo Romæ, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu Idolorum, & ad religionem novam, damnata verustate, transire, ut erat execrabilis, ac nocens Tyrannus, prosilivit ad excindendum caeleste regnum, delendamque justitiam.

Lactantio *non minor tyrannus*, de Morte Persec. cap. 3. & ab Eusebio *Neroniane impietatis successor*, Lib. III. cap. 17. Ipse circa annum 94. Edicta evulgavit in Christianos acerbissima: tum omnem omnino lapidem movit, nervosque omnes in id intendit, ut, quoad ejus fieri posset, spiritale Ecclesiae aedificium demoliretur. In hac Persecutione Joannes Apostolus in insulam Pathmum relegatus traditur; tum & martyrium subire S. Dionysius Areopagita, S. Onesimus S. Pauli auditor, S. Nicomedes Presbyter, aliique innumeri fideles, ex quibus praeterire piaculum est S. Flavium Clementem ipsius Domitiani patruem, alium prorsus a S. Clemente Papa, & S. Flaviam Domitillam ejusdem Imperatoris ex forore neptem: de quorum martyrio Ethnicos ipsos Scriptores testes habemus; uti Suetonium in Domitiano cap. 15. & Dionem Lib. LXVII. pag. 766. Haec persecutio ad mensem usque Septembr. an. 96. excurrit, interque eruditos minime convenit, utrum a successore Nerva, an ab ipso Domitiano revocata edicta fuerint. Domitiano Nerva eodem anno successus est, quo imperante Ecclesia aliquantulum conquievit. Vix 16. mensium spatio imperium obtinuit, qui tandem a Trajano ann. 98. summa rerum potito exceptus fuit.

§. V. *Persecutio Trajana.*

XIII. Trajanus igitur tertiam in Christianos novis promulgatis sanctionibus excitavit; in qua tormentis jactati occubuere S. Ignatius Antiochenis Episcopus, S. Rufus, S. Zosimus, aliique ex Philippensibus, uti constat ex Epist. S. Polycarpi apud Eusebium Lib. III. cap. 36. quae sic habet: *Obsecro vos omnes Philippenses, ut parcatis praepositis vestris, omnemque patientiam exhibeatis, quam spectastis, non solum*

lum in Ignatio, Rufo, ac Zosimo viris beatissimis, sed etiam in aliis vestrum. Quod vero hæc Persecutio & sæva nimis fuerit, & totius Rom. Imperii provincias occupaverit, testantur id Tertullianus, Eusebius, & Plinius Jun. in Epist. ad Trajanum (10). Et licet ex litteris Trajani ad Plinium adpareat persecutionis violentiæ modum mox fore imponendum, quum in illis imperet, ne sollicite perquirantur inde fideles, sed ii tantum pœnis subjiciantur, qui fuerint denunciati: at tamen exardescere magis in christianos ethnicorum odio, ac furore, quemadmodum non deerant ubique, qui illos denunciarent, ita ubique ad supplicia trahebantur (11).

§. VI. *Persecutio Hadrianea.*

XIV. At sub Hadriano, qui anno 117. Trajani solium occupavit, tum perduravit, tum majori pertinacia bacchata est persecutio. Ut enim Hadrianus in paganorum superstitionibus totus erat, ita immaniori præ reliquis  
Chri-

---

(10) *Eusebius III. 33.* Tanta, & tam gravis plerisque in locis adversus nostros persecutio tunc temporis sæviebat, ut Plinius II. inter Provinciarum rectores celeberrimus motus martyrum multitudine ad Principem retulerit de numero eorum, qui fidei causa obrutabantur. . . . Respondens Trajanus edixit: Christianos quidem requirendos non esse, oblatos vero puniri oportere. Quo facto persecutionis incendium, quod nobis violentius incumberebat, restinctum quidem aliqua ex parte videbatur; iis tamen, qui nos maligne, & fraudulenter adgredi vellent non minor opportunitas suscipiebatur: alibi populo, alibi præsidibus provinciarum adversus nostros insidias comparantibus: adeo ut si non palam, & publice, locales tamen in aliquot Provinciis persecutiones exardescerent, & plurimi ex fidelibus multiplicis martyrii certamen subirent. Eadem habent *Tertullianus Apolog. Cap. 2. aliique veteres, ac Plinius ipse Lib. X. Epist. 97. ad Trajanum.*

(11) Epistola Trajani apud Plinium *ibid. Epist. 98.* & *Eusebius modo producto loco.*

Christianos odio prosequeretur. Id testantur Eusebius *Lib. IV. cap. 3.* Hier. de *Viris Illust. cap. 19.* & evidentissime adparet ex Apologiis, quas pro Christiana Religione scripserunt, ipsique Imperatori nuncuparunt S. Quadratus Vir Apostolicus, & S. Aristides Christianus Philosophus Atheniensis. In hac persecutione martyrio coronati sunt duo Rom. Pontifices S. Alexander scilicet, & S. Sixtus I. S. Symphorosa cum filiis, alii qui sanemulti, ut videre est apud Baronium, & apud Tillemontium.

XV. Circa annum Hadriani 10. vel 11. vis persecutionis concidisse videtur; etenim ipse Hadrianus Minucio Fundano Asiæ Proconsuli, Rescripto delato, imperavit (12), ne Christiani posthac, quo postulationibus insane plebis fieret satis, damnarentur: atque in eos tunc solum animadverti voluit, quum enormium delictorum rei arguerentur. Cur hujusmodi Rescriptum evulgaretur, modo indicatæ Apologiæ in causa potissimum fuisse videntur.

#### §. VII. *Persecutio Antoniniana.*

XVI. Titus Antoninus Imp. Hadriani ann. 138. successor ob insignes quidem animi dotes, virtutesque suas satis apud veteres commendantur; ob clementiam præsertim erga subditos *Pii* cognomen sortitus est: quum tamen antecessoris Hadriani Edicta non revocaverit, a crudelitate sua persecutio, ipso imperante, nusquam recessit. Hinc causam natus

---

(12) Rescriptum Hadriani exstat ad calcem Apologia longioris S. Justinii. Vide sicut Eusebium *Lib. IV. cap. 8. & 9.* Ad idem Rescriptum provocant Justinus ipse *Apolog. II. pag. 99.* Melito apud Eusebium *ibid. cap. 26.* & Xiphilinus in *Antonino Pio* sub init.

ctus est Justinus M. primam scribendi Apologiam, quam anno 150. Imperatori, ac S. P. Q. Romano exhibuit. Atque ex hac quidem Apologia adparet, innumeros Martyres, Antonino imperante, per omnes ubique Imperii provincias non unius generis cruciatibus adfectos periisse: quos inter primas obtinent tres R. Pontifices S. Telesphorus, S. Pius II. & S. Hyginus, S. Felicitas, & septem ejus filii, aliique non pauci; uti tum ex aliis pluribus, tum vel maxime ex Justino constat, & in Apologetico I. & in Dialogo cum Triphone (13). Porro Antoninus vel quod Justinus Apologiam perlegisset, vel quod cum Christianis operam perdere cerneret, quos supplicium quodvis subire malle, quam Christum negare perspiciebat, veteri odio concocto, favere Christianis cœpit; atque adeo datis per provincias litteris præcepit, ne quem amplius, duntaxat quod Christianus esset, tormentis cruciarent (14).

XVII. Verum licet sub Antonini Pii Imperii finem cessasse aliquantulum visa sit persecutio, erupit tamen, & quidem majori cum impetu, sub insequenti Imperatore Marco Au-

(13) *Justinus Apolog. I pag. 55.* De nostris Christianis nomen ipsum tanquam criminis comperti argumentum arripitis . . . causa non judicata supplicia inferitis. *Dialogo cum Triphone pag. 337.* Dum gladio percutimur, & in crucem agimur, & bestiis objicimur, & vinculis, & igne, & tormentis aliis omnibus plectimur, & excruciamur &c.

(14) *Epistola ad τὸ κοινὸν τῆς Ἀσίας* ad commune Asia, *ad calcem ejusdem Apologiae S. Justinus:* Commodius illis fuerit, si ob id videantur, de quo accusantur, mortem oppetere. Et vincunt illi vos, suas ipsorum animas potius proficientes, quam ut obsequentes, quod postulatis, faciant. *Idem Imperator scripsit quoque ejusdem argumenti Epistolas ad Athenienses, ad Thessalonicensis, ad Larissenses.* Eusebius Lib. IV. cap. 26. ac etiam ad Senatum R. quam postremam legas sis *ad calcem Apologiae I. S. Justinus.*

Aurelio Antonino. Hic quum sublimioris philosophiæ speciem vendicaret, cui sese dedisse nomen gloriabatur, superbia elatus, atque inani inflatus scientia, non potuit humilitati Crucis bellum non indicere, ac Christianorum persecutorem se non profiteri. Huic ipsi Apologiam alteram nuncupavit Justinus, quæ tamen non eandem, quam prior, sortem nata est; quin illi tanquam crimen hoc ipsum fuit impactum, unde morti addiceretur (15). Tormentis etiam confecti vitam cum morte commutarunt SS. Pontifices Anicetus, & Soterus, & fidelium numerus pene infinitus, uti ex Eusebio habetur, aliisque veteribus genuinis monumentis (16). Quapropter hæc crudeliores inter persecutiones recensetur. Et re sane vera quum Imperator Christianos, tanquam Atheos traduceret, eosque idcirco insectandi firmissimam ostenderet voluntatem; hinc ut illi velificarentur populi, magistratus, Provinciarum gubernatores, falsorumque Numinum Sacerdotes, ingenti impetu, ac furore in Christianos irruentes cædes, depopulationem, vastationemque passim adtulere.

XVIII. Et quamvis extinguenda profus fuisset persecutio ob inauditum illud prodigium, quod D. O. M. ad Christianorum preces,

(15) *Acta MM. sincera apud Ruinart. Præf. num. 41.*

(16) *Dionysius Corinth. apud Eusebium Lib. IV. cap. 24. Melito Sardensis apud eundem ibid. cap. 26. &c. At vero audiendi omnino Athenæoras in Apolog. quam ante 177. conscripsit. Innocentium, inquit, fama violentantia quidem calumniam frequentia, ut Proconsules, & Præfeci a vobis in diversas provincias missi causis audjendis non sufficiant: & Eusebius ipse Lib. V. cap. 1. Annus tunc agebatur septimus decimus Antonini Veri, quo tempore, quum in nonnullis terrarum partibus violentior adversus nostros persecutio commota esset ex incurfione popularium innumerabiles prope Martyres per universum Orbem enituisse, ex iis, quæ in unica provincia contigerunt, conjicere est.*

ces, qui Melitenam Legionem ( quæ *Fulminatrix* dicebatur ) constituebant, pro Romano exercitu operatus fuerat; de quo alibi jam locuti sumus; attamen quum tantummodo per triennium resedisset, novo dein, ac insolito furore revixit, unde martyrii lauream consecuti sunt illustres Martyres Lugdunenses, ac Viennenses, aliique innumeri, uti ex Apologiis constat ab Athenagora Philosopho Christiano Atheniensi, S. Melitone Episcopo Sardicensi, S. Meltiade, & S. Apollinari Hieropolews Phrygiæ Episcopo conscriptis. Hujusmodi tamen Apologiæ persecutionem minime subverterunt, quæ tandem feroci, ingratoque tyranno extincto simul occubuit. Anno 176. Commodus a Marco Aurelio in Imperii societatem adscitus est. Hic anno 180. obiit, ille vero an. 193. Pertinax qui eodem anno Commodum successit, tribus post mensibus e medio sublatus successorem habuit Didium Julianum.

§. VIII. *Persecutio Severiana.*

XIX. Septimus Severus, cujus jussu Didius Julianus occisus interiit, eodem an. 193. Imperio potitus nulla in Christianos Edicta sanxit ante annum 202. Quoniam vero Plebi, ac Magistratibus immanitatem in fideles exercendi veniam facile indulgit; hinc isti sæva omnia, ac crudelia experti sunt. Id constat tum ex Tertulliano, qui annum circiter 198. quum Catholicam adhuc profiteretur fidem, eruditam, doctamque pro Christianis Apologiam conscripsit, licet haud felici eventu; tum & ex Clementis Stromatibus, quæ ante annum 202. evulgata nemo negaverit. Igitur ob novas, uti modo innuimus, ab Severo latus leges, novas quoque persecutio accepit vi-



res Quapropter ubique per Orientem, per Galliam, per Italiam, præsertim vero per Africanam, frequentes Christianorum cohortes variisque, dirisque cruciatibus ad necem perductæ sunt. Id patet tum ex Tertull. *ad Scapulam cap. 4.* & ex binis ejusdem Tractatibus *de Patientia, & de Exhortat. ad Martyr.* tum & ex Juda Christiano Scriptore *συγχρόνως* *κοινω* apud Eusebium (17), ex eodem Eusebio, ex Minutio Felice in *Octavio*, & ex ipsis Auctoribus gentilibus, ac præsertim ex Ælio Spartiano in *Severo*, ubi *Cap. 17.* scribit Imperatorem gravem interminatam pœnam vetuisse, ne quis Judaicæ, vel Catholicæ Religioni nomen daret. Hac ætate jam agebat Origenes, qui multis suis discipulis, ac præsertim parenti suo Leonidæ in pugnam properantibus suppetias, ivit, iisque in certamine animos addidit: quo munere functus est, quum XVII. inæ ætatis annum vix attigisset. Eusebius *ibid. Cap. 2.*

XX. Septimum Severum an. 211. in imperio exceperunt Caracalla, & Geta, quorum prior an. 198. posterior an. 208. jam in Imperii societatem adsciti fuerant. An. 212. Caracalla Getam fratrem occidit, & solus Imperii adfedit gubernaculo ad annum usque 217. Tum Caracallæ eodem an. Macrinus successit, Macrino an. 217. Heliogabalus, Helio-

---

(17) Eusebius VI. 7. Antichristi adventum jam tunc imminere existimabat Judas, adeo commota tunc adversus nostros persecutio. *Idem ibid. 1.* Quum Severus persecutionem adversus Ecclesias, excitasset per omnes ubique locorum Ecclesias, ab Athleticis pro pietate certantibus illustria sunt confecta martyria. Præcipue tamen Alexandriæ increbuerunt, quum ex universo Ægypto, ac Thebaide lectissimi pugiles eo tanquam in amplissimum Dei stadium deducerentur, & cujusquemodi tormenta, mortemque invicto animo perpessi, immortales a Deo coronas acciperent.

Uogabalo an. 227. Alexander Severus, huic  
an. 235. Maximinus.

§. IX. *Persecutio Maximiniana.*

XXI. Igitur ab an. 211. ad annum usque  
235. pacem fideles obtinuerunt; quin etiam  
sub Alexandro Severo, qui summopere Chri-  
stianis favebat, patrocínio usi, publica quo-  
que templa exstruxerunt, quorum erigendo-  
rum potestas nunquam antehac illis facta fue-  
rat. Hæc porro firma semper steterunt debac-  
chantibus licet, & contra obnitentibus, quæ  
deinceps infurrexerunt, persecutionibus. Sed  
quid? Maximinus vix Imperator fuerat salu-  
tatus, quum ipse natione quidem barbarus,  
at magis moribus, statim Christianos insequi,  
& crudelitatis, pœnarumque omne genus in  
illos exercere cœpit, cui natura comparatus  
erat. Huic vehementi in Ecclesiam persecu-  
tionis æstui causam potissimum dedisse viden-  
tur, tum Christiani cujusdam militis impru-  
dentia, qui temere se Imperatori fidelem pro-  
bare voluit (18), (licet istius causæ Tertul-  
lianus jam Montanista patrocínatus esset in

H 2

Lib.

(18) Huic persecutioni causam dedisse videtur miles  
quidam Christianus, qui, quum Romæ fieret liberalitas,  
donativi dispensatione militibus facta, ipse ad Tribunal  
accedens, qui donativum singulis ex ordine erogabat,  
Lauream castrensem manu gestabat, quam ceteri in capi-  
te. Causam expostulatus, quum Christianum se respon-  
disset non licere sibi coronatum incedere, ruffatus suo lan-  
guine in carcerem rapitur. De quo quum varie essent sen-  
tentia, quasi qui solus videretur inter tot fratres com-  
militones Christianus, Tertullianus coronari capite Chri-  
stianos prohibitum Lib. de Corona Militis inscripto de-  
monstrare contendit. Non desunt quidem, qui ejusmodi  
rem ad Septimii Severi tempora referendam sentent, at  
nobis arridet magis sententia Viri eruditissimi Ab. de  
Fleurio Histor. Eccles. Lib. V. num. 2. facinus illud ad  
Maximini tempora referentis. Confer Pamelium in indica-  
tum Tertull. Librum.

*Lib. de Corona*) tum vel maxime Ethnicorum convicia, qui, quum Romanum Imperium terræmotibus, fame, incendiis, & peste quateretur, Christianæ Religionis propagationi rerum hujusmodi causam adfigebant (19). In hac persecutione Christi fidem sanguine suo obfignarunt duo R. Pontifices SS. Pontianus, & Anterus, atque innumeri inter fideles, in Italia præsertim, Ponto, & Cappadocia, ubi magis desæviit persecutio. Ad Maximiani tempora referri potest Origenis opus contra Celsum, quod egregia merito dici potest Apologia inter plures ceteras, quæ prioribus illis sæculis pro Christiana Religione lucem adspexerunt.

XXII. Post Maximinum Imperium moderati sunt ann. 237. Gordianus Senior, Balbinus, & Pupienus, ann. sequenti Gordianus Junior, an. 244. Philippus, ac demum ann. 249. Decius.

§. X. *Persecutio Deciana.*

XXIII. Quum itaque ann. 249. imperium post cædem Philippo decessori suo illatam Decius usurpasset, Ecclesiam vexare cœpit, non solum ob odium in Philippum, qui Christianis maximopere faverat, ac fertur etiam Christianus fuisse; verum etiam ob supersticiosos, & iniquos Ethnicos, qui damna & calamitates, quas identidem Romanum subibat Imperium, admirabili Evangelii dilatationi adscribere adhuc non desistebant.

XXIV.

---

(19) *Origenes in Matth. Hom. XXVIII.* Scimus & apud nos terræmotum factum in locis quibusdam, & factas fuisse quasdam ruinas, ita ut qui erant impii extra fidem, causam terræmotus dicerent Christianos, propter quod & persecutiones passæ sunt Ecclesie, & incensæ sunt.

XXIV. Igitur quamplurimi ex fidelibus suppliciiis occubuerunt; præ reliquis S. Fabianus R. Pontifex, S. Venantius, SS. Abdon, & Sennen, SS. Victoria, & Anatolia, S. Felicianus, aliique plurimi, quemadmodum videre est apud Eusebium, aliosque veteres (20).

XXV. Anno 252. Decio Gallus sufficitur, quo imperante, licet sub initium extingui aliquantulum visa est persecutio, paucos tamen post menses crudelior quam antea revixit, quod ex S. Cypriano notum est. Inter cæteros martyrium consecuti sunt duo R. Pontifices SS. Cornelius, & Lucius, S. Hypolitus, aliique, uti ex iisdem SS. Cypriani, & Dionysii Epistolis colligere datur. Gallo, qui an. 252. Volusianum, & Gallum Hostilianum Imperii participes fecerat, quique eodem anno perierant, an. 253. Æmilianus successit, Æmiliano eodem anno Valerianus, & Gallienus suffecti sunt.

### §. XI. Persecutio Valeriana.

XXVI. Valerianus an. 253. Imperator renuntiatus ad annum usque 257. Christianorum amator potius, ac fautor fuit: dein vero Macriani, qui a S. Dionysio Alex. (21) Magorum Archisynagogus dicitur, artibus,

H 3

atque

(20) Hanc persecutionem severissimam fuisse, & generalem sat indicant Eusebius Lib. VI. cap. 39. 41. 42. Cyprianus Epist. X. al. XIV. Lactantius de Mortibus Persecut. cap. 4. &c. Adhuc Eusebius post recensitos Martyres Italos, Asianos, Ægyptios, Antiochenos, qui hoc actu persecutionis absumti sunt, alios referens Martyres a Dionysii Alexandrini testimonio his ejus verbis utitur: Sed & alii quamplures per oppida, & vicos a gentibus discerpti sunt. Tum Lactantius Decium a Patribus execrabile Animal adpellatum indicat. Exstitit inquit, execrabile Animal Decius, qui vexaret Ecclesiam. Quis enim justitiam, nisi malus persequatur?

(21) Dionysius Alex. apud Eusebium Lib. VII. cap. 10.

atque dolis contra Christianos quidem edicta sanxit, & contra Episcopos præsertim; licet temporis processu universam Christianam plebem invaserit persecutio, quin & mulieres ipsas, & infantes, uti innunt S. Cypriani Epistolæ, ac præcipue Epist. 76. al. 77. (22) In eadem hac persecutione martyrii laurea donatum fuit egregium R. Pontificum par, scilicet SS. Stephanus, & Sixtus cum suis Diaconis, & Clericis, ex quibus nefas omnino silentio præterire S. Laurentium, cujus laudes veteres Patres celebrarunt. Per tres annos, & menses 6. debacchata est hæc persecutio; qua de re Dionysius Alexandr. Apocalypsis prophetiam Valeriano assignat. *Apoc. XIII. 5. 6. Data est ei potestas facere menses quadraginta duos, & aperuit os suum in blasphemias in Deum . . . . . & datum est illi bellum facere cum Sanctis suis.* Interim ann. 260. Valerianus Macriani ipsius fraude, qui contra Christianos illum obarmaverat, in potestatem Saporis Persarum Regis incidit, qui postquam Romanum Imperatorem in Urbem regiam vincitum adduxerat, adeo male, & contumeliose excepit, ut Valerianum universis populis exemplum fecerit. Hinc idem S. Dionysius illi Apocalypsis verba tribuit: *Apoc. XIII. 10. Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem evadet, qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic est patientia, & fides Sanctorum.*

XXVII. Valerianum, & Gallienum ejus filium Claudius in Imperio suscepit an. 268. Claudium Quintilius an. 270. ac demum eodem

---

(22) Cyprianus Epist. 76. al. 77. Martyrii beatum gregem, & sexus, & ætas omnis ornavit. *Epist. 90. al. 82.* Persecutioni quotidie Præfetti in Urbe institerunt.

dem anno Aurelianus, quem etsi prodigiis cæ-  
lum deterruisset, ne contra Chsistianos leges  
proponeret, eos tamen ipse proscripsit. Hie-  
ronymus in Chronico: *Aurelianus quum ad-  
versus nos persecutionem movisset, fulmen jux-  
ta eum, comitesque ejus ruit.* Eadem habet  
Eusebius *Lib. VII. cap. 30.*

XXVIII. Ex Lactantio *Lib. de mort. Perf.*  
*Cap. VI. Aurelianus iram Dei crudelibus factis  
laceffivit. Verum illi ne perficere quidem, que  
cogitaverat, licuit, quippe protinus inter ini-  
tia sui furoris exstinctus est. Nondum ad pro-  
vincias ulteriores ejus Edicta pervenerant, &  
jam Cænofrurio, qui locus est Thraciæ, cruen-  
tus humi jacebat &c.* Jam vero licet brevis  
hæc fuerit persecutio, quum tamen post Im-  
peratoris interitum sex circiter mensium in-  
terregnum fuerit, hinc Provinciarum Præfe-  
cti, qui Chsistianos averfabantur, non desti-  
terunt in eisdem sævire. Videtis Baronium  
*ad ann. 275. num. 1. & seq. Tillem. Pagium  
&c.* Atqui paucis post mensibus a militibus  
trucidatus mortem oppetiit; quamobrem ejus  
persecutio inter decem illas, quas ab Ethni-  
cis Imperatoribus experta est Ecclesia, mini-  
me adcenfetur. Persecutione hujusmodi æ-  
fluante martyrii palma coronati sunt S. Felix  
Papa, SS. Agapitus Prænестinus, Eutropius,  
Bonolus, & Zosima Porthuenses, aliique haud  
pauci. In hujus ipsius persecutionis pertina-  
cia *Librum suum de Exhortat. ad Martyrium*  
conscripsit S. Cyprianus.

XXIX. Aureliano an. 275. Tacitus succes-  
sit, Tacitum an. 276. in Occidente Floria-  
nus, in Oriente Probus excepere, his eodem  
anno Probus, Probo an. 282. Carus, ac demum  
Caro ann. 284. Diocletianus, successus est.

§. XII. *Persecutio Diocletiana.*

XXX. Ab anno 284. quo Diocletianus Imperator fuit salutatus, initium ducit Æra, quæ *Martyrum* dicitur, quem maxima fidelium copia fuerit, qui martyrium, ipso suisque Collegis in longum tempus regnantibus, subiere (23). Sane constat ante an. 303. Diocletianum per omnes imperii provincias nunquam persecutionem instituisse. At certum magis est, multum in Christianos antehac quamfævissime ubique debacchatum esse. Et quidem an. 285. ab Oriente decedentem Præfectis, & Magistratibus provinciarum summam fecisse potestatem Christianos judicandi, ac juxta leges, & Decessorum edicta damnandi sat constat. Idipsam egit ubi Romam pervenit (24).

## XXXI.

(23) *Sub finem sæculi III. quando scilicet Diocletianus Imperator salutatus est, quantum, quamque longe, latque Christiana Religio propagata fuerit, ac ubique florescit describit Eusebius Lib. VIII. cap. 1, Singulis, inquit, Ecclesiarum Antistitibus summum honorem, cultum, ac benevolentiam ab omnibus tam privatis, quam provinciarum rectoribus deferri vidisses. Jam vero quis innumerabilem hominum quotidie ad fidem Christi confugientium turbam, quis numerum Ecclesiarum in singulis urbibus, quis illustres populorum concursus in ædibus sacris cumulate posset describere? Quo factum est, ut prisca ædificiis jam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis exstruerent Ecclesias.*

*Quid, quod ipse Maximinus Tyrannus nominis Christiani hostis insensissimus idem confirmat? Quam enim Episcopi ad Sabinum apud Eusebium Lib. XIV. cap. 9. persecutionis a Diocletiano, & Maximiano excitata novum ignem admoventi sancias, Christiana Religioni summopere venerificatur. Scribit enim. Gravitati tuæ, & cunctis mortalibus notum esse arbitror, qualiter Domini, ac parentes nostri Diocletianus, & Maximianus, quum cunctos fere homines, relicto Deorum immortalium cultu, ad Christianam sectam se adplicuisse cernerent &c.*

(24) *Ad annum 285. omnino referenda est Passio SS. Martyrum Claudii, Asterii, & aliorum, quorum Acta referre*

XXXI. Verum magis magisque exarsit Persecutio, postquam Diocletianus Imperii collegam renuntiavit Maximianum Herculeum male moratum hominem, barbarum, & Christianæ religionis infensissimum hostem, cujus jussu præsertim in Galliis maximopere recruduit persecutio (25).

H 5

XXXII.

refert Cl. Theodoricus Ruinartius: Acta Martyr. Selecta pag. 167. Edit. Paris. Acta illa in hunc modum se habent. *Lysias Præses provinciæ Lyciæ in civitate Ægea pro tribunali dixit: Offerantur decretioni meæ Christiani, qui traditi sunt curialibus hujus civitatis ab officio. Commentariensis Euthalius dixit: Secundum præceptum tuum, Domine, quos potuerunt Christianos comprehendere curiales istius Civitatis, offerunt.*

*Tum circa eadem tempora dubitandum haud est passus fuisse Tarsi S. Bonifacium, in Mauritania S. Marcellum, & S. Callianum Martyres Tingitanos, in Numidia S. Maximilianum, aliosque quamplures, quorum Acta refert Ruinartius ibidem.*

*Romæ quoque sub Diocletiano ad eadem tempora plures fideles martyrium subisse demonstrat Tillemontius: Histoire Eccles. Tom. V. Art. 3. & sequent. Profecto anno 286. Romæ passus est S. Genesius ex mimo Martyr, SS. Saturninus, & Sisinnius, S. Susanna, S. Cajus Rom. Pontifex, S. Sebastianus, aliique. Confer Tillemontium loco indicato.*

*Igitur licet primis Diocletiani temporibus Ecclesia nullis Edictis agitata fuerit, nec tum Christiani, maxime in its locis, quæ sub Diocletiani cura erant, inquisiti fuerint; attamen Martyria plura fuerunt. Profecto, uti observat doctiss. Tillemontius ibidem, antiquæ adversus Christianos ab Imperatoribus lata leges quum nunquam diserte abrogatæ inveniantur, Provinciarum Præsfecti earundem vi sibi fas, jusque esse crediderunt pro lubito in Christianos serere.*

(25) *Ejusmodi Maximiani Herculei persecutionem indicant acta Sancti Firmini Ambianensis Episcopi, Sancti Justini, seu Justii adolescentis Antisiodorensis, qui in agro Bellovacensi passus est, Sancti etiam Donatiani, & Rogatiani Namnetensium, Macræ Virginis Remensis, Capralii, & Fidis Virginis Avennensium &c. Quin & in vnonnullis ejusmodi actis diserte exprimitur Maximianum tunc in Galliis versatum fuisse. Sic incipiunt Acta Sancti Fusciani, Victorici, & Gentiani. Eodem tempore, quo Maximianus truculentissimus Augustus per arva Galliæ præsidebat &c. Crispinus, & Crispinianus Martyres Sueslionenses ab ipsomet Maximiano interrogati memorantur. Acta Sancti Piatonis in Codice vetustissimo S. Theodorici prope Remos; Diocletianus . . . ad consortium*

im.



XXXII. Interea temporis quum Imperii provincias ubique barbari invaderent, e re duxerunt Imperatores duos sibi Cæsares constituere, quibus summam conferrent potestatem, auctoritate tamen sua inferiorem. Ergo in quatuor partes divisum Imperium est, sua cuique tum Imperatoribus, tum Cæsaribus portione præscripta.

XXXIII. Qui Cæsares creati sunt fuere Constantius Chlorus, & Galerius Maximianus. Ille facilis ingenii vir, neque Christianorum inimicus; hic natura ferox, superbus, ambitiosus, & incredibili in Christianos odio adscensus. Atqui hæc divisio Religioni profuisse videtur: quandoquidem in Galliis, Hispaniis, & Britannia, quas Chlorus moderabatur, pene conquievit omnino; in reliquis vero Imperii provinciis vel destitit, vel multum est imminuta.

XXXIV. At an. 303. generalis persecutio incæpit (26) adeo crudelis, ut Eusebius, qui

imperii vel laboris olim sibi commilitonem Maximianum Cæsarem fecit . . . eodem tempore beatissimus Piaton sancti Martyribus confociatus est Quintino. *Et hinc in actis Sancti Victoris Maximianus Sanctorum sanguinem per totas Gallias fudisse dicitur. Nec dissentiunt veteres Scriptores, qui testantur Maximianum ferentem sapiens in Gallias adventasse, ibique multum temporis, potissimum in Belgica; ubi frequentiora martyria fuisse, transisse.*

(26) *Clarissimus Pagius censet persecutionis initium assignari posse vel anno 293. quo Diocletianus Decennalia imperii sui celebraturus se ut Deum adorari, & gemmas vestibus calcamentisque suis inseri iussit, vel ad annum 297. quo Diocletianus quum immolaret pecudes, ut in eorum jecoribus ventura quæreret, suæ ætis signo crucis, quo se quidam Christiani adstantes munierant, demonibus, sacra perturbata sunt. Quare Imperator non solum eos, qui in palatio erant, sacrificare iussit, sed etiam datis ad præpositos litteris milites cæci ad nefanda sacrificia præcepit, & venientes militia solvi. Verum hæc nonnisi lætissima præludia fuere immaniſſimæ persecutionis.*

qui tunc temporis dies agebat, fateatur Deum O. M. inferorum Virtutibus e tenebrosis carceribus erumpendi, & Terræ Principibus in Christianæ Religionis sectatores quamfævissime furendi dedisse jus, arbitriumque. Tria hoc anno edicta sancita sunt. Primum imperabat, ut Templorum omnium fieret demolitio, & Sacri Libri Præfectis traderentur: tum ut Christiani muneribus, atque honoribus omne genus exspoliarentur; atque ipsis & quod ad judicia agitanda, & quod ad exceptiones proferendas, nisi religionem prius detestarentur, omnino interdictum esset. Alterum paulo post evulgatum Episcopos, Presbyteros, ceterosque Ecclesiæ ministros divexandos edicebat. Tertium tandem reliquos omnes cujuscumque loci, conditionis, ætatis, ac sexus fideles complectebatur, in quos atrocissima supplicia, atque extrema omnia præscribebantur, si in sua fide constantes invenirentur (27).

H 6

XXXV.

*secution's, que edictis promulgatis per universum orbem Romanum an. 303. grassata per decem continuos annos plebem Dei, ut loquitur Sulpicius Severus, depopulata est: qui postea de ejus acerbitate hæc subdit: Nullis unquam magis bellis mundus exhaustus est; neque majore unquam triumpho vicimus, qui cum decem annorum stragibus evinci non potuimus.*

(27) *Eusebius Lib. VIII. cap. 2. Nonus decimus agebat annus imperii Diocletiani . . . . . proposita sunt ubique imperialia edicta, quibus Eccl. fixæ ad solum usque dirui, sacri vero codices flammis absumi jubebantur; utque honorati quidem infamia notarentur, plebei vero libertate spoliarentur, si in Christianæ fidei proposito persistissent . . . . . sed non multo post alia rursus litteræ super venerunt, quibus mandabatur, ut omnes ubicumque Ecclesiarum Antistites, primum quidem conjicerentur in vincula, deinde vero diis sacrificare omnibus modis cogerebantur, . . . . . verum ubi apertius se ad bellum accinxit, dici non potest, quot & quantos Christi Martyres in omnibus locis atque urbibus passim cernere licuerit. Hæc Edicta evulgata sunt anno 305. in Terminalibus; terminum enim*

ims-

XXXV. Conſtitutiones hujusmodi ab Diocletiano Galerii Maximiani ſuaſu latae (28) ſtatim tum ad Maximianum Herculeum, tum ad Conſtantium Chlorum pervenere; quas ille ſumma crudelitate exſecutus eſt, hic vero maxima lenitate; ut eo temporis ſpatio, quo totum imperium huc, atque illuc vertebatur, Galliae tantum quieviſſe potius dici merito poſſint. Si quis vero numerum fidelium, qui exquisitiſſimis tormentis cruciati martyrii coronam conſecuti ſunt, aliqua duntaxat ex parte dignoſcere cupit, adeat Laſtantium (29), & Eu-

---

*imponere Chriſtiana Religioni volebant Diocletianus, & Maximianus; atque adeo adulatoribus prope jam viſi ſunt impoſuiſſe, unde Inſcriptio vetus apud Gruterum pag. 280. DIOCLETIANUS JOVIUS ET MAXIMIAN, HERCULEUS CÆS. AUG. AMPLIFICATO PER ORIENTEM ET OCCIDENTEM IMP. ROM. ET NOMINE CHRISTIANO- RUM DELETO QUI REMP. EVERTEBANT. Et alia in eandem ſententiam; DIOCLETIAN. CÆS. AUG. GALERIO IN ORIENTE ADOPT. SUPERSTITIONE CHRIS- TIANI UBIQUE DELETA ET CULTU DEOR. PROPAGATO,*

(28) *Maximianus Galerius, cujus furori diu Diocletianus repugnaverat, occultis miniſtris palatio ſubjecit incendium, quod quum ipſius opera Chriſtianorum malevolentiae imputatum eſſet, Ediſſa feralia adverſus Chriſtianos erulgata ſunt.*

(29) *Diocletianea perſecutionis immanitatem γκαρπικῶς graphice deſcribit Laſtantiuſ in Lib. de Mort. Perſecutorum, ubi ſeſt enarratam Nicomediſenſem cladem, in qua Diocletianuſ ipſe, excarnificari omnes ſuos protinus præcipit, & ipſe ſedens innocentes igne torrebat. Item judices univerſi, omnes denique, qui erant in palatio Magiſtri, data poteſtate torquebant. Erant certantes quiſ prior aliquid inveniret . . . omniſ ſexuſ & atatiſ homineſ ad exuſtionem rapti. Nec ſinguli, quoniam tanta erat multitudo, ſed gregatim circumdato igni ambiebantur, domeſtici alligatiſ ad collum molaribuſ mergebantur. Nec minus in ceterum populum perſecutio violenter iucubuit, &c. poſt hæc, inquam, ſubdiſ: Tum litteræ ad Maximianum, atque Conſtantium comiteaverant, ut eadem facerent . . . & quidem ſenex Maximianuſ libens paruit per Italiam &c. Deinde cap. 16. ſic exordiuſ. Verxabatur ergo univerſa terra, & præter Galliaſ ab Oriente uſque ad occaſum treſ acerbiffimæ beſtiaſ ſæviebant;*

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,

Ecce

& Eusebium Auctores συγχρόνως, & ωϊτόπτες  
*coævus*, & *oculatos* rerum gestarum testes. Di-  
 xisse heic sufficiat in Ecclesiæ Martyrologiis  
 nullum deesse diem, qui aliquo persecutionis  
 hujus martyre non signetur: eadem enim vi,  
 ac impetu æque in Oriente, ac in Occidente  
 persecutio furebat: quæ tamen remisisse ali-  
 quantulum habenas visa est, ubi an. 305. Ka-  
 lendis Maji Diocletianus, & Maximianus pur-  
 puram, ac diadema deposuerunt; atque Impe-  
 rii regimen susceperunt Constantius Chlorus, &  
 Galerius Maximianus, qui novos Cæsares crea-  
 runt Severum, & Maximinum.

XXXVI. Interea temporis tum ob novam  
 Imperii partitionem, in qua tamen Constantius  
 Chlorus Gallias sortitus est, Hispaniam, &  
 Britannias, tum ob novorum Principum subro-  
 ga-

Ferrea vox, omnes scelerum comprehendere formas,  
 Omnia poenarum percurrere nomina possem,

quæ Judices per Provincias justis atque innocentibus in-  
 tolerant? *Eusebius vero lib. VIII. cap. 4* Dici non po-  
 test quot & quantos Christi martyres in omnibus locis,  
 atque urbibus passim cernere licuit. *Eandem persecutio-  
 nem idem Eusebius Lib. I. de vita Constantini M. cap.  
 73. bello civili comparat. Illi quidem (inquit) Dei cul-  
 torum tam virorum quam mulierum cadibus, tamquam ci-  
 vil: quodam bello, Provincias sibi subiectas polluerunt.  
 Lactantius Lib. V. Instit. cap. 11. probat eisdem tyran-  
 nes belluis esse faviores, qui nihil hominis, nisi linea-  
 menta, & summam figuram gerunt. Nam (inquit) quis  
 Caucasus, quæ India, quæ Hircania immanes tam sangui-  
 narias umquam bestias aluit? ... Illa est vera bestia cujus una-  
 jussione funditur atrox ubique cruor, crudelis ubique lu-  
 cus, ubique pavor, & plurima mortis imago. Nemo hu-  
 jus tantæ belluæ immanitatem potest pro merito descri-  
 bere, quæ uno loco recumbens, tamen per totum orbem  
 dentibus sævit, & non tantum artus hominum dissipat,  
 sed & ossa ipsa comminuit. *De Præsidibus vero provin-  
 ciarum sic proseguitur: Que autem per totum orbem sin-  
 guli gesserint, enarrari impossibile est. Quis enim volumi-  
 num numerus capiet tam infinita, tam varia genera cru-  
 delitatis? accepta enim potestate pro suis moribus quisque  
 sævit.**

gationem, imminuta, ac pene extincta in Occidente persecutio est, quæ interim magis in Oriente sæviebat, ubi duo diaboli ministri imperabant, nimirum Maximianus, & Maximinus; quæque ad annum usque 313. perduravit. Namque anno 311. mens. Maj. pestilenti diuturnoque morbo Galerius correptus cum æternis suppliciis vitam commutavit; & anno 313. Maximinus a Constantino bello victus, fagatusque in Tarsum Ciliciæ se recepit, ubi quum in morbum suæ libidinis, & crudelitatis dignum incidisset, miserrime periit. Atqui eodem tempore Constantinus, qui jam inde ab anno 306. patri Constantio Chloro successerat, anno 311. quum in Italiam ingenti comparato exercitu descendisset, Maxentium fugavit.

XXXVII. Atque ita tyrannis debellatis, cumque ipsis tota progenie prorsus extincta, pacem aliquando per totum Rom. Imperium Ecclesia adeptæ est. Ubique enim præscripta, atque proposita sunt Edicta, quibus in omnibus provinciis Christi Religionem Constantinus erigebat, atque Ethnicismum, profana etiam sacrificia interdicens, detestabatur.

XXXVIII. Constitutiones hujusmodi Licinii etiam nomine obsignabantur, qui jam ab an. 307. a Galerio Maximiano Augustus fuerat renuntiatus, & quicum fœdus iniverat Constantinus, cujus sororem Constantiam Licinius ipse sibi matrimonio junxerat.

XXXIX. Attamen Licinius Ethnicismum exuere haud potuit, quinimmo ipsi addictus partim naturali sua feritate, partim invidia concitatus ob prosperitates, quibus in Occidente Constantinus fruebatur, primum clam, dein & palam bellum Christianis indixit. Istæc persecutio æque, ac illæ quæ præcesserant, vehemens, ad tres circiter annos perduravit

vit (30). Constantinus enim an. 324. duobus acerrimis, præclarisque certaminibus de impio tyranno plenum egit triumphum; unde Orientis, Occidentisque consecutus ditionem nimis optatam Ecclesiæ pacem restituit; quæ quum per tria pene sæcula, licet sub Ethnicorum Principum nimis duro, gravique jugo gemebunda, immota tamen constitisset, ad maximam a pientissimo Principe tranquillitatem & gloriam evecta est.

XL. Ex his, quæ hæctenus disseruimus, profecto liquet, per illud temporis Ecclesiam haud perennem perpessam fuisse persecutionem. Existiterunt enim Imperatores, qui non modo fideles non exagitarunt, verum & ipsis summo pere sunt suffragati. Verum neque horum Principum ætate ubique per universum imperium Ecclesia compositis rebus quievit. Etenim in quibusdam provinciis Præsidum astutia, in aliis vero Ethnicæ plebis malefuada rabies Christi gentem summam per injuriam exercuit. Re namque vera quamvis Commodus nullas Christianos impetentes leges sancivisset, tamen illos multis in provinciis a gentili-

---

(30) Eusebius Lib. X. cap. 18. De Licinio, ejusque adversus Christianos excitata persecutione hæc habet. Primum Christianos domo sua expellit. . . Post hæc cunctos in urbibus militantes, nisi demonibus sacrificare valent, exauctorari, & honore militiæ spoliari jubet. Sed hæc parva sunt, si cum majoribus, quæ deinde secuta sunt, conferantur. . . Eo furoris processit, ut Episcopos etiam adoriretur. . . Sed quæ apud Amasiam, & reliquas Ponti urbes perpetravit, omnem crudelitatis modum transcendunt. . . Quidam novum quoddam mortis genus pertulerunt, corpore in multas partes membratim conciso. Post hæc igitur Dei cultores fugam iterum inire ceperunt. . . Quæ quum ad hunc modum impiissimo Tyranno succederent, deinceps persecutionem adversus omnes Christianos excitare in animum induxit. Ac procul cubo voti sui compos existisset, nisi Deus Constantianum . . . ad has partes perduxisset.

tilibus fuisse exagitatos testis est Theophilus Antiochenus (31).

XLI. Postremo heic silentio prætereundæ non sunt binæ Persicæ persecutiones, quarum alteram a Rege Sapore sic dicto Longævo anno 340. excitatam per annos 40. perdurasse; alteram vero jussu Regis Isdegerdis ab anno 419. ad annum 450. protractam testes sunt, iidemque σύγχρονοι αἰώνι Socrates, Sozomenus, & Theodoretus.

§. XIII. *Philosophi quoque Christianis bellum indixerunt.*

XLII. Non desuere etiam ea tempestate, qui catholicam veritatem modo sophismatum argutiis, modo argumentorum pondere, modo conscriptis, atque in lucem editis operibus oppugnarent. Hoc autem nemini mirum accidere debet, quum ipsemet humanæ salutis Reparator Herodianorum acutas propositiones, Phariseorum interrogationes, ac Sadducæorum insulas quæstiones suam tum doctrinam, tum morum sanctimoniam adpetentes incredibili animi tranquillitate exceperit, atque rejecerit. Præterea Apostoli omnes, ac præsertim, qui gentibus Evangelium adtulit, scilicet Paulus, nonne plurimos Philosophos oppugnatores experti sunt? nonne asperrimas cum iis concer-

ta-

---

(31) *Theophilus Antiochenus* Lib. ad Autolycum, quem anno I. Imperii Commodi conscripsit, hæc habet: Adhuc hodie non cessant Christianos crudelissime, & imminissime virgis cadere . . . Qui verum Deum venerantur hæcenus sunt persecuti, nec adhuc hodie persequi cessant: imo iis, qui verborum quibusdam illecebris Deum conviciantur, præmia, & honores decernunt: quosdam eorum, qui festinant ad vitam capeffendam, & sanctam vitam agunt, lapidibus cbruere &c. Eadem habet *Eusebius* Lib. V. cap. 21. *Presbitero* sub initium Imperii Commodi *Apollonius Auctor Ecclesiasticus* martyrium passus est.

tationes instituerunt? Tum nonne & martyrum coryphæus Stephanus Scholas Libertinorum, Cyrenensium &c. dedita opera expugnavit? Huc etiam referre licet hæreses omnes, quæ Christi sponsam, rabie, ac furore æstuantes adgressæ, hinc atque hinc dilacerarunt (32). Quod persecutionis genus Salvator noster ne fideles interturbaret, longe ante prædixit, dum eos adloquens ait: *Tradent enim vos in Conciliis* &c. Matth. X.

XLIII. Profecto pleraque opuscula alia aliis temporibus Catholicam religionem impetentia gentilium philosophorum studio, ac labore publicam lucem adspexere. Sane altero Ecclesiæ sæculo ineunte Celsus, quem Origenes inter *Epicuri porcos* numerat, opus adversus Judæos, & Christianos conscripsit, cui titulum adposuit: *Λίγος ἀληθῆς Sermo verus*. Hunc Origenes ipse causa Ecclesiæ suscepta octo libris confutavit, in quorum II. ea potissimum ex causa illum arguit, atque irridet, quod quum se omnia Judaicæ, & Christianæ Religionis dogmata rimatum esse jactitaret, Evan-  
ge-

---

(32) *Apostolis negotium fuit cum Sadducæis doctrinam de Resurrectione ferre nolentibus: Act. Cap. IV. vers. 1. & 2. Cap. VI. vers. 9. Stephanus disputavit cum nonnullis de Synagoga Libertinorum & Cyrenensium &c. sed qui non poterant resistere sapientiæ, & Spiritui, qui in Stephano loquebatur. Paulo in insula Papho sese opposuit Pseudopropheta Judæus Barjesus, qui idem Elymas, & Magus dicitur Actorum XII. Ipse Paulus gravem Athenis cum Epicureis, & Stoicis Philosophis habuit controversiam: ibidem XVII. vers. 18. Præterea adversus Christianam veritatem ævo Apostolico insurrexerunt Antichristi multi ex I. Joan. cap. 2. vers. 18. Pseudoapostoli, operarii subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi: II. ad Corinth. Cap. 11. vers. 13. Deseriores Phigelus, & Hermogenes II. ad Timoth. cap. 1. vers. 15. Demas ibid. cap. 4. vers. 9. Hymenæus, & Alexander I. ad Timoth. cap. 1. vers. 20. Diotrephes III. Joann. vers. 9. Tum Nicolaitæ, & Dositheani, Gorteni, alique. Confer litigium Dissert. de Hæresiarchis Apostolicæ, & Apostolis proxime ætatis.*



geliorum codicem ad manus nondum habuerit (33).

XLIV. Lucianus Celsi familiaris & ipse Christianam doctrinam oppugnavit: in quo tamen non argumentis, aut rationum vi usus est, sed potius *σαρκασμοῖς*, blasphemis, conviciis: præsertim in suo *Protheo*, & *Philopatro* (34) Christum, & Apostolos, necnon sanctissimos ritus, ac veneranda Ecclesiæ *Ἰγµατα dogmata* adgressus, omnium ludibrio exposuit.

XLV. Tertio Ecclesiæ sæculo Theostenes Philosophus Peripateticus dente leonino Catholicam veritatem adpetiit, contra quem tamen Macarius, qui aut sub exitum III. aut sub initium IV. sæculi floruit, stilum acuens quatuor exaravit Libros. Eodem ferme tempore Porphyrius Platonis placitis addictus Opere in XV. Libros diviso, ut auctor est S. Cyrillus *Lib. I. contra Julianum*, in lucem edito, Sacrosanctam Christi doctrinam evertere conatus est. Hujusmodi porro opus plurimum Imperatorum sanctionibus edacis ignis furores subivit; hinc nullæ ejus reliquæ, nec fragmentum ullum nostro, aut Patrum nostrorum ævo superfuerunt. Heic illud *παρέργως obiter*  
ad-

(33) Non omittenda Collatio Origeni habita cum eruditibus quibusdam Judæis, quam Origenes ipse memorat ibid. *Lib. I. inscribitque: Διάλεξιν πρὸς λέγουµένους τῶν Ῥαδαίων σοφῶν*: Colloquium cum eruditibus Judæis.

(34) *Dialogus*, cui titulus *Philopater*, licet vulgus Lucianum adjudicet, reclamant tamen eruditi, qui contendunt illum non esse genuinum Luciani factum, adeoque alium hujus operis auctorem agnoscunt, licet, quoniam ejus auctor sæculo vitam egerit, definire non audeant; quum nonnulli Luciano vetustiore adserant, aliis Antonino imperante, aliis Diocletiano vixisse videtur. Verum vir eruditissimus Gesnerus pluribus, iisdemque clarissimis argumentis ostendit *Philopatrum* adscribendum esse Luciano juniori *Sophista*, ad quem existat *Epistola a Luciano Apostata conscripta*.

adverti volo, quod eruditorum natio, & præfertim Musenius, & Gudlingius jandiu observarunt (35); scilicet non metuendum, ne quid damni Christianæ fidei obveniret, si forte fortuna Porphyrii opus adhuc exstaret; quin potius dolendum nobis maximopere sit, de deperditis operibus Eusebii, Methodii, Apollinaris, aliorumque, qui suis laboribus Porphyrii labores irritos reddere curarunt.

XLVI. Exeunte III. sæculo Catholicorum doctrinam in suis libellis lacerarunt duo Scriptores Bithyni, quorum Lactantius *Lib. V. cap. 21.* meminit, eorumque mores vividis coloribus describit. Quamvis autem accuratissime, quoad ejus fieri potest, utriusque Auctoris imago nobis repræsentetur; tamen prior illorum qui a Lactantio exhibetur, quisnam fuerit, divinare nemo audet. Alter vero, si quid acutum datur cernere, videtur fuisse Hiercoles Bithyniæ Præfectus, ex quo Diocletiana in Christianos persecutio primam originem duxit, ipso Lactantio teste (36). Verum hujusmodi opus, quod auctor in duos Libros partitus est, Eusebium nactum fuit adversarium, & oppugnatorem.

XLVII. Non videtur omittenda disputatio, quam refert Minucius Felix in suo Dialogo inter Cæcilium quendam Ethnicum, & Octavium Christianum. Porro Cæcilius Idolorum, Octavius Christi causam perorabat. Quum autem maxima animorum contentione hinc, atque hinc decertarent, & uterque, ne litem per-

(35) Jo: Laurentius Musenius: Institutiones Hist. Eccles. pag. 107. & Nicolaus Hieronymus Gudlingius. in Gudlingianis XL. pag. 465.

(36) Lactantius Instit. Divin. Lib. V. cap. 2. Alius eandem materiam mordacius scripsit: qui erat tum e numero judicum, & qui auctor in primis faciendæ persecutionis fuit: quo scelerare non contentus etiam scriptis eos, quos adixerat, insecutus est.

perderet, argumenta consarcinaret sua, tandem Cæcilius Octavii rationibus victus arma submittere coactus est. Hunc quoque referes certamen initum ab Jasone Christiano cum Papisco quodam Judæo Alexandrino; quum ambo propriæ religioni studentes illius partes propugnandas suscepissent: quam sane concertationem ab Aristone Pellæo perscriptam temporis edacitate absumtam dolemus (37). His addere est disputationem, quam habuit Iulianus cum Tryphone, unde ortum duxit illius *Dialogus cum Tryphone*. Denique his omnibus ad censendam quoque sunt contentiones & pugnæ, quas idem Christi Martyr cum plerisque gentilibus Philosophis eandem ob rem pugnavit (38), ac præsertim illa, in qua cum Crescente Cynico Philosopho manus summa cum laude conferuit.

XLVIII. Quum bacchantium, atque in Ecclesiam furentium Imperatorum persecutiones figillatim exposuerimus, operæ prætium erit heic paucis describere Juliani Apostatæ studium, & labores, quibus Catholicam fidem labefactare conatus est; qui scilicet non armorum strepitu, aut aperta vi, sed potius fraudibus, & seductione Christianos in transversum agere studuit; quod persecutionis genus, quo pacatius sese ostendebat, eo majorem Ecclesiæ perniciem, & ruinam minabatur.

XLIX. Principio Julianus septem Libros adversus Christianos confecit, quorum omnium vix pauca fragmenta reperies apud S.

Cy-

(37) *Papiscum Alexandrinum Judæum strenue satique judaice contradicentem adversarium convicit Jason auctore Origene contra Celsum Lib. IV. pag. 200.*

(38) *Atque hinc enatum egregium Iuliani Opus, cui titulus: Aristotelicorum quorundam dogmatum everfio, & Quæstiones græcicæ de Deo, & de Resurrectione.*

Cyrillum, qui de industria Julianum solidissimis argumentis profligavit. Mox sancivit, ut Idolorum templa iterum refererentur; quod ut felicius eveniret, ipse primus templa adibat, & sacerdos renuntiatus incredibili alacritate sacrificia operibus mantuum hominum offerre non dubitabat: immo magis Pontificis, quam Imperatoris nomine gloriabatur. Litteras dedit ad plerosque Idolorum Sacerdotes, quibus eos hortabatur, ut se veræ virtutis amatores, & vindices exhiberent. In his epistolis nolens, & invitus Christianorum Sacerdotum sanctimoniam deprædicat; quorum desiderabat suos Pontifices esse imitatores, &, ut ait Gregorius Nanzianzenus, *πλὴθὺς ἰμίας*. Verum de hoc Capite alibi redibit sermo.

L. Præterea callidissimus Imperator art. suæ non oblitus in patrocinium suscepit hæreticos quamplurimos, atque cum primis Arii, & Donati discipulos; eo sane consilio, ut dissensionum, quæ horridas admodum tempestates Constantii ævo excitarunt, seges magis, atque magis multiplicaretur (39). Mox edicto vetuit, ne quis Christianorum aut in publicis Academiis, aut intra domesticos parietas edocere aliquam scientiam auderet (40).

Tum

---

(39) *Sozomenus Lib. V. cap. 5.* Actium ab exilio revocavit, ut domesticis litibus, & contentionibus Ecclesiam oppugnaret. *Augustinus Epist. 166. ad Donatistas.* Succedens Julianus desertor Christi, & inimicus, supplicantiibus vestris Rogatiano, & Pontio, libertatem parti Donati permisit: denique tunc reddidit basilicas hæreticis, quando templa dæmonis: eo modo putans Christianum nomen posse perire de terris, si unitati Ecclesiæ, de qua lapsus fuerat, invideret, & sacrilegas dissensiones liberas esse permetteret. *Tum Novatianos iussit Templum insurrare: Socrates Lib. III. cap. II.* Actium, & Photinum muneribus, & honorificis ornatis Epistolis. *Julianus ipse Epist. 31. Sozomenus Lib. V. cap. 5.*

(40) *Amianus Marcellinus Script. Ethnicius Lib. XXV. cap.*

Tum Ecclesiasticos viros, virgines præcipue, atque monachos multis, quos calliditas ministrabat, modis exercuit. Idcirco ipsos exposiavit omnibus illis privilegiis, quæ a Constantino, ejusque filio Constantio retulerant. Hinc factum, ut frequentes audirentur querimoniarum; ob quas alii in vincula conjecti, alii diverso tormentorum genere cruciati, alii denique ipsa morte multati fuere. Nullum non movit lapidem, quo Christianos, præsertim aulicos, & qui militiæ nomen dederant, modo promissis, modo blanditiis, modo denique minis pelliceret ad *ἀνοσασίαν ἀποστασίαν*. Hoc autem in causa fuit, quamobrem, qui fidei Catholicæ mordicus adhærentes ipsius jussa capessere noluerunt, gladio percussi sint.

LI. Quum vero intelligeret Julianus promissa sua, & comminationes suisque deque a Christianis ferri, ulterius sui furoris effectus produxit. Itaque variis edictis propositis iussit nemini Christianorum licere munus aliquod in provincia obire, multo minus alicui ex Provinciis Imperii præesse: vectigalia non tenuia iis, qui sacrificare nollent, imposuit; Hebræis ædificandi Templi veniam dedit, uti supra ostendimus. Denique omnem facultatem populo, & provinciarum præfectis indulsit, qua Christianos calumniis, conviciis, opprobriis onerarent, variis cruciatibus torquerent, ac demum de medio tollerent. Adhæc eos in provincias mittebat, quos noverat ferociores, omnino humanitatis oblitos, idololatriæ acerrimos

vin-

---

*cap. 4.* Inter quæ, inquit, erat illud inclemens, quod docere vetuit Magistros Rhetoricos, & Grammaticos Christianos, ni transissent ad Numinum cultum. *Et S. Augustinus de Civitate Dei Lib. XVIII. cap. 52.* An ipse Julianus non est Ecclesiam persecutus, qui Christianos liberales litteras docere, ac discere vetuit? *Verba ipsa Juliani Edicti habentur inter ejus Epistolas in Petavii editione Epist. XLII.*

vindices, ac propugnatores, & Catholicæ fidei hostes infensissimos. Hinc qui jus omne, atque fas cum Christianis invertabant, præmio afficiebat; qui vero justitiæ jus suum cuique tribuentis leges sectabantur, pœna multabat. Hinc demum verba illa, quibus Christianos oppressos ad ipsum confugientes excipiebat; scilicet legem Christi eos adigere, ut omne malum libentissime ferrent; vel potius nihil mali esse decem Christianos ab uno Gentilium interfici. Nil mirum igitur, si tot Christianos martyrii palmam Juliano imperante consecutos recensêat, & veneretur Ecclesia (41). Potius demirari par est miram divinæ Providentiæ οἰκονομίαν œconomiam, quæ Juliani furoribus in tempore modum posuit. Etenim quum adversus Perfas dimicaret, quibus victis, omnes Imperii Romani Christianos hostiam idolis mactare statuerat, ab invivibili dextera percussus in jecore, vitam cum morte commutavit, quum annum ageret XXXII. atque Imperii clavo per XXI. mensium intervallum adsedisset.

---

 CA-
 

---

(41) *Prosper in Chronico*: Juliano ad Idolorum cultum converso, blanda persecutio fuit, magis illicitens, quam impellens ad sacrificandum. Attamen ipsomet connivente, ut verbis utar *Rufini Lib. II. cap. 28.* veluti relaxatis Irenis esserbuit in omnem savitiam feritas paganorum. Unde sub *Juliano Romæ, Alexandria, Antiochiæ, Cæsarea, Jerosolymis, Colonia &c.* Martyres quam plurimi fuerunt, de quibus confer *Baronium, & Tillemontium.*

## C A P U T X.

De variis Nominibus, quibus Christiani  
antiquitus donati sunt.

§. I. De splendidis quibusdam Nominibus, quibus  
olim sese vocare Christiani consueverunt.

I. **Q**ui primum Christianam fidem sunt  
amplexati, antequam Christiani (1)  
adpellari cœpissent, quod nomen An-  
tiochiæ primum sortiti sunt: *Actor. XI. 26.*  
plerumque *Discipuli, Fideles, Electi, Sancti*  
dicebantur; passim in *Actis Apost. & in Epist.*  
*S. Pauli.*

II. Tum quoque i. dicti sunt *Conserui* :  
*Apocal. VI. v. 11. & Lactant. Inst. Divin.*  
*Lib. V. cap. 16.* Quo tamen nomine plerun-  
que Episcopis, aliisque Clericis eos indigita-  
re mos fuit, qui eodem ac ipsi in Ecclesia  
ministerioungebantur. *Ad Coloss. I. & IV.*

2. *Jessæ* auctore Epiphanio *Heres. XXXIX.*  
*n. 4.* vel a Jesse parente Davidis, vel a Jesu  
Christi adpellatione, quod ejus discipuli fo-  
rent.

3. *Therapeutæ* ex Eusebio *Lib. II. cap. 17.*  
*vel quod tanquam medici quidam animos eo-  
rum, qui ad ipsos accedebant, vitiosis adfecti-  
bus liberatos curarent, vel quod ipsi divinum  
numen caste ac sincere colerent.* Gravis quidem  
inter eruditos adhuc viget controversia, *The-  
rapeuthæ*, quorum ex Philone meminit Euse-  
bius, Christiani ne fuerint *Ægypti* regiones  
in-

---

(1) Licet *Fideles* ab Christo Christiani nuncupati sint; quum tamen Christi nomen ab *Chrismate* ortum ducat suum, hinc veteres nonnulli mystica quadam notione vocabulum illud accipientes, tradiderunt Christianos sic dictos a *Chrismate*, quo in baptismo inunguntur.

Incolentes, an vero Judæi peculiare quoddam vitæ institutum servantes. Instituti nostri ratio non fuit heic vel paululum in istac discutienda quæstione immorari; qua de re videri possunt Scaliger, & Vossius in indicatum Eusebii locum, & novissimus Origenum *Christ. Collector* Thomas Mamachus *Lib. I. cap. 1. §. 5.* Nos etiam de hoc capite aliqua dabimus, ubi de Monachis agendum nobis erit.

4. *Pisciculi*, & quidem, ut scribit Tertullianus de Baptismo *Cap. 1. quia secundum Ἰησοῦν nostrum Jesum Christum in aqua nascimur: nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus* (2).

5. *Gnostici*: hujus nominis rationem dat Clemens Alexandrinus *Strom. I. pag. 345. Edit. Oxon. 1715.* scribens: *Si Dominus est Veritas, & Sapientia, & Virtus Dei, sicut est, patet, quod revera is est Gnosticus, qui eum cognovit, & per eum Patrem.* Et sane Προσικός hominem scientia, & ratione præditum, qui nunc Βαββαρικότης *Spiritualis* dicitur, designat.

6. *Ecclesiastici*: at vero non eo sensu quo Clerici, sed ea duntaxat notione, tanquam qui homines essent de Ecclesia, & discriminarentur a Judæis, Gentilibus, & Hæreticis. Eusebius *Lib. IV. cap. 7. & Lib. V. cap. 27.* Cyrillus Jeros. *Cathech. XV. n. 4.*

7. *Theophori, Christophori, & Christi.* Theophori titulum plerumque sibi tribuit Ignatius; nanque omnes ejus Epistolæ sic incipiunt: Ἰγνατίως ὁ καὶ Θεοφίως: Ignatius, qui & Theophorus. Tum in antiquis Martyrii ejus

Tom. I.

I

Actis

(2) *Littera initiales gratiarum Servatoris nostri nominum: Ἰησοῦς Χριστός Θεὸς Τίος Σωτήρ. Ἰησοῦς, quod piscem significat, efficiunt: ad quod videtur adusse Tertullianus.*



Actus ejusdem adpellationis ratio traditur. Trajano enim interroganti: *An tu eum, qui crucifixus est, in corde tuo gestas?* respondit strenuissimus Martyr: *Ita est, scriptum est enim, habitabo in eis, & inhabitabo* (3). Acta Ignatii apud Grabium *Spicil. Tom. II. pag. 10.* Eruditus Pearsonius ex diversis antiquorum Patrum auctoritatibus demonstrat, Teophori titulum non peculiarem Ignatii fuisse, sed reliquis omnibus Christianis communem: *Vind. Ignat. Part. II. cap. 12.* Ac præcipue Clem. Alex. Strom. VII. pag. 748. *Divinus, docet, ergo est Gnosticus, & jam sanctus, qui Θεοφορῶν, καὶ Θεοφορέμενος Deum fert, & a Deo adflatur.*

8. Eadem prorsus ratione apud Eusebium Martyres *Christophori* nuncupantur; *Lib. VIII. cap. 10.* scilicet, quod templa Christi essent, & a S. ejus Spiritu agerentur.

9. Quod vero Christiani Spiritu S. uncti sint, eos Christos adpellat Hier. in *Ps. CIV.* & Ambrosius *de Obitu Valent.* Uti quoque nonnunquam dicuntur *πνευματόφοροι Spiritiferi*, quod ejusdem S. Spiritus donis aucti sint, & adflatu agantur. Unde Irenæus *Lib. V. Hæres. cap. 5. Sanctis enim hominibus, & πνευματόφοροι Spiritiferis paratus est Paradisus.* Eadem habes apud Hieron. *Basilium*, aliosque.

10. Demum ob simplicitatem, vitæ innocentiam, pacis, castitatisque amorem, ac mitis, demissiveque animi significationem apud nonnullos antiquos Patres, & in veteribus qui-

---

(3) Mera posterioris ævi Græcorum εὐρηματικὰ Commenta sunt: nimirum Ignatium Theophorum seipsum nominasse, vel quod ipse puerulus ille fuerit, cui medicus inter discipulos collocato Servator noster manus imposuerit, vel quod JESUS CHRISTUS aureis litteris cor di suo inscriptum gestaverit. Videbis Pearsonium ibid.

quibusdam Ecclesiæ monumentis dicti aliquando occurrunt *Parvuli, Adolescentuli, Agni, Vituli lactentes, Infantes, Columbae, vel Pulilli columbarum, Veri Israelitæ, Filii Dei, vel Filii Altissimi, Semen Abrahæ &c.* Verum non vacat nobis in hisce mysticis Christianorum potius characteribus, quam nominibus explicandis diutius immorari. Cuicui enim Sacras Litteras vel leviter attingenti eorundem rationes perspicue patebunt.

III. Hactenus explicata nomina satis produnt veteres Fideles ab humanis adpellationibus maximopere abhorruisse. *Non ab hominibus adpellamur*, scribit Chrysof. Hom. XXIII., *non est nobis antesignanus aliquis, uti quidem aliis Marcion, aliis vero Manichæus, aliis Arius, aliis alius sectæ Dux exstitit.* & Nazianz. Orat. XXXI. *Petrum honore prosequor, nec tamen Petrianus vocor: & Paulum, nec tamen Paulianus nominatus sum. Non fero me ab hominibus nomen ducere, quia a Deo sum creatus.* Eadem habet Epiph. *Hæres. XLII.* Hinc Valentinianis, Marcionitis, Arianis, Donatistis, aliisque hæreticis exprobrarunt antiqui Patres, quod Christianorum nomine repudiato, Ducum suorum nomine se adpellarent: auream hac de re Basilii sententiam inferne invenies (4). At contra Christifideles *Christiani* nomen constanter servabant, ac de eo summo opere gloriabantur. Ex Eusebio *Lib. V. cap. I.*

I 2

Dia-

(4) *Basilii Comm. in Ps. XLVIII.* Quod si nonnullos videris ob falsi nominis scientiam sibi maximopere placere, seseque consentu nefario dedere improbatibus dogmatibus, & pro Christianorum nomine ab uno aliquo eorum, qui hæresiarchæ fuerunt, nomenclaturam adsciscere, puta ab Marcione, aut Valentino, aut uno aliquo eorum, qui hac tempestate ex ignotis prius emerferunt tandem, velim noveris hos nomina sua vocasse in terris, ut qui se addixerint hominibus pestilenti corruptelæ expositis, nihil que sapientibus, quam terrena hæc.

Diaconus quidam Ecclesiæ Viennensis in Persecutione Antonini a Magistratibus interrogatus de nomine, civitate, conditione &c. ad omnes quæstiones respondebat: *Christianus sum; neque aliam vocem ab eo gentiles, quidquid moliebantur, extorquere valuerunt.*

§. II. De Cognomine Catholici, aliisque  
*αδιαφόροις Christianorum Nominibus.*

IV. Quum hæretici, quamvis sectæ suæ nomen gererent, communi tamen Christianorum nomine sese interdum occultarent; hinc Fideles nomini *Christiani* illud *Catholici* addiderunt, quod cognominis instar esset, quo ab omnibus hæreticis internoscerentur. Pacianus in Epist. ad Sembronianum hæreticum Novatianum sic scribit: *Christianus mihi nomen est, Catholicus cognomen; illud me nuncupat, istud ostendit.*

V. Cur *Catholici* cognomen veteres Christiani adsciverint, observante Optato Millev. *Lib. II. pag. 46.* illud in causa fuit, quod Christi Ecclesia sit ubique diffusa. Hæc omnino notandum *Catholici* cognomen ejusdem cum ipsa Ecclesia antiquitatis esse: occurrit enim apud Ignatium, Clementem Alexandr.; Eusebium (5), aliosque.

VI. In Gentilium Scriptis Judæorum nomen sæpius Christianis tributum invenitur, eo quod Gentiles Christianos a Judæis non distin-

(5) S. Ignatius Epist. ad Smyrn. num. 8. Ubi fuerit Christus Jesus, ibi *Catholica* est Ecclesia. Clemens Alex. Strom. Lib. VII. Dicimus antiquam, & *Catholicam* Ecclesiam. Eusebius Lib. IV. cap. 15. Sanctæ, & *Catholicæ* Ecclesiæ populis misericordia, pax &c. Tum Paonius interrogatus a Judice Polemone cujus esset Ecclesiæ; respondit: *Catholicæ*. Nulla enim est alia apud Christum. Paonius ad ann. CCLIV. n. 9.

stinxerint. Hinc nomine Judæorum, quos Claudium Roma expulisse scribit Suetonius in *Claud. cap. 26.* Christianos quoque fuisse comprehensos omnes concorditer eruditi statuunt. Jam vero Christiani licet ob hæreticos, qui legem Mosis cum doctrina Evangelii commiscebant, ab eo nomine se abstinere studuerint; at illud non omnino respuebant, ea tamen notione acceptum, quo Dei populus a Synagoga Satanæ distinguitur: *Apoc. II. v. 9.*

VII. Postremo quum Christus aliquando a gentilibus per errorem dictus fuerit Chrestus, hinc Christiani etiam *Chrestiani* non raro nuncupati sunt (6). Id observarunt Justinus M. *Apol. II.* Lactant. *Lib. IV. cap. 7.* alique; qui & subjungere de hac re litigare opus non esse, quum utrumque nomen bonæ esset significationis. Ad rem Tertull. *Apolog. Cap. 3.* *Christianus quantum interpretatio est, de Unctione deducitur. Sed & quum perperam Christianus pronuntiatur a vobis (nam nec nominis certa est notitia penes vos) de suavitate, vel benignitate compositum est.*

§. III. De Probrosis Nominibus, quæ olim Ecclesiæ hostes Christianis imposuere.

VIII. Sunt & aliæ adpellationes, quibus ab suis hostibus sive Judæis, sive Gentilibus Christiani contumeliose donati sunt. Ac i. dicti sunt *Nazareni*, & *Secta Nazarenorum*: *Act. XXV. 5.* Fuere quidem hæretici sic dicti, & Judæis, Epiphanio teste *Hæres. XXIX. n. 9.* invisi, propterea quod cum ritibus

(6) Quo tempore Χριστός dicitur esse Χρησός, fortasse jam usus invaluerat apud Græcos, ut τὸ ἦτος pronuntiarent ut Ἰ'σ'ωτ.

Mosaicis Christianam religionem commisce-  
rent: hinc ter per singulos dies ab Judæis in  
Synagoga congregatis anathemate fuisse per-  
cussos, & quidem amarissima execrationis  
formula: *Nazaræos Deus execretur*, tradit *ibid.*  
Epiphanius. Atqui Christiani etiam univer-  
sim Nazareni, sive Nazaræi a Judæis nun-  
cupabantur: Hieron. *de Locis Hebr.* & Epiph.  
*ibid.* Qua de re Hieronymus ipse *Comm. in*  
*Esai.* XLIX. Christianis quoque illo anathe-  
mate Judæos fuisse imprecatos tradit. Eandem  
adpellationem Christianis Gentiles etiam im-  
posuisse scribit Prudentius *Carm. V.* de S. Vin-  
centio, & *Hymn. X.* de S. Romano M.

2. *Galilæi*: Nomen Galilæi Juliano Aposta-  
tæ adeo familiare erat, quum de Christo, &  
Christianis loqueretur, ut legem tulerit, ne  
quis alio eos nomine indigaret: sic enim no-  
men Christiani abolitum iri existimabat: hoc  
testantur Socrates *Lib. III. cap. 12.* Theodo-  
ret. *Lib. III. cap. 4.* Chrysoſtom. *Hom. XLIII.*

3. *Athei* quoque dicti sunt, & Christiana  
Religio *Atheismus*, quod Gentilium falsa nu-  
mina contemneret. Hinc Dio narrat Acilium  
Glabrionem ad necem datum *Ἀθεῶντος Atheis-  
mi* causa, Christianam Religionem intelli-  
gens: Dio *in Domit.* Porro Atheismi Fide-  
libus illata calumnia adeo apud Gentiles per-  
vulgata erat, ut iisdem Christianæ Religionis  
desertoribus eam abjurare jufferint his verbis:  
*Ἄψε τῶς ἀθῆος, Tolle Atheos.*

4. *Impostores* quoque quam sæpiſſime Chri-  
stianos adpellare consueverunt Gentiles: id  
notavit Hier. Ep. 10. ad Furiam: *Ubicunque*,  
scribit, *viderint Christianum, statim illud de*  
*trivio: ὁ ὑπανὸς ὁ ἐπιδήμις: en Græcum, Im-*  
*postorem.* Eodem nomine Ulpianus fideles pro-  
scribit: *Dig. Lib. I. Tit. XIII. cap. I.*

5. *Sophistæ* etiam nonnunquam dicti sunt,  
ejus-

ejusmodi adpellatione in malam partem accepta; scilicet, ut illum significet, qui ut alium decipiat, fraude aliquid comminiscitur. Prudentius *Carm. X. de S. Romano M.* Atqui ipsemet Servator noster a Luciano sacrilega lingua *Crucifixus Sophista* dicebatur; *De Mort. Peregr. pag. 337.*

6. *Magi*: Quum enim sicuti Servator noster, ita ejus discipuli plura ederent miracula, quæ Gentiles magicæ arti adscribebant; hinc factum est, ut Christianos ceu *Magos* infamarent, & Christianam Religionem *Novam Superstitionem* dicerent. Qua de re Suetonius in *Nerone Cap. 16.* Christianos vocat *Genus hominum superstitionis maleficæ*: & Plinius *Lib. X. Ep. 97.* de Christiana Religione scribit: *Nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam, & immodicam.* Judæis potissimum auctoribus fidelibus impacta magicæ artis, & superstitionis maleficæ calumnia: Origenes contra Celsum *Lib. III. n. 1.* Eiusdem criminis nomine a Judæis Christus ipse jam accusatus fuerat: *Matth. XII. Lucæ XI.*

7. Dicti quoque sunt *Sybillistæ*, propterea quod cum Gentilibus disputantes ad Sybillarum carmina, quæ summam apud ipsos obtinebant auctoritatem, nonnunquam provocarent: ita Celsus apud Origenem *Lib. V. pag. 272. (7).*

I 4

8. Quod

---

(7) *Carmina Sybillina tum quæ octo ferme Libris collecta circumferuntur, tum quæ Patrum ætate laudabantur, tum quæ ante Christi adventum in Capitolio adseruata magno apud Ethnicos in pretio erant, cuncta ex æquo fuisse Sybillis falso adscripta demonstrarunt evidentissimis rationibus Viri ætρωτις AELIAS Dupinius, Isaacus Vossius, Petrus Petit &c.*

Quod vero Patres aliquando ex Sybillinis Carminibus *Mysteria Christiana* adversus Gentiles astruxerint, nihil est omnino, cur illos *Impostores* dicas: quum nec ipsæ ea confixerint, & ab Ethnicis vulgata bona fide credide.

8. Quod vero Gentiles Christianos viderent non mortem solummodo spernere, verum & aliquando sponte sua ob spem vitæ immortalis morti sese offerre, hinc eos probrose appellarunt *βιοδανάτους*, id est sui ipsorum interfectores, vel, uti vertit eruditus Suicerus, quasi vivos mortuos, qui per mortem ad immortalitatem se perventuros crederent (8).

9. Istoc intuitu Christianam Religionem Vanitatem, & Barbaram audaciam nuncupavit Porphyrius apud Eusebium *Lib. VI. cap. 19.* & Christiani Arrio Antonino apud Tertull. ad Scapulam *cap. 4.* *Δαλοῖ Stupidi*, & Pagano apud Minucium Octav. *Cap. 8.* *Homines desperatæ, inlicitæ & deploratæ factionis;* tum & apud Lucianum de Mort. Peregr. *Tom. IV. pag. 277.* Edit. vero Basil. *pag. 8.* *Κακοδαίμονες Miseri, & ærumnosi vitam suam profundentes* nuncupantur.

10. Eandem ob causam dicti quoque sunt *Parabolarii*, & *Desperati*. *Parabolarii*, sive *Paraboli*, & *Parabolani* apud Romanos fuere projectæ audaciæ homines, qui ob stipendium in Amphitheatro certarent, unde *Bestiarii*, & *Confectores* dicebantur. Quod vero Christiani id facere mallerent, quam Religioni suæ re-

---

derint. Neque ipsos vanos argutatores dixeris, qui veluti argumento ad hominem, uti Scholastici loqui amant, ex monumentis apud Ethnicos receptis, & in pretio habitis dogmata ab ipsis explosa firmaverint. Namque Sybillina carmina tanto cum emolumento ad Christianam Religionis veritatem ab Gentilibus calamitatis vindicandam producebantur, ut teste Justino Apolog. II. ab Præfæctis Romanis mortis supplicium adversus *Lidrorum Hystaspis*, aut *Sybilla*, aut Prophetarum lectores constitutum fuerit.

(8) Ex Martyrologio Bedæ observat Baronius ad an. 138. n. 5. quod ubi septem Symphorose filii Hadriano Imperatore supplicio adfecti sunt, ipsorum corpora in unam fossam junctim projecta sunt; cujus loci nomen Templorum Pontifices Ad Septem Biothanatos vocaverint: fortassis ad deridendam Christianam de Resurrectione doctrinam. *Videsis Minut. Octav. Cap. 8. pag. 26.*

renuntiare, hinc Parabolanorum nomine, tanquam convicio, illudebantur. Id nominis & ipsi sibi dabant aliquando, uti Acta SS. Abdon, & Sennen efferre videntur apud Suicorum. At vero Desperatorum nomen, ceu calumniam rejiciebant, illud in adversarios suos retorquentes, quippe quibus majori jure conveniret: Lactantius *Instit. Lib. V. cap. 9.*

11. Quod vero Martyres, ubi vivi cremandi erant, ad palum revincirentur, quem Romani *Semixin* vocabant, tenuium lignorum fasciculis, quos *Sarmenta* nuncupabant, hinc ab istoc supplicii genere, Christianos quotvis *Semixos*, & *Sarmentarios* ignominiose adpellabant: Tertull. *Apolog. cap. 50.*

12. *Latebrosa*, & *Lucifuga natio* dicti quoque sunt a Gentilibus Christiani, & quidem ea de caussa, quod ad depellendam, ut scribit Origenes contra Celsum *Lib. I. pag. 5.* capitalem sibi intentatam necem clam, & interdum noctu religiosos suos conventus agerent. Uti quoque quod publicis ab muneribus libenter abstinerent, *Muta in publico natio*, *Inutiles Reip.* & *infructuosi in negotiis* nonnunquam apud Gentiles audiere. Cæcilius apud Minucium *cap. 8. pag. 8.*, & Tertullianus *Apolog. cap. 42.*

13. Demum quod Christiani pauperum, ignobilium, idiotarum, ac rudium opificum gregem repræsentare viderentur; hinc quam sæpissime probrosis ejusmodi nominibus ab Gentilibus indicati occurrunt: nimirum *Obtusi*, *Rudes*, *Idiotæ*, *Insensati*, *Indocti*, *Impolitii*, *Inepti*, *Agrestes*, *Cerdones* (9), *Plautine*

---

(9) *Cerdones* dicti quod τὰ κέρδος ab lucro, propterea quod, tanquam pauperes lucri caussa opus exercerent. Adi sis Io; Lamium de Erud. Apoll. Cap. 3.



*profapie* (10), *Pistores* aliisque id genus: partim apud Tertull. in Apolog. Cæcilium apud Minucium, Lucianum, de Mort. Peregr. &c. Videtis Rigaltium in *Minucium Fel. Octav. cap. 14. pag. 42.*

14. Postremo, quod Christiani falsis Gentilium Diis cultum adhibere detrectarent, hinc *Impii, Sacrilegi, Profani, Extranei, & Rei læsæ Divinitatis, & Religionis* nonnunquam apud Gentiles ipsos audierunt. Tertull. *Apolo- log. cap. 10. 24. & 31.* Prudentius de S. Romano M. *Carm. 14. (11).*

## §. IV.

(10) *Plautus, observante Hieron. Chron. An. I. Olymp. CXLV. adeo pauper fuit, ut tempore quodam famis ad melas manuaras se pistori locare coactus sit.*

(11) *Quod fideles noctu suos conventus agerent, ac in iis Christi carnem manducarent, ac sanguinem biberent; id est Sacram Eucharistiam participarent, hinc orta fideles calumniandi occasio, scilicet, quod infantem veniens natum farre confectum, occultis vulneribus occisum, ac in partes disceptum manducarent, ac infanda alia peragerent, quæ modestiæ nomine silere satius ducimus. Videtis Origenem contra Celsum Lib. I. n. 1. & Lib. VI. n. 27. Ovidium par. 9 edit. 1652. Tertull. Apolog. cap. 2. &c. Eadem de causa, scilicet quod antelucanis horis convenirent, tanquam conjurationem suspecti traduci aliquando consuevere. Hanc calumniam in hunc modum dispulit Tertullianus Apolog. cap. 39. Hæc coitio Christianorum merito sane illicita, si illicitis par merito damnanda, si non dissimilis damnandis; si quis de ea queritur eo titulo, quo de factionibus querela est, in cuius perniciem aliquando convenimus? Hoc sumus congregati, quod & dispersi . . . neminem lædentes, neminem contristantes. Quum prohi, quum boni coeunt, quum pii, quum casti congregantur, non est factio dicenda, sed curia. Tanquam dissensionum factionumque Auctores æque ab Judæis ac ab Gentilibus Christiani habiti sunt. Profecto occasione hæreticorum, qui ab Ecclesia Catholica discedentes nomen Christianorum contra jus omne retinebant, ea fidei illata calumnia est, scilicet quod dissensionum, factionumque essent Auctores: verum hanc calumniam plene dissipavit Origenes contra Celsum Lib. III. cap. 12. Tertull. Apol. cap. 38. At audiendus Clemens Alex. Strom. Lib. VII. Primum ergo hæc adversus nos adducunt dicentes non oportere credere propter dissensionem hæresum . . . Quibus respondemus, quod & apud vos Judæos, & apud eos, qui inter Græcos sere*

§. IV. De aliis quibusdam Nominibus speciatim ab Hereticis Christianis Catholicis contumeliose adscriptis.

IX. Ac 1. Novatiani eos adpellarunt *Cornelianos*, eo quod Cornelio R. Pontifici adhærere mallent, quam Novatiano: Eulogius apud Photium *Cod. 280. pag. 1622. Edit. Rothom.* Adhæc & *Apostatas, Capitolinos, Syne-drianos*, eo quod Lapsos, & eos, qui in Capitolio Romano sacrificatum iyerant, sincere resipiscentes in communionem recipiendos in suis Synodis decreverint; Pacianus *Epist. 2. ad Sympronian.*

2. A Nestorianis nuncupati sunt *Cyrelliani* a Cyrillo Ep. Alex. qui adversus ipsos hæreticos pro Dogmate Catholico Orthodoxorum agmen ducebat: *Epist. Legat. Schismat. ad suos in Epheso in Act. Conc. Ephes. Tom. III. pag. 746.* Uti quoque ab Arianis *Athanasiani, Eustathiani, Pauliniani, Omousiani, vel Omou-sionates*, scilicet ab Athanasio Ep. Alex. cujus causam tuebantur, ab Eustathio, & Paulino, ab quorum partibus stabant: Sozomenus *Lib. VI. cap. 21.* & ab vocabulo *εὐθεῖος*, quod adhibebant, ut Filium Dei ejusdem adfere-rent cum Patre substantiæ, sive naturæ. Opus Imperfectum *Hom. XLVIII. apud Chrysost.*

3. Ab Montanistis Cataphryzianis dicti sunt *Ψυχικὸὶ Πνευματικοὶ Carnales*, eo quod Montani Prophetias, ac rigidas ejus sectæ Leges rejicerent: uti ex adverso Montani sectatores *Spi-*

I 6

ri-

---

in existimatione Philosophos, fuere plurimæ hæreses. Neque tamen ideo dubitandum dicitis, an sit philolophandum. Neque tandem desuere, qui Christianos Generis humani hostes, læsæ Majestatis reos, ac Reip. eversores venditarent: At hæc calumnias diffrahimus, ubi de veterum Christianorum moribus sermonem instituemus.

*rituales* nuncupati sunt a Tertulliano, qui & Libros data opera *adversus Psychicos* scripsit. Atqui teste Iræneo *Lib. II. cap. 11.* jam inde ab altero Ecclesiæ sæculo Valentiniani, qui sese Spirituales, & Perfectos dicebant, Catholicos *Seculares*, & *Carnales* adpellitabant.

4. A Chiliaſtis, ſive Millenariis *Allegoriſtæ* dicti ſunt, quod vaticinium de millenario Sanctorum cum Chriſto Regno *Apoc. XX.* allegorice interpretarentur: Eusebius *Lib. VII. cap. 24.*

5. Aetiani Arii ſectatores, quod Catholicorum Religionem brevi finem habituram jactarent, eodem *Chronitas*, ſive Temporarios adpellabant. Quam contumeliam in Arianos torqueri poſſe obſervat Athanaſius, ſive Auctor *Dialog. II. Quosnam vocas Chronitas? Eos qui jam inde a Sanctis Apoſtolis uſque ad hodiernum diem collaudant & Patrem, & Filium, & Spiritum S.; an tuos, qui ab uno, & altero die adparuerunt?*

6. Manichæi, qui ex Auguſtino de Hæref. *cap. 46.* ſibi iſtis glorioſa nomina *Electorum*, *Macariorum*, & *Cathariſtarum* dederant, Catholicos contemptim vocarunt *Simplices*, & eorum Doctores *Simpliciorum Magiſtros*: Manichæus in Diſputatione adverſus Archelaum Ep. Meſopotamiæ *ad calcem Sozom. Edit. Valeſ.*

7. Apollinaris Cætholicos *Anthropolatras* dixere, quod Chriſto animam rationalem, & corpus ejuſdem nobiſcum naturæ tribuerent: Nazian. *Orat. LI.* qui & *ibidem* obſervat potiori jure iſtos *Sarcolatras* adpellari poſſe, quippe qui animam humanam Chriſto denegantes, carnem duntaxat adorare viderentur.

8. Tum quod Carnis reſurrectionem ita tuerentur, ut corpora noſtra ea ipſa, & nihil ſecundum ſubſtantiam mutata in altero ſeculo

resurrectura docerent, ab Origenistis, qui Resurrectionis veritatem negabant, *Simplices*, *Philosarce*, & *Pilustote*, vel potius *Pelustote* dicti sunt: Hier. Ep. 62. ad *Pammach.* & *Comm. in Jerem. cap. 29.*

9. Tandem Catholica Ecclesia a Luciferianis nuncupata est *Lupanar*, *Synagoga Antichristi*, & *Satane*, eo quod Episcopos, qui confessioni Ariminensi Arianorum fraude inducti incaute subscripserant, honores, & officia retinere pateretur: Hier. *Dial. adv. Lucif.*

## C A P U T X I.

De Diversis in Ecclesia Hominum Ordinibus, & de Distinctione Laicos inter, & Clericos.

## §. I. De Diversis in Ecclesia Hominum Ordinibus.

I. **U**Ti in Urbe Roma ab primæva sui institutione duo præcipui erant Civium ordines, nimirum Senatorum, & Popularium; unde in militaribus Insignibus illud veluti Emblemata inscribi consuevit: *S. P. Q. R.* & in quacunque civili politia cives in Ordinem, & Plebem dispescuntur; ita & Ecclesiæ Christianæ corpus divino jure varii hominum Ordines, sive Gradus, constituunt. Quare jam principio observavimus Eusebium tres hominum ordines in Ecclesia recensere; nimirum *Præfectos*, sive *Clericos*, *Fideles*, & *Catechumenos*: Clericos, qui præfunt; Fideles, & Catechumenos, qui subjecti sunt. Atqui Hieronymus quinque ponit Ordines in *Is. cap. 19.* nimirum *Episcopos*, *Presbyteros*, *Diaconos*, *Fideles*, & *Catechumenos*. Verum istoc eodem

recidit: neque enim Eusebius varios in Præfectis, sive Clericis gradus negat, æque ac in Urbe Roma Senatus in varios, diversosque magistratus distinguebatur.

II. Ergo Fidelium nomen in hisce Eusebii, & Hieronymi divisionibus, ut cuique patet, strictè accipitur pro Laicis baptizatis, seu distinctis a Clericis, & a Catechumenis; quo sensu ea vox plerumque accipitur in antiquis Liturgiis, & Conciliorum Canonibus. Unde vetus illa distinctio in Missam Catechumenorum, & Missam Fidelium; & Auctor Constitut. Apost. Lib. VIII. cap. 34. *Fidelis*, inquit, *ne in domo quidem præetur cum Catechumeno.*

III. Catechumeni, quippe qui in Ecclesiæ gremium aliqua ratione adsciti, Ecclesiasticisque regulis subiecti, aliquando etiam Christianorum nomine indicati occurrunt: Conc. Constantinop. I. *Can. VII.*

IV. At, inquires, Gregorius Nazian. Orat. in S. Lavacrum docet, Catechumenum esse *in vestibulo pietatis, nec adhuc posse vocari fidelem, nisi intus ingrediatur per baptismum.* Chrysof. *Hom. X. IV. in Jo.* Catechumenum scribit *alienum esse a fidele, & nihil habere cum eo commune, non civitatem, non mensam.* Cyrill. Jerof. *Lib. XII. in Jo. cap. 50.* Catechumenos apud Christianos id esse tradit, quod erant *incircumcisi apud Judæos.*

Quoniam igitur pacto peculiarem hominum ad Ecclesiam pertinentium ordinem constituere unquam possunt? Verum quod voto in Ecclesia sint, atque adeo si vitam Ethicæ Christianæ regulis conformatam instituunt, æternam æque ac fideles consequi possint beatitudinem; hinc licet non ut filii, ut servi duntaxat ad Ecclesiam pertinere non immerito dicuntur. Ad rem Augustinus Tract. XI. in

Joan-

Joan. Quod signum Crucis in fronte habent Catechumeni, jam de domo magna sunt; sed fiunt ex servis filii. Neque enim nihil sunt, qui ad magnam domum pertinent.

V. Hæretici in Christianorum censum nunquam recensiti, neque pro Catechumenis reputati; quum nec fidem habeant, neque ad eam redire exoptent. Unde Tertull. de Præscript. Cap. 37. *Si hæretici sunt, Christiani esse non possunt.* Quod & Lactantius Instit. Lib. IV. cap. 30. Athanasius Orat. II. adversus Arianos, Hieronymus, Augustinus, aliique veteres Patres luculenter statuunt.

VI. Veteres Monachi, & Ascetæ licet plebi in Ecclesia semper quodam modo præstiterint, ad communem tamen fidelium cœtum referri possunt; uti quoque Pœnitentes, & Energumenos Catechumenis ad censere recte licuerit, quippe qui in eadem plerumque ab Ecclesia classe collocati fuerint. Verum de his opportunius suo loco.

§. II. De Nomine Clerici, ejusque  
Etymo, & Usu.

VII. Neminem latere arbitror nominis Clericus etymon a græca voce κληρος deducendum esse, quæ latine Sors, sive Hereditas redditur. Hieron. Ep. ad Nepotianum Κληρος græce, Sors latine adpellatur: propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, idest pars Clericorum est. Merito igitur in Ecclesia, qui ad sacrum ministerium non successione, ut in veteri Testamento, sed divina vocatione, veluti sorte addicuntur, Clerici dicti sunt: Leg. I. Cod. Theod. de Decurionibus. Quum omnes  
simus

simus consortes, & cohæredes Christi (1): id tamen potiori jure de iis dicendum est, qui sacris vacant functionibus; haud secus ac *Num. XVIII. & Deuteron. item XVIII.* Deus peculiari ratione tribum Levi vocat *Sortem*, & *Hereditatem suam*, licet omnes Israelitæ in sortem Domini vocati fuerint.

VIII. Ergo in Ecclesia ii semper Clerici audire, qui sacro in Ecclesia ministerio publice fungerentur sive præeundo, sive ministrando: vel, ut definit Constantinus M. *Leg. XI. Cod. Theod. de Epis. & Cler. Qui divino cultui ministeria religionis impendunt*. Quare primis Ecclesiæ temporibus Episcopi duntaxat, Presbyteri, & Diaconi Clerici nominati occurrunt; at deinceps Hypodiaconi etiam, Lectores, alique inferioribus ordinibus insigniti eodem nomine donati sunt. Cyprianus Optatum Hypodiaconum, & Saturnum Lectorem vocat Clericos *Ep. 24.* Tum eorundem Ordinationes vocat *Ordinationes Clericales*. Et Lucianus M. Cypriani *συγχρόνος Ep. 17. al. 23.* apud Cyprian. Exorcistas æque ac Lectores Clericos adpellat. *Præsente de Clero, & Exorcista & Lectore Lucianus scripsit*. Huc etiam faciunt plures veterum Synodorum Canones, ac præcipue Synod. Nicænæ & Carthag. III. quos vide inferne (2). Quinimmo secutis temporibus nomen Clericorum inferioribus or-

---

(1) *Ad hanc vocis Κληρος notionem respexisse videtur Apostolus, ubi scribens ad Coloss. Cap. I. v. 2.* Dignos, inquit, nos fecit in partem sortis τῆ κλήρου sanctorum: & rursus ad Ephes. Cap. I. v. 11. In quo nos forte vocati sumus ἐκκληρωθήμεν.

(2) *Nicæna Syn. Can. III.* Omnibus modis interdixit S. Synodus, neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono, nec ulli Clericorum omnino licere habere secum mulierem extraneam. *Et Conc. Carthag. III. Can. XXI* Clericorum nomen etiam Lectores, & Psalmistæ, & Osiarii retineant,

ordinibus specialius adsignatum reperitur. Unde Ambrosius de Dignit. Sacerd. Cap. 3. *Aliud, inquit, ab Episcopo requirit Deus, aliud a Presbytero, aliud a Diacono, aliud a Clerico, aliud a Laico.* Idem quoque evincitur ex Syn. Laodic. Can. XX. quo sancitur: *Haberi honorem Diaconis a ministris, & omnibus Clericis oportet.*

IX. Clerici interdum vocati sunt *Canonici* a græco *Κανών*, qui inter reliquas suas notiones Catalogum cujuscunque Ecclesiæ significabat, in quo omnium Clericorum nomina scripta erant, & ex quo intelligere dabatur, ad quam quisque Ecclesiam pertineret. Quo sensu adhibita vox *Κανών* in Synodis Nicæna, & Antiochena (3), quæ & aliquando per *τῶν ἐκ κανόνι Clericos* designant. Unde apud Cyrillum Jerof. Præf. Catech. n. 3. *κανονικῶν παρουσίᾳ* *Canoniorum presentiam* significat; & in Conc. Laodic. can. XV. Clerici ad psallendum in Ecclesia ordinati vocantur *Κανονικοὶ ἱερείαι*. Eandem ob causam Monachi, Virgines, Viduæ, ac reliqui, quorum nomina Catalogo Ecclesiastico inferebantur, ut ab Ecclesia vitæ sustentationem acciperent, *Canonici, & Canonice* dice-

---

(3) *Cont. Nicæn. Can. XVI.* Quicumque temere . . . neque Ecclesiasticum Canonem scientes, recesserunt ab Ecclesia. *Et Can. XVII.* Dejicietur, & alienus ab Ecclesiastico Canone erit.

*Conc. Nicæn. Can. XVII.* Quoniam plerique Ecclesiastici πολλοὶ ἐν τῷ κανόνι avaritiam, & turpem quallum sectantes &c.

*Conc. Antioch. Can. I.* Depositos etiam externo honore privari, cujus sanctus Canon, & Dei sacerdotium fuit particeps.

*Et ejusdem Conc. Can. VI.* Idem Decretum adversus laicos, & presbyteros, & Diaconos, & eos, qui sunt in Cleri catalogo, καὶ πάντων τῶν ἐκ κανόνι observetur.

*Catalogus Clericorum, qui in Synodis Nicæna, & Antiochena dicitur est Κανών a Sydonio Apollinari Lib. VI. Epist. 8. dicitur est Album a Concilio Ayrath. Can. II. Matricula, & ab August. Hom. L. de Diversis Tabula Clericorum.*



cebantur. *Basilii Epist. I. Canonica can. I. ex sententia Balsamonis, & Zonaræ.*

X. Illud heic haud omittendum Clericorum Ordinem a Nanzianzeno *Orat. XX. in laudem Basilii, & Orat. XIX. in funere Patris* adpellari *τῶν τῆ βήματος* Ordinem *Sanctuarii*, eo quod solis Clericis permiffum erat eam Sacræ Ædis partem intrare, ubi Altare constitutum erat, quæque proprie dicebatur *Βῆμα*, vel *Ἱεράτειον Sanctuarium*. Hinc apud eundem *τῶ βήματι προσέγειν* Clericum facere, sive ministerio initiare significat. Et apud eundem ibidem *οἱ περὶ τὸ βῆμα, οἱ τῆ βήματος, & οἱ ἐκ τῆ βήματος* idem est, ac *ii, qui sunt ex sacro Ordine, sive ex Clericis.*

§. III. *Clericos a Fidelibus Laicis divino jure distingui Sacræ Litteræ aperte edicunt.*

XI. Clericos a Laicis æque Ordinis, ac Potestatis ratione distingui, & quidem ab primæva Ecclesiæ institutione, res est adeo evidenter antiquissimis probata monumentis, ut mirum omnino sit, Rigaltium, Seldenum, & omnium audacissimum Salmasium id in controversiam vocare non dubitasse.

XII. Et sane I. in Veteri Testamento Sacra omnia, ac Legis interpretatio Tribui Leviticæ adeo reservata erant *Exod. XIII. & passim*, ut terræ hiatu absorpti fuerint, vel lepra percussi, qui ad illa aliqua ratione adspiraverint: *Num. cap. 16. II. Paral. cap. 26.* Atqui Lex umbram habebat futurorum; neque de sacrificiis Taurorum tanta, tamque gravis cura Deo fuisse dicenda est. *An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt. I. ad Corinth. cap. 9.*

2. Apostoli dicuntur *ἀποκριμαῶν segregati in Evangelium Dei*, æque ac Deus ipse populum Israel

Israel dicitur ἀποκείσθαι secrevisse a reliquis populis: Lev. XX. Myſteria quippe Chriſtianæ Religionis Apoſtoliſ diſerte, haud vero aliis a Deo concedita ſunt. Sic nos exiſtinet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpensatores myſteriorum Dei: I. ad Cor. IV.

3. Distinguuntur Clerici a Laicis, uti Paſtores a grege. Act. XX. Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus S. Episcopos regere ποιμαίνων paſcere, Eccleſiam Dei. I. Petri cap. 5. Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Domini.

4. Apoſtoli eos ad Diaconatum viros adſcivere, qui univerſæ Eccleſiæ conſilio adhibito viderentur boni teſtimonii, pleni Spiritu S. & ſapientia. Quorſum hæc, niſi quia a multitudine ſegregandi erant, & ſacriſ miniſteriis ad dicendi? Et ſane ſtatim poſt ſacro prædicandi, & baptizandi miniſterio uſi ſunt. Ad rem Chryſoſt. Hom. XIII. in Acta: Impoſuerunt illis manus, quoniam Apoſtoli hoc ritu ſeptem illos ſegregaverint a multitudine.

5. Demum Episcopos ab Apoſtoliſ collato per impoſitionem manuum, vel per prophetiam cum impoſitione manuum preſbyterii Spiritu S. conſecrati, Eccleſiæque miniſterio addicti ſunt. Jam vero quid ſibi vult illa τῶν χειρῶν ἐπιθεσις Manuum impoſitio, vel illa προφητεία prophetia? Explicat Chryſoſt. in cap. I. Ep. ad Timoth. ſcilicet ἀπὸ προφητείας per prophetiam Sacerdotes conſecrati ſunt, hoc eſt ἀπὸ Πνεύματος Ἁγίου a Spiritu S. vel κατὰ Πνεύματος ἀποκάλυψιν Spiritus S. monitu, ſive illapſu, quod non humanum, ſed divinum illud eſſet, ad quod inaugurabantur.

§. IV. Clericos a Laicis jure divino distingui ex antiquissima Ecclesie Traditione manifeste evincitur.

XIII. Ac I. Clemens Alex. in Libro *Quis dives salvetur* de Joanne Apostolo tradit eum, quum post tyranni obitum a Patmo insula Epbesum rediisset, vicinas quoque gentes rogatum visisse, partim quidem ut Episcopos constitueret, partim ut integras Ecclesias disponeret, ac formaret, partim etiam ut unumquemque eorum, quos Spiritus designaret, in clerum cooptaret.

2. Clemens Rom. Ep. I. ad Corinth. n. 40. Summo Sacerdoti, inquit, sua munera tributa sunt, Sacerdotibus locus proprius adsignatus est, & Levitis sua ministeria incumbunt. Laicus præceptis laicis constringitur.

3. S. Ignatius M. Epist. ad Magnesianos num. 6. hortatur fideles, ut omnia agant Episcopo præserte Dei loco, & Presbyteris loco Senatus Apostolici. Et in Epist. ad Philad. n. 7. Quemadmodum, scribit, Dominus sine Patre nihil fecit, neque per seipsum, neque per Apostolos; ita neque vos sine Episcopis, & Presbyteris aliquid agite. Similia habet & in reliquis Epistolis.

4. Vetustissima Ecclesie Concilia, tum ex Christi Domini præscripto, tum ex antiquissimo Ecclesiastico jure Sacrificii Eucharistici oblationem adeo solis Sacerdotibus adserunt, ut vix Diaconis Eucharistiam jam peractam fidelibus ministrandi jus tribuant (4). Quare  
Epi-

(4) Concilium Nicanum Can. XVIII. in hunc modum decernit. Pervenit ad Sanctum magnumque Concilium, quod in quibusdam locis, & civitatibus, Presbyteris gratiam sanctæ Communionis Diaconi porrigant; quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab iis, qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt Christi corpus ac-

Epiphanius Hæres. LXXIX. Neque Diaconis, scribit, *Ecclesiastica regula conceditum est peragere sacrificii mysterium, ἀλλὰ μόνον διακονεῖν καὶ ἐπιστελέμενα sed ministrare tantum.*

5. Postremo Tertullianus *Lib. de Præscript. cap. 41.* hæreticos sui temporis eo nomine infectatur, quod apud ipsos, qui *hodie Episcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras lektor; hodie presbyter, qui cras laicus.* Tum subnectit: *Nam & laicis sacerdotalia munia injungunt.* Idem præstat Hieron. Tom. II. pag. 145. *Omissis paucis homunculis, qui ipsi sibi, & Laici sunt, & Episcopi.* At quinam potuisset hoc hæreticis exprobrari, nisi divina institutione Clerici a Laicis distinguerentur?

§. V. De Sacerdotio lata notione accepto.

XIV. Igitur ubi Sacerdotium Christianis omnibus tributum occurrit, id non nisi lato modo intelligendum est. Et sane uti vox Sacrificium æque lata, ac stricta notione acceptum reperitur in Sacris Litteris, & apud veteres Patres; ita quoque & vox Sacerdotium. Egregium hac de re habemus Origenis locum Hom. XIX. in cap. 16. *Levit. Si membra mea ab omni concupiscentia carnis mortificavero, si mundus mihi crucifixus sit, & ego mundo, holocaustum obtuli ad altare Dei, & ipse mea hostiæ Sacerdos efficior.* Ecquis non videt heic Sacerdotis vocabulum ab Origene improprie, sive lata notione usurpari? Eandem Sacerdotii lata notione accepti rationem efferunt Auctor Const. Apostolic. Ambrosius, Leo M.; ac præcipue Augustinus (5).

XV.

---

accipiant. Idem discrete sancitum occurrit *Conc. Ancyr. Can. II. Arelateusis l. Can. XV. Leodiensis Can. XXV. &c.*  
 (5) Auctor Const. Apost. lib. III. cap. 15. Ambrosius

XV. Atque hinc lux adfulget explicandæ illi satis notæ S. Petri auctoritati *Ep. I. cap. 2. v. 5. & 9.* ubi fideles sic adloquuntur: *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias Deo per Jesum Christum... Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta.* Illud profecto indicat isthac sententia Apostolus, Fideles æque Sacerdotii, ac Regiæ dignitatis Jesu Christi participes vota, preces, largitiones, benefacta Deo Patri offerre una cum sacrificio, quod ille nostri gratia peregit; qua ex conjunctione quidquid in iis, quæ petimus, vel offerimus pretii esse poterit, omnino oritur. Fidelis igitur quisque spirituali acceptione Dei Sacerdos est, spirituales hostias offert Deo. *Unusquisque ungitur in sacerdotium, in regnum, sed spirituale regnum est, & sacerdotium:* Ambrosius de Sacram. *Lib. IV. cap. 1.* Neque tamen id prohibet, quominus esse debeant in Ecclesia Sacerdotes rite initiati, ac peculiari auctoritate præditi ad offerendum Deo augustissimum sacrificium, ceteraque obeunda munia, quæ Christus unis Apostolis, eorumque dignitatis heredibus reservavit. Præsertim quum implemet Petrus, uti modo vidimus, ejusdem *Ep. cap. 3.* pascendi gregem Domini potestatem solis adtribuat Senioribus, sive Episcopis, & Presbyteris, quibus, ut fideles subditi sint, *ibid.* admonet.

## §. VI.

---

*fius de Sacram. Lib. IV. cap. 1.* Leo I. *Ser. III. de Annivers.* Augustinus de *Civit. Lib. XX. cap. 10.* *Erunt Sacerdotes Dei, & Christi, & regnabunt cum eo mille annis, non utique de solis Episcopis, & Presbyteris dictum est, qui proprie jam vocantur in Ecclesia Sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes Sacerdotes, quoniam membra sunt hujus Sacerdotii; de quibus Apostolus Petrus, *Piebs, inquit, sancta, regale Sacerdotium.**

## §. VI. Explicatur perdifficilis Tertulliani locus.

XVI. Tertullianus Lib. *de Castit.* cap. 7. omnibus ex æquo fidelibus videtur Sacerdotii munia adferere: scribit enim: *Differentiam inter ordinem, & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per Ordinis confessum sanctificatus a Deo. Ubi Ecclesiastici ordinis non est confessus, & offers, & tinguis, & sacerdos es tibi solus. Sed & ubi tres, Ecclesia est, licet laici.* Non desunt, qui credant Tertullianum jam Montanistam Exhortationem ad Castitatem scripsisse. Verum præter quam quod ex Hieron. *adversus Jovinianum* Lib. I. videtur colligi scriptum Librum illum a Tertulliano decem annis, antequam deficeret ad Montanistas, profecto sententiam de Sacerdotio laicis etiam communi profert, tanquam ex doctrina Catholicorum hausam, atque adeo de praxi loquitur sua ætate apud Catholicos usitata. Igitur præstat paucis perdifficilem Tertulliani locum explicare.

XVII. Ac primo verba illa *Ecclesiæ auctoritas* vel de Origine, & Institutione intelligenda sunt: scilicet Ecclesiam ab suo Auctore Christo Domino differentiam inter Clericos, & Laicos accepisse: vel potius de Episcoporum, aliorumque Clericorum electione, & consecratione. Prioribus enim Ecclesiæ seculis promovendi ad Episcopatum, aliumve ordinem a plebe eligebantur, & ab Ecclesia per impositionem manuum presbyterii consecrabantur. Unde sequitur: *Et honor per ordinis confessum sanctificatus a Deo*; hoc est confidentibus in Ecclesia Episcopis, ac Presbyteris, iisdem manus imponentibus; quam manuum

num impositionem divina sanctificatio, sive benedictio comitabatur (6).

XVIII. Sequitur Tertull. *Ubi Ecclesiastici ordinis non est confessus, & offers, & tinguis, & Sacerdos es tibi solus.* His verbis indicat Tertull. tempore persecutionis, quum Episcopi, Presbyteriique confessus, sive conventus haberi non posset, quod sua ætate haud semel accidit, licuisse laicis in suis privatis domibus, veluti conventum agere, atque adeo sacerdotalia quædam munia, quæ tamen ad veri sacerdotii indolem, ac *veram naturam, essentiam* non spectant, exercere: idque ex eo demonstrat, quod scriptum sit: *Regnum nos, & Sacerdotes Deo, & Patri suo fecit. Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ego sum in medio eorum.* Igitur patet Tertull. nonnisi Sacerdotium laxiori notatione acceptum laicis tribuisse, quo præcipua, ac specialiori quadam ratione in necessitatis *περισσότεροις* *circumstantiis* fungantur offerendo, bapizando, & conventum privatim agendo.

XIX. Porro quonam sensu offerre laicis tribuat

(6) *Doctiss. Albaspinus* Lib. II. de Euchar. cap. 8. observat, *Tertullianum* haud raro vocabula Auctoritas, & Auctor pro Origine, & Institutione usurpasse; ac præsertim Lib. de Præscriptionibus Cap. 36 Habes Romam, inquit, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Item: Neque Apostoli alicujus Auctoris esse. Et Lib. de Testim. anim. Si recogitet naturæ majestatem, ex quo censetur auctoritas animæ.

Item Auctor ibid. pluribus demonstrat vocabulum Honor pro dignitate, potestate, charactere Episcopali, vel Presbyterali; & phrasim Ordinis confessum pro Episcopi, Presbyterorumque collectio, sive publico conventu fuisse ab antiquis Patribus adhibita. *Cyprianus* Lib. IV. Epist. 2. Episcopi nec potestatem habere, nec honorem: & Epist. 6. Presbyterii honorem; & Epist. 10. Confidentibus Presbyteris . . . Compresbyteros tecum confidentes. Et *Collatio Carthag.* II. Maxime quum lege divina confessus prohibeatur, ne cum ejusmodi adversariis confidere velimus.

buat Tertullianus, paucis discutiendum est; naque tinguere, sive baptizare, ubi necessitas cogat, laicis convenire, nemo unquam vel subdubitavit. Jam vero constat vocabulis *Offerre*, & *Oblatio* triplici notione veteres Patres, atque adeo ipsum Tertullianum usos fuisse. 1. pro actione, qua in veteri Ecclesia, qui jus communicandi habebant, per Diaconos altari panem, & vinum offerebant (7). 2. pro ipsa consecratione, qua panis,

Tom. I.

K

nis,

(7) *Augustinus Serm. 215. de Tempore*: Oblationes, qua in altari consecrantur, offerre. *Can. III. Apost. vetatur Episcopus, aut Presbyter offerre super altare, aut mel, aut lac, aut pro vino sicera, & confecta quadam, aut volatilia*. . . . Offerri non liceat aliquid ad altare praeter novas spicas, & uvas, & oleum ad luminaria. *Conc. Nicæn. Can. XI. Duobus autem annis sine oblatione populo in oratione communicent*; *Tertullianus Lib. de Monogamia*: Et offert annuis diebus dormitionis ejus. *Et in Exhortat. ad Castitatem Cap. 11. Maritum, qui duabus fuerat copulatus uxoribus, sic adloquitur*: Et offers pro duabus, & commemorabis per Sacerdotem. *Quinimmo apud Tertull. ipsum vox etiam Sacrificium, quae magis videtur Eucharistica consecrationi significanda addicta, haud semel eadem notione usurpata occurrit*: *Lib. de Orat. Quale sacrificium, a quo sine pace receditur*. *Lib. ad Uxorem. Sacrificia sine serupulo. Et in Exhortat. ad Castitatem*: Ascendet sacrificium tuum libera fronte. *Cyprianus Lib. de Oper. & Elemos. Locuples, & dives es, & Dominicum celebrare te credis*. . . . *quae in Dominicum sine sacrificio venis. Tum Concilium Ancyranum Can. XV. Quinquennio in hac communione perdurantes, tum demum oblationis sacramenta contingant*.

*Adhac, non modo panis, & vinum, & peculiares quaedam primitiorum species Altari offerri permissa, verum & res aliae ad Clericorum, pauperumque sustentationem necessariae, uti mel, lac, sicera, confecta, volatilia, animalia, legumina, & nonnunquam pecunia, quae a Fidelibus in Ecclesiam deferbantur in domum Episcopi adportanda. Porro eadem Oblationum etiam nomine indigitari consuevisse indicant Canon IV. Apost. Offerri non liceat ad altare praeter novas spicas, uvas, & oleum ad luminaria, & thymiana. Concilium Gangrense Can. VIII. Si quis dat, vel accipit fructus oblatos praeter Episcopum. Naz. Epist. 80. Area, & torcularis primitias Deo consecrare justum, & pium est. Haud secus ac vocabulum hebraicum  $\text{כֶּרֶם}$  Cherem, Graecum  $\text{ἀροῦνη}$  (in Sa-*



nis, & vini substantia in Christi corpus & sanguinem convertitur. 3. quum longe ante consecratus panis offertur, & fidelibus lumen-  
 dus traditur. Porro Tertullianum verbum *Of-  
 ferre* laicis tribuisse priori duntaxat, aut ter-  
 tio sensu, vel utroque plura demonstrant.

XX. Ac primo fideles ad oblationes primi generis vel altari exhibendas, vel in Episco-  
 pi domum deferendas antiquissima saltem ec-  
 clesiastica consuetudine fuisse adactos ex mo-  
 do productis monumentis perquam manife-  
 stum est. At tempore persecutionis ejusmodi  
 fidelium officium tantum abest, ut cessarit,  
 ut potius ob graviores clericorum, paupe-  
 rum, martyrumque indigentias magis magis-  
 que a fidelibus frequentari oportuerit. Quum  
 vero huic muneri publice in Ecclesia facere  
 satis nequirent, verisimile oppido est, priva-  
 tim in suis domibus ab ejusdem familiæ fide-  
 libus simul congregatis peculiaribus quibusdam  
 precibus, & cæremoniis dona illa fuisse Deo  
 oblata, quæ post in indigentium personarum  
 subsidium converterentur. Unde *Sacrificia sine  
 scrupulo in angustiis in refrigeriis* ab Tertull.  
*Lib. ad Uxor. cap. 2.* commemorata de ejus-  
 modi oblationibus interpretatur *ibid.* Albalpi-  
 næus.

XXI. De tertio quoque Oblationis genere  
 intelligendus Tertullianus; nimirum de Eu-  
 charistia, quam persecutionis tempore fideles  
 tecum jam a Sacerdote consecratam, vel in  
 cryptas latebrasque, vel suas privatas in do-  
 mos deferebant, ut eam, adhibitis precibus,  
 quas in publicis Synaxibus audire consueve-  
 rant,

---

*vis Litteris non de iis tantummodo dici consuevit, qua  
 Deo offerebantur igne consumenda, sed de iis etiam,  
 qua integra, & intacta in Sacerdotum, Lepitarumque  
 alimoniam referabantur.*

rant, aut major natu reliquis distribueret familiaribus, aut manibus suis acciperet uniuersisque. Idque sacrificii, oblationis, ac publicæ, & legitimæ *κατοχυίας* speciem præferebat, quæ maximo ipsis erat solatio, quum Sacerdotum copiam nullam haberent. Unde Tertullianus: *Ubi Ecclesiastici Ordinis non est confessus*. Quum igitur Tertullianus non peculiarem quandam suam proferat sententiam, sed de praxi loquatur sua ætate apud fideles usitata; hinc liquet quod fidelibus laicis *offerre* priori duntaxat, ac tertia notione acceptum tribuerit: haud vero eo sensu, quo consecrationem designat: quam si intellexisset, profecto sententiam non ex doctrina, ac praxi Catholicorum hausitam, sed suam, vel Montanistarum opinamentum protulisse dicens esset: quod vetat ipse Tertullianæ auctoritatis contextus. Nanque ex eo, quod laici aliquando offerant, & tinguant, scilicet in necessitatibus, ut *ibid.* scribit, inde aduersus Catholicos colligit Laicis vetitam digamiam. Integrum Tertulliani locum inferne habes (8).

K 2

XXII.

---

(8) Differentiam inter Ordinem, & Plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per Ordinis confessum sanctificatus a Deo. Ubi Ecclesiastici Ordinis non est confessus, & offers, & tinguis, & Sacerdos es tibi solus. Sed & ubi tres, Ecclesia est, licet Laici. Unusquisque enim sua fide vivit: nec est personarum acceptio apud Deum: quoniam non auditores legis justificabuntur a Deo, sed factores; secundum quod & Apostolus dicit. Igitur si habes jus Sacerdotis in teipso, ubi necesse est, habes etiam disciplinam Sacerdotis, ubi necesse est habere jus Sacerdotis. Digamus tinguis, Digamus offers? Quanto magis laico Digamo capitale est agere pro Sacerdote, quum ipsi Sacerdoti digamo facto auferatur agere Sacerdotem? Sed necessitati, inquis, indulgetur. Nulla necessitas excusatur, quæ potest non esse. Noli denique digamus deprehendi, & non committis in necessitatem administrandi, quod non licet Digamo.

XXII. Adhæc Tertullianum laicis Eucharistiæ consecrationem nunquam profus adscripsisse plura evincunt. 1. Tertullianus *Lib. de Virg. veland. cap. 1.* diserte distinguit inter munia sacra virilia mulieribus interdicta, scilicet loqui in Ecclesia, docere, tinguere, offerre; & sacerdotalia viris ipsis prohibita (9). Quanam vero ratione inter virilia munia, & sacerdotalia distinguere Tertullianus quiverit, si Eucharisticam consecrationem Laicis adscripsisset, profecto nullus video. Istæ enim, ceu præcipuum veri Sacerdotii munus, Presbyteris per Episcopi *Ἐπισκοπικῶν χειρῶν impositionem* Divino ministerio specialiter dactis tanquam reservatum peculium semper in Ecclesia habitum est.

2. Si Laicis veri nominis Sacerdotium Tertullianus tribuisset, profecto saltem aliquando in suis Operibus laicis in casu duntaxat necessitatis exercendam concessisset potestatem Episcopalem, vel Presbyteralem consecrandi, ordinandi, absolvendi &c. Quod nunquam præstitit; licet haud raro Sacerdotium laxiori notione acceptum, sive quandam Sacerdotalium munerum portionem Laicis adsignet.

3. Ætate Tertulliani persecutione fervente Fideles valde solliciti erant, ut vivificum panem in latebras, cryptas, vel privatas domos, ubi delitescerent, secum adportarent, quem possent quotidie sumere. At quorsum tanta sollicitudo, si Eucharistiam pro lubito consecrare possent? Inquies autem, quod persecutio aliquando per plures menses, atque adeo etiam annos perduraret: neque tam diu-

---

(9) Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum Sacerdotalis Officii, sortem sibi vindicare.

turno temporis decursu species Eucharistiæ servari possent. At in promptu responsio est: scilicet Fideles potuisse quandoque nonnullos, de quibus nullam esse suspensionem arbitrarentur, ad Episcopos, vel Presbyteros in cryptis delitescentes, aut in carceribus detentos, mittere, ut species Eucharisticas ab iisdem clam consecratas acciperent, easque ad ipsos adsportarent. Uti quoque Sacerdotes cum Diaconis Confessores in ergastulis detentos, vel in carceribus haud raro solebant adire, ut illic Eucharistiam consecrantes eandem ipsis distribuerent. Hujus rei præclarissimum habemus monumentum apud Cyprianum, qui in *Epist.* 5. ubi in adeundis, visitandisque confessoribus cautione, ac prudentia uti præcepit: *Si fratres, inquit, pro dilectione sua cupidi sunt ad conveniendum, & visitandum confessores bonos, quos illustravit jam gloriosis initiis divina dignatio, tamen caute hoc, & non glomeratim, nec per multitudinem simul junctam puto esse faciendum, ne ex ipso invidia concitetur, & introeundi aditus denegatur. Consulite ergo, & providete, ut cum temperamento hoc agi tutius possit: ita ut presbyteri quoque, qui illic offerunt apud Confessores singulis Diaconis per vices alternent, quia & mutatio personarum, & vicissitudo convenientium minuit invidiam.*

4. Tertullianus in suis Scriptis haud raro ex principiis *ἰμπαρικῶς*, & non sine exaggeratione statutis falsas deducit illationes: ut in Libro de *Monogamia* cap. II. ex eo, quod in Lege *Levit.* XX. 21. cautum sit, *ne quis ducat uxorem fratris sui*, concludit Christianæ feminae interdictum denuo nubere, *quia non habet nubere nisi fratri: omnes enim nos fratres sumus.* Tum ibid. *Quod Sacerdotes lex prohibet denuo nubere: Lev.* XXI. inde eruit

Christianis vetitum, ne denuo nubant: *Nos Jesus Summus Sacerdos, & magnus Patris de suo vestiens (quia qui in Christo tinguuntur, Christum induerunt) Sacerdotes Deo Patri suo fecit &c. Monogamiæ debitores ex pristina Dei lege sumus. Quisnam vel lascitiosus utriusque ratiocinationis falsitatem non perspicit? Nemo igitur miretur, si ex sacerdotio latiori notione accepto Laicis etiam communi, impositam fidelibus monogamiam falso deducat Tertullianus.*

XXIII. Ceterum Tertullianum de veri nominis Sacerdotio intelligendum non esse, tum ex eo elucet, quod Sacerdotium laicis commune ex iis potissimum Scripturis inculcet, quas nonnisi de Sacerdotio laxioris sententiæ licet interpretari: tum vero potissimum ex eo, quod inter utrumque Sacerdotium discrimen aperte constituat *ibid. cap. 2. ubi hæc habet: Quum extollimur, & inflamur adversus Clerum, tum unum omnes sumus, tunc omnes Sacerdotes, quia Sacerdotes nos Deo, & Patri fecit. Quum ad peræquationem disciplinæ Sacerdotalis provocamur, deponimus infulas, & impares sumus.*

## C A P U T XII.

De Episcoporum Origine, eorumque Honorificis Titulis, & Prærogativis.

§. I. *Episcopi jure divino Presbyteris Ordine, & Potestate præstant.*

I. **A**C primo illud omnino animadvertendum nomina *Ordinis, Gradus, Officii* fuisse a veteribus promiscue usurpata ad significandum diversas in Ecclesiæ ministerio Clericorum functiones. Hinc Hieron. contra

Jovinianum Lib. II. *Alium Ordinem Pontifex tenet, alium Sacerdotes, & alium Levitæ; & ibid. Lib. I. Episcopus Presbyter & Diaconus non sunt meritorum nomina, sed Officiorum. Si Diaconus sanctior Episcopo suo fuerit, non ex eo, quod inferior gradu est, apud Christum deterior erit. Et in Epist. ad Fabiolam: Ipsos secundi Ordinis intelligimus Præceptores, Luca Evangelista testante, duodecim fuisse Apostolos, & septuaginta discipulos minoris gradus. Porro secutis temporibus vocabulum Ordo stri-  
ctiori quadam notione Officio Ecclesiastico designando additum est, ad quod quis ritu mystico inauguratur, vel potius exprimit illius exercendi jus, sive potestatem; vocabulum Gradus locum Hierarchicum designare cœpit, quem quis ratione Ordinis consequitur: tandem munia singulis Ordinibus adnexa Officia nuncupata sunt.*

§. II. *Episcopus jure divino Presbyteris ordine, & potestate præstare Sacræ Litteræ a-  
parte prædicant.*

II. Et sane I. In Veteri Testamento Aaron, ejusque filii jure divino ad Summum Sacerdotium distincto consecrationis ritu, distinctisque cæremoniis inaugurati sunt; peculi-  
res, ac præcipue ipsis impartitæ prærogati-  
væ, atque adeo amplissima supra reliquos Sa-  
cerdotes muniti sunt potestate: *Exod. XXVIII. Lev. VIII.* Ergo in Novi Fœderis Sacerdo-  
tio, cujus umbra dubio procul fuit vetus,  
Episcopi, veluti Summi Sacerdotes reliquis  
divino jure præstant Sacerdotibus. Ad rem  
Clemens Rom. *Ep. I. ad Corinth. num. 40.*  
ubi petita ex antiquo fœdere comparatione  
sic scribit: *Summo Sacerdoti sua munera tri-  
buta sunt, & Sacerdotibus locus proprius ad-*

*signatus est, & Levitis sua ministeria incumbunt, & homo laicus præceptis laicis constringitur. Et dilucidius Hieron. contra Jovinian. Lib. II. In veteri testamento, & in novo alium Ordinem Pontifex tenet, alium Sacerdotes, alium Levitæ. Eadem habet Ep. 34. ad Nepotian. & in Epitaphio Paulæ.*

2. *Apost. I. ad Timoth. 3. in Episcopo exigit, ut sit Doctor: & ad Titum cap. 1. Ut potens sit exhortari in Doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Istæ profecto de Episcopis, uti distinctis a Presbyteris dicta sunt, quippe quæ in iis ab Apostolo requisita sunt, qui per singulas civitates aliorum magistris, ac Præsides constituendi erant. Chryf. Hom. X. in Epist. I. ad Timoth.*

3. *Tum in eadem ad Timoth. Epist. cap. V. Timotheum admonet: Senioremem ne increpaveris, sed obsecra, ut Patrem; quem locum S. Epiph. Hæref. LXXV. num. 6. adversus Aerium sic urget. Quid attinebat Episcopo veteri, ne Presbyterum objurgaret, nisi majorem supra Presbyterum haberet auctoritatem?*

4. *Eodem cap. V. subnectit Apostolus: Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, vel tribus testibus. Ergo Timotheus, quem fuisse Episcopum nemo unus ignorat, erat Presbyterorum Antistes, & Judex. Ex hoc item loco adversus Aerium argumentum desumit Epiph. ibid.*

§. III. Eadem Episcoporum supra Presbyteros jure divino constituta Potestas ex antiquissima Patrum Traditione manifesto evincitur.

III. Ac 1. Innumeræ huc facientes ex genuinis S. Ignatii Epistolis heic adferri possent auctoritates, ex quibus selectiores duntaxat inferne damus (1). Speciminis loco sit singulare ex Epist. ad Magnesianos num. 6. testimonium, ubi hortatur eos, *ut in concordia omnia agant Episcopo presidente Dei loco, & Presbyteris loco Senatus Apostolici, & Diaconis, quibus commissum est ministerium Jesu Christi.*

2. Clemens Alex. Strom. Lib. VI. pag. 667. 793. scribit: *In Ecclesia Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum progressiones sunt: imitationes gloriæ angelicæ.* Notandum heic. 1. *Προκοπὰς Progressiones* prolectus designare de uno in alium locum superiorem. 2. Si Episcopi Presbyteris, & Presbyteri Diaconis non præstarent, immerito Progressiones illæ dice-  
K 5 ren-

(1) *Ep. ad Ephes. num. 3.* Episcopi per terræ terminos definiti ex Jesu Christi sunt sententia. *Ibidem num. 4.* Unde decet nos in Episcopi sententia concurrere, quod & facitis. *Epist. ad Philad. num. 4.* Unus Episcopus cum Presbyterio, & Diaconis. *Ep. ad Smyrn. num. 8.* Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem: & Presbyteros, ut Apostoles. *Epist. ad Trall. num. 12.* Decet singulos vestros, & præcipue Presbyteros refocillare Episcopum, *Ibid. num. 13.* Valete in Jesu Christo, subjecti Episcopo, ut Dei mandato; & similiter Presbyterio. *In reliquis Ignatii Epistolis crebræ occurrunt pro re, quæ de agimus, similes locutiones; hinc omnino consulenda.* At omittendum non est præclarissimum testimonium ex Actis Martyrii ejusdem Ignatii apud Gramb. Tom. II. Spic. Sec. II. pag. 12. Omnes Aliz Urbes, & Ecclesiæ filitaverunt S. Ignatium per Episcopos, & Presbyteros, & Diaconum. *Quæ quum ita sint, mirari proorsus nobis datur recentiorum quorundam heterodoxorum impudentiam tantæ antiquitatis Episcoporum supra Presbyteros præstantiam nonnisi Ecclesiastica institutioni adscribentium.*



rentur *Imitationes glorie angelicæ*; quum in cælestibus illis spiritibus diversi æque dignitatis, ac officiorum ordines sint constituti. Similia habet *Lib. III. Pædagogici capite 12.*

3. Origenes, quem Presbyterum fuisse omnes norunt, scribit *plus a se exigere, quam a Diaconis, ab his vero plus, quam a laicis, plus rursus ab iis, quibus super Diaconos, & super Presbyteros commissum est regimen, & Principatus Ecclesiæ.* Hom. XI. in Jerem. Tum pluries in suis Operibus, uti observat doctissimus Pearsonius, de Episcopis loquitur, uti distinctis a Presbyteris.

4. Eiusdem distinctionis crebro quoque meminit in suis Operibus Tertullianus; ac præcipue in *Lib. de Baptismo*, ubi sic scribit: *Dandi quidem baptismum jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus; dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate.*

5. S. Cyprianus quoque præsertim in suis Epistolis haud semel docet 1. *Episcopo honorem sacerdotii sui, & Cathedræ esse reservatum: Epist. XI.* 2. *Ecclesiam super Episcopos constitutam: Epist. XXVII.* 3. *Episcopum Episcopatus vigore, & Cathedræ auctoritate potestatem habere animadvertendi in reliquos de Clero: Epist. LXV.* 4. *Dominam Apostolos, idest Episcopos Ecclesiæ præpositos constituisse: ibid.* Et in Synodo Carthag. cui Cyprianus ipse præfuit, quidam Episcopus sic reliquos addressatur Episcopos: *Apostolis nos successimus eadem potestate Ecclesiam gubernantes.*

6. S. Irenæus loquens de Conventu a D. Paulo in Mileto indicto *Lib. III. cap. 14.* scribit: *In Mileto convocatis Episcopis, & Presbyteris, qui erant ab Epheso &c. id quod indicat Irenæum in ea fuisse sententia, Apo-*  
sto.

stolica ætate Episcopos ab Presbyteris fuisse distinctos.

7. Tandem Tertullianus, Irenæus, Eusebius, Hieronymus, Optatus Millevitanus, alique antiquissimi Patres, & Historiographi adcuratione quantamaxima successiones exhibent Episcoporum, qui Ecclesias Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, aliasque Orientis præcipuas ab primigenia Apostolica institutione ad sua usque tempora administrarunt; quos etiam Tertullianus *Apostolici Seminis traduces* adpellat. Quo sane indicatur, Apostolos in singulis civitatibus nonnisi unum constituisse Episcopum reliquis gradu, & auctoritate Sacerdotibus præstantiorem, iisdemque præfectum. Cur autem tanta antiquis Patribus de Episcoporum successione sollicitudo, ex quibus etiam adversus hæreticos argumenta desumunt; atque adeo unde tanta Apostolis in Ecclesiis fundandis, & Episcopis constituendis *αἰς πολιτείας disciplina* similitudo, nisi ab ipsa primigenia Episcopatus institutione Episcoporum supra Presbyteros potestas originem suam arcesseret? Neque enim similia unquam scripta reperies, aut tradita de Presbyteris. His addi possent innumeræ ex IV. & V. Sæculi Patribus, & ex veterum Conciliorum Canonibus depromptæ auctoritates: verum prolixior de catholico hoc dogmate tractatio Theologis reservata est: nobis tantummodo antiquissima in hoc caput Ecclesiastica monumenta protulisse sat esto: quibus quæ sequenti capite dicemus, majus robur adjicient.

§. IV. De diversis honorificis titulis, quibus  
in Primitiva Ecclesia Episcopi ornabantur.

IV. Ac primo in vocis *Episcopi* ἑπισκοπος inquiremus. Ἐπίσκοπος igitur interpretatur *Inspector*: hinc Plutarchus Θεοῖ χρησῶν Ἐπίσκοποι καὶ πονηρῶν ἔργων, *Dii bonorum inspectores, iniquorumque operum*. Item qui alicui negotio gerendo præfectus est: hinc idem Plutarchus in Pericle: πάντα διεπέε, καὶ πάντων Ἐπίσκοπος Φαδίας: *omnia administrabat, & curabat Phidias*. Exponitur etiam *Custos*: ita Hesychius in voce Ἐπίσκοπος. Ἐπίσκοπος... φύλαξ, *Custos*.

V. Tum pluribus in Ecclesia honorificis titulis ornati sunt. Ac 1. adpellati *Apostoli*, ut distinguerentur a Presbyteris: (2) Theodoretus in I. Timoth. Cap. 3. *Philippensium Apostolus erat Epaphroditus; ita Cretensium Titus, & Asianorum Timotheus erant Apostoli*.

2. *Apostolorum successores*; eorumque sedes adpellatæ *Sedes Apostolica*: Cyprianus. Epist. 69. al. 66. *Qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt*. Et Firmil. Ep. 75. apud Cypr. pag. 225. *Hostes unius Catholicae Ecclesiae, in qua nos sumus, qui Apostolis successimus*. Et August. Ep. 42. *Christiana societas per Sedes Apostolorum, & successiones Episcoporum &c.*

3. *Principes populi*: Hieron. Comm. in Pl. XLV. *Principes Populi, idest Episcopi*: & in illud Isaiae LX. 17. *Ponam visitationem tuam pacem, & prepositos tuos iustitiam*); quod se-

cun-

(2) *Ævo Apostolico Episcoporum, & Presbyterorum nomina ex æquo Clericis primi, & secundi Ordinis tributa est: id monet Theodoretus ibid. Eisdem olim vocabantur Presbyteros, & Episcopos: eos autem, qui nunc vocantur Episcopi, Apostolos nominabant. Idem tradit Ambrosiastes apud Analarium de Officiis Eccles. Lib. II. cap. 13.*

cundum versionem LXXviralem sonat : *Dabo principes tuos in pace, & Episcopos tuos in justitia: Δάσω τὰς ἀρχοντας σου ἐν εἰρήνῃ, καὶ τὰς Ἐπισκόπους σου ἐν δικαιοσύνῃ* ) hanc habet notam: In qua Scripturæ sanctæ admiranda majestas, quod Principes futuros Ecclesiæ Episcopos nominavit. Adhæc nullus pene est ex Græcis antiquis Scriptoribus, qui Principum Ecclesiæ nomine Episcopos non decorarit, & quidem ut ab Sæculi Principibus distinguerentur.

4. Quo sensu dicti quoque sunt *Præpositi*, sive *Præsides Ecclesiæ*: Cyprianus Epist. 3. *Quod & vobis esset circa Præpositi memoriam gloriosum*: & Ep. 13. *Præpositi cum Clero convenientes*: & Tertull. de Cor. Militis Cap. 3. *Eucharistiæ Sacramentum . . . nec de aliorum manu, quam Præsidentum sumimus*: & ab Eusebio, Justino M., & Gregor. Nyss.

5. Dicti sunt *προεσώτες* Antistites, & *πρόεδροι* Præsides; Promulgatum est Imperatoris Edictum, ut omnes ubique Ecclesiarum Antistites *τῶν Ἐκκλησιῶν προεσώτας*, &c. Eusebius Lib. VIII. cap. 6. & ibid. cap. 2. Mandabatur, ut omnes ubicunque Ecclesiarum Antistites *τὰς μὲν Ἐκκλησιῶν προέδρας πάντας*. Justinus M. Apol. II. p. 97. *Ei, qui præst. προεσώτε τῶν ἀδελφῶν, offertur panis, & poculum aquæ, & vini*. Greg. Nyss. Tom. III. pag. 306. *τὰς προεσώτας Præsides oportet fratrum curam habere*.

6. Aliquando etiam dicti sunt *Ἐφόροι*. Inspectores, & Episcopatus *Ἐφερεία*. Philostorg. Lib. III. n. 4. *Legatione suscepta Ἐφερεία Ephori quoque dignitatem* &c. & ibid. num. 15. de Paulino scribit: *Qui ex Ἐφερεία Ephoria Tyri ad Antiochenam translatus fuerat*.

7. Quum Episcopi non populo modo, sed reliquis etiam præessent Clericis; idcirco dicti

Qui sunt *Summi Sacerdotes, Summi Pontifices*, aliique id genus nominibus designati sunt. Hieron. Dial. contr. Lucif. pag. 139. *Ecclesie salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet*; unde & pluries Episcopatum *Summum Sacerdotium* nuncupat. Epist. IC. ad Afellam: *Omnium pene iudicio dignus Summo Sacerdotio decernebar*. Sidonius Apollin. loquens de Ecclesia Bituricensi *Lib. VII. Ep. 5.* scribit: *Que nuper Summo viduata Pontifice.*

8. Quod vero Christus Apostolis, eorumque successoribus Episcopi vices suas in Ecclesie regimine commiserit, hinc nuncupati interdum sunt, *Vicarii Christi, Dii Terreni, Angeli Ecclesie*. August. Quæst. Vet. & Nov. Test. cap. 127. *Antislitem Dei*, inquit, *puriorem ceteris esse oportet . . . Est enim Vicarius ejus Christi*; & Auctor nomine Ambrosii, sub quo Hilarium Ecclesie Romanæ diaconum delitescere eruditi suspicantur, Comm. in I. Cor. XI. 10. *Episcopus personam habet Christi . . . Vicarius Domini est*. Auctor Constit. Apostol. Lib. II. cap. 26. Episcopum vocat *Επίσκοπος Θεός* Terrenum Deum: *Hic vobis Επίσκοπος Θεός* Terrenus Deus, cui honorem debetis prestare; ac demum August. Ep. 162. *Divina voce laudatur sub Angeli nomine Prepositus Ecclesie*. Eodem nomine Episcopi donantur ab Ambrosiastro, Epiphanio, Socrate, aliisque.

9. Quibusdam etiam Episcopis vel singularem meritorum intuitu, vel propter Sedis eminentiam tributa quoque invenimus nomina *Patris Patrum, Episcopi Episcoporum, & Patriarchæ*. Sidonius Apollin. *Lib. VI. Epist. 1.* Lupum insignem Gallie Episcopum sic adloquitur (3): *Tu Pater patrum, & Episcopus Episco-*

---

(3) Fortasse hic Sidonius adlusit ad Epistolam Pseudo-Cler.

scoporum, & alter seculi tui Jacobus Patris Episcoporum nomine donantur ab Athanasio *Epist. ad Solitar.* Hosius, ab Hieronymo *Epist. LXI.* Epiphanius, ab Gregorio Nazianz. *Orat. XIX.* suus ipsius Pater, ab Synodo Nicæna II. *Act. VI.* Gregorius Nyssenus, ab Theodosio, teste Nicephoro *Lib. XIV. cap. 43.* Chrysostomus &c. Ac demum Nazianzenus *ibid.* Patrem suum *Patriarcham* nominat, quamvis Nazianzi, quod Cappadociæ oppidulum est, fuerit Episcopus: & Nyssenus *Orat. de funere Meletii*, quam in Concilio Constantinopolitano habuit, omnes in ea congregatos Episcopos Patriarchas nominat, *Videte*, inquit, *hos Patriarchas: omnes isti filii nostri Jacobi sunt:* intelligens Meletium, quem seculi sui Jacobum vocat. Atque adeo Episcopatus ipse aliquando *ἐπισκοπικὸς* Patriarchatus dictus est. Nazianz. ipse *Cygn. Carm. de Episcopis* T. II. p. 308. Episcopis in suæ ipsius Ecclesiæ functiones fraude sese insinuantibus in hunc modum valedicit: *Valete; insolentes estote: Patriarchatus per sortes inter vos distribuite. Magnus hic mundus vobis cedat. De locis aliis in alia migrate. Hos dejicite, illos adtollite.* Ergo ita Episcopi vobiscupati sunt ad illud usque temporis, quo nomen Patriarchæ eminentiorum tantummodo Episcoporum coepit esse proprium (4).

10. Po-

---

*Clementis ad Jerosolym. Episcopum Jacobum, quæ sic inscribitur: Clemens Jacobo Domino Episcopo Episcoporum. Cur Patres Patrum aliquando nuncuparentur Episcopi, verisimilem adfert rationem Epiphanius. Heres. LXXI. Episcoporum, inquit, Ordo ad gignendos Patres præcipue pertinet. Quum ex adverso Presbyteri filios tantum Christo per baptizandi potestatem parturire possint.*

(4) *Petrus de Marca Dissert. de Primatibus contendit Athalarium, & reliquos Gothorum Reges in Italia omnes sue ditiquis Episcopos eodem nomine Patriarchas nuncupasse.*

10. Postremo *Papæ* nomen prioribus Ecclesiæ sæculis communis fuit Episcoporum titulus. Dionysius Presbyter Alexandr. Heraclam suum Episcopum vocat *Beatissimum Papam*: apud Eusebium *Lib. VII. cap. 7.* Eodem titulo ornantur ab Hieron. Athanasius, Epiphanius, & Paulinus: *Epist. 61. ad Pammach.* Tum Paulinus Nolanus frequentes ad Augustinum mittens Epistolas, semper eas inscribit, *Beatissimo Papæ Augustino*: *Epist. 17. 18. 25. 30.* Verum de *Papæ* nomine opportunior, ubi de R. Pontifice, sermo redibit.

§. V. *De quibusdam observantiæ indiciiis, quibus Episcopi a Fidelibus colebantur.*

VI. Quamvis omnes ex æquo Clerici pluribus, iidemque singularibus fruerentur prærogativis, de quibus sigillatim suo loco: erant tamen quædam veluti honoris, & subjectionis argumenta, quæ Episcopis tantummodo deferrebantur. 1. Erat caput coram ipsis inclinare ad recipiendam eorum benedictionem. Ipsi etiam Imperatores ejusmodi obsequio erga Episcopos sese gerebant, uti ex Serm. Hilarii advers. Constantium liquet: *Osculo Sacerdotes excipis... Caput benedictioni submittis* (5).

2. Eorum manus exosculari, quod priori cæremoniæ junctum autumo: utrumque enim simul necit Ambrosius de Dignit. Sacerd. cap. 2. *Quum videas Regum colla, & Principum submit-*

---

(5) Istuc respexisse videtur Valentinianus Imp. ubi Episcopos ad Prasilem Mediolanensem eligendum congregatos admonens, ut non nisi talem in Episcopali Cathedra collocarent, quem omni virtutum genere exornatum noscent, subnectit: Ut ipsi, qui regunt imperia, sincera voluntate illi capita sua inclinent. Adis. Valesium, qui in Notis ad Theodor. Lib. IV. cap. 1. plura hujusce præce, exempla ex antiquis auctoribus colligit.

submiti genibus Sacerdotum, & exosculatis eorum dexteris, eorum orationibus credant se communiri. Consulendus Savaro Notis in Sidonium Apollin. Lib. VIII. Ep. 2. quibus Paulini, Chrystostomi, Ennodii, aliorumque veterum testimonia in hanc rem profert (6).

3. Uti olim multitudo Christo urbem Ierosolymorum ingredienti in Hofanna adclamavit, id quoque Episcopis suis aliquando fideles præstitisse testatur Hieron. in Matth. XXI. (7).

4. Interdum ubi quis Episcopum adloqueretur, sermonem plerumque suum hoc titulo inchoabat: *Precor coronam, vel per coronam vestram*

(6) Chrystostomus Hom. XLV. in Meletium scribit ejusmodi obsequii indicium plerumque a populo Meletio fuisse exhibitum: Ubi, inquit, ad Antiochenos venerit, universam civitatem ei obviam ivisse, alios quidem, qui prope accesserint, & pedes ejus prehensantes, & manus ejus osculantes &c.

Huc facit, ac notandum prorsus duo, quod de S. Ambrosio scribit Paulinus in ejus vita: Quum adolevisset, inquit, & esset in urbe Roma constitutus cum matre vidua, & sorore, qua virginitatem jam fuerat professa, comite alia virgine . . . quum videret Sacerdotis a domestica Sorore, vel matre manus exosculari, ipse ludens offerebat dexteram, dicens & sibi id ab eis fieri oportere, siquidem se Episcopum futurum esse memorabar.

(7) Ejusmodi consuetudinem Hieron. damnare potius videtur, tanquam plus justo honoris homini adhuc mortali tribuentem: de ea enim sic scribit: Videant ergo Episcopi, & quantumlibet sancti homines, cum quanto periculo dici ista sibi patiantur; si Domino, cui vere hoc dicebatur (quia necdum erat solida credentium fides) pro crimine impingitur.

Tum Itinerarium Antonini Monachi citatum a Valesio Not. in Eusebium Lib. II. cap. 23. ejusmodi habet salutationem Episcopis exhibitam: Benedixi vos a Domino, benedictusque adventus vester; Hofanna in excelsis. Eundem honorem a christianis Jacobum Ierosolym. Episcopum accepisse Auctor est Hezesp. apud Eusebium Lib. II. cap. 23. Quod tamen potius ejus sanctitati tributum videtur, quam Episcopatu. Eodem hie sensu intelligendum quoque videtur, quod de eodem sanctissimo Virgo scribit Hieronym. Com. in Gal. cap. 1. scilicet fuisse cum virum tantæ sanctitatis, & rumoris in populo, ut sumbriam ventimenti ejus ceptatim cuperent attingere.



*fram*: cujus sane cæremoniæ origo viris doctis adhuc obscura.

5. Titulis quoque *Deo Amantissimi*, *Sanctissimi*, aut *Beatissimi* haud raro insigniri conueverunt. Justinianus Novell. XL. *Imperator Petro τῷ Ὁσιώτῳ Sanctissimo, & Μακαριώτατῳ Beatissimo Archiepiscopo Jerosolymorum*. Item Novell. XLII. LXVII. LXXXVI. &c. Conc. Chalcedon. Act. X. *Deprecatio Θεοφιλεστοῦ Deo amantissimis, & sanctissimis Episcopis*. Tum plures Hieronymi ad Augustinum Epistolæ hanc habent ἐπιγραφὴν: *Domino vere sancto, & Beatissimo Papæ Augustino* (8).

6. Episcopis in Ecclesia præ reliquis Presbyterorum sedibus semper eminentior quidam, & celsior designatus veluti Thronus est. Unde Sedes Episcoporum Alexandrini, & Jerosolymitani *Throni* vocati sunt *Apostolici*. Eusebius *Lib. VII. cap. 19. 32. Nanz. Orat. XXI.* & ab eodem Nanzianz. aliisque nonnunquam Sedes Episcopalis *Thronus* nuncupatur *Altus, Excelsus, Sublimis*, comparate duntaxat ad Sedes Presbyterorum, quæ ad latus positæ

*Thro-*

(8) Serraro Notis in Sidon. Lib. VI. Epist. 3. censet ejusmodi loquendi formulam ab tonsura Episcopalis figuram respexisse. Alii ab ornamento eam deducunt, quod in capite suo gestaverit Episcopus, quæque mitram, vel coronam fuisse voluit; & sane de Jo. Apostolo scribit Pterygates apud Eusebium Lib. V. cap. 24. Sacerdos fuit, & πῆταλον laminam portavit; & de Jacobo Jerof. Episcopo Epiphani. Heres. 29. num. 4. Jacobus πῆταλον laminam, sive bracteam in capite gessit; & quidem Sacerdotum Judaicorum instar, qui eandem in capite gestare consueverunt. Binghamus Lib. II. cap. 9. n. 5. metaphoricum autumat fuisse loquendi morem, quo Episcopalis Ordinis dignitas, & regale Christi Sacerdotium, in ipsis singulari gloria præfulgens, significaretur. Clarissimus Dominicus Cavallarius in suis Institutionibus Juris Canonici Part. I. Cap. XXXII. §. VIII. novam hac de re adfert interpretationem, nimirum ejus locutionis genus ex forma presbyterii dimanasse. Ejusmodi autem sententiam pluribus ibidem adstruit, ut ipsam vero oppido similem reddidisse merito sibi gratulari possit.

*Throni secundi dicebantur. Porro Episcopis in suis sedibus nimia prorsus vitanda erat sublimitas, & magnificentia, qua potius invidiam subirent, & ab Ecclesiæ hostibus contemptum nanciscerentur, quam decori ipsorum, & venerationi consultum iretur. Unde Paulo Samo- satensi in Conc. Antiocheno vitio tributum est, quod tribunal, & sublimem thronum, non ut Christi discipulus, sed ut quidam hujus mundi princeps sibi in Ecclesia construxerit.*

§. VI. *Singulis Civitatibus nonnisi singuli præficiendi Episcopi.*

VII. *Quamvis in unaquaque Ecclesia plures esse possent presbyteri, qui presbyterium, Ecclesiasticumque senatum constituerent; semper tamen ab ævo usque apostolico ea viguit universalis Ecclesiæ lex, ut unus tantum in singulis civitatibus ordinaretur Episcopus. Cyprianus Epist. 55. al. 59. Unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Christi. Hac de causa Novatianus contra Cornelium Episcopus Romæ ordinatus ab omnibus universim Catholicis Episcopis, ceu Legis Ecclesiasticæ violator, damnatus est. Quinimmo Cyprianus ipse Ep. 52. al. 55. eundem adulterum vocat, & extraneum; tum Ep. 44. al. 46. communicatorias ejusdem litteras ab Synodo Africana fuisse rejectas scribit, quippe qui profanum erigere altare, & adulteram cathedram collocare, & sacrilega contra verum sacerdotium sacrificia offerre tentaverit. Non absimili ratione quum Constantius Imperator Populo Romano significasset velle se Liberium, & Felicem Episcopalis Romanæ Sedis esse socios, refert Theodoretus Lib. II. cap. 14. una voce omnes pariter exclamasse: Unus Deus, Unus Christus, Unus Episcopus.*

VIII.

VIII. Et sane 1. Ignatius quam sæpissime in suis Epistolis in una Ecclesia nonnisi unum cum suo presbyterio exhibet præsentem Episcopum. Quem scribendi morem 2. ab omnibus, qui deinceps horuere, Patribus servatum offendes. 3. Conc. Nicæn. *Can. VIII.* de Episcopis Novatianis ad Ecclesiam revertentibus decernit ipsis *Chorepiscopi, vel Presbyteri locum* assignandum, *ut omnino esse in Clero videantur, & in una urbe non sint duo Episcopi.* Origenes quidem Hom. XIII. in Lucam duos videtur in singulis ecclesiis Episcopos constituere: *Per singulas Ecclesias bini sunt Episcopi.* At vero statim mentem suam aperit, scilicet de Episcopo visibili, & invisibili, homine, & angelo; subnectit enim: *Alius visibilis, alius invisibilis... Ego puto inveniri simul posse & Angelum, & hominem, binos simul Episcopos.*

IX. Illud heic omnino animadvertendum, haud semel ad diuturnum aliquod, & inveteratum Schisma finiendum duos aliquando Episcopos in una eademque Ecclesia sedisse, & utrumque dignitatem potestatemque episcopalem ex æquo exercuisse. Istiusmodi conditionem Meletius Episcopus Antiochenus Paulino adversario suo Ecclesiam ab ipso separatam habenti benigne obtulit, cui tamen, referente Theodoro (9), Paulinus non acquievit; auctorem

---

(9) *Theod. Lib. V. cap. 3.* Meletius mortalium omnium mitissimus amanter, & benigne compellans Paulinum: Quoniam, inquit, & mihi ovium istarum curam Dominus commisit, & tu alias oves curandas suscepisti, ovesque inter se consentiunt, greges nostros, amice, conjungamus, & contentionem de præfectura dirimamus, ovesque in commune pascentes, communem illis curam impendamus. Quod si de media sede est controversia, ego hanc etiam conaber remove. Ponatur enim in ea, quæso, sacrum Evangelium, & ex utraque parte nos sedeamus; & si quidem prior ego e vita excessero, tu solus, amice,

ream Meletii Paulinum adloquentis orationem refert Theodoretus, quam vide inferne. Eadem conditio Donatistis quoque in Africa ab Catholicis oblata est, ut libentius, & facilius ad Ecclesiæ Catholicæ communionem redirent, ac simul diuturna Africanarum Ecclesiarum divisio auferretur. Collatio Carthag. l. cap. 16. *nobiscum teneant unitatem, ut non solum viam salutis inveniant, sed nec honorem Episcopatus amittant.* Quæ sane pactio in iis, qui ad Ecclesiæ redierunt unitatem, accurate servata est; *ibid.* enim additur: *Nam hoc ab ipsius separationis exordio in eis, qui damnato nefariæ discessionis errore, unitatis dulcedinem vel sero sapuerunt, catholica dilectio custodivit.*

X. Aliud etiam in causâ esse poterat, saltem ex sententia Hammondi, & Pearsonii, ut duo in eadem civitate essent Episcopi: nimirum ubi in eadem civitate Judæi essent, & Gentiles ad fidem conversi; ita ut alter Judæorum esset Episcopus, alter Gentilium. Ejusmodi morem Antiochiæ servatum censent, ubi Evodius, & Ignatius Episcopi, ab Apostolis ordinati dicuntur: uti quoque Linus, & Clemens Romæ; & alter quidem a Petro Judæorum Episcopus, alter a Paulo Episcopus Gentilium. Verum ejusmodi opinio aliis viris

gregem reges: sin autem tibi prius il contigerit, ego rursus ovium pro viribus curam geram. Quæ quam benigne, amanterque a divino Meletio proferrentur, Paulinus tamen non adquevit.

(10) *Cotelarius Not. in Constitut. Apost. Lib. VII. cap. 46.* ex Apostolici, *inquit*, Constitutoris verbis concludunt viri docti, Evodium, & Ignatium simul fuisse Antiochiæ Episcopos, illum gentibus datum, hunc Judæis. . . Subtiliter profecto, & ingeniose hæc, ac, si vis etiam, verisimiliter: mihi tamen res non persuadetur facile. Quia, quod volunt, non dicit aperte Constitutio: immo magis videtur exponenda per communem successio- nis morem.

viris doctis (10) non probatur; atque adeo Pearsonius ipse ab ea recessit *Dissert. II. de success. Rom. Pontif. cap. 3.*

XI. Porro negandum non est, Regulæ generali de unico in singulis civitatibus Episcopo legitimam illam fuisse exceptionem: nimirum quum Episcopis vel grandævus, vel infirmis Coadjutores dabantur, qui, Episcopo adhuc vivente, ordinati, iisdem postea in Episcopatu succederent. Sic Narcissus Jerosolymitanus Episcopus ob longius productum senium, annos enim agebat centum, & viginti, Alexandrum sibi Coadjutorem in Episcopatu adscivit. Quod ex divina revelatione factum scribit Eusebius (11).

XII. Atque hoc primum exemplum occurrit Coadjutorum Episcoporum, uti recte observavit Valesius Notis ad Eusebium *Lib. VI. cap. 2.* At secutis temporibus similes deinceps occurrunt Coadjutorum electiones. Sic Theotecnus Episcopus Cæsariensis Anatolium sibi Coadjutorem adjunxit ea conditione, ut *ambo eandem Ecclesiam gubernarent*: ut scribit Eusebius *Lib. VII. cap. 32.* Maximus Jerosolymitanus Episcopus *una cum Macario Episcopali munere functus est* ex Sozomeno *Lib. II. cap. 20.* Orion Episcopus Palæbiscensis ex Synesio Ep. 67. *beatæ memoriæ Siderium elegit.* Joannes Episcopus Apameæ ex Theodor. *Lib. V. cap. 4. dum tempestas sæviret, adiutorem operis episcopalis habuit Stephanum.*

Gre-

---

(11) Eusebius *Lib. VI. cap. II.* Verum quum propter extremam senectutem ministerium suum obire amplius non posset, supradictum Alexandrum alterius Ecclesiæ Episcopum divina dispensatione per revelationem quandam, quæ illi in somnis adparuerat, ad participandum cum Narcisso Sacerdotis officium vocavit. Profecto Narcisso divina revelatione opus fuit, non ut sibi coadjutorem adjungeret, sed ut jam alterius Ecclesiæ Episcopum ad id muneris evocaret. Nam alias Coadjutoris electio communi Episcoporum suffragio firmata legitima habebatur.

Gregorius Nazianzenus simul cum parente suo sene Nanzianzum rexit, quod non modo Hieron. Socrates, aliique veteres testati sunt, verum & ipse Gregorius Orat. VIII. ad Patrem. *Proinde, inquit, nunc quidem cum praeclaro Parente meo curam hanc suscipere non recusabo, velut magnae aquilae, & altissime volantis pullus non incommodus e propinquo.* Postremo Augustinus Hipponensium Episcopus vivo adhuc Valerio ordinatus una cum ipso ad aliquod tempus cathedram Episcopalem tenuit.

XIII. Jam vero haec, aliaque ejusmodi exempla occurrunt etiam post Synodum Nicenam, cujus Canone VIII. sancitum est: *Ne in una Civitate duo Episcopi probentur existere.* Quae de re ubi Augustinus Eradium, quem Ecclesia consentiente suum nominavit successorem, ordinare recusavit, strictiori quadam notione Canonem Nicenum interpretatus est; quum contra alii duos in una civitate Episcopos Canone Niceno duntaxat vetari sentiebant, ubi justa deficeret causa, nec Ecclesiae conditio id necessario exoptularet. Profecto quando Augustinus ipse Valerio consecrator accessit, ut scribit Possidius *Vit. August. cap. 8.* scrupulus ea de re ei subnatus est; at tandem ordinari se passus est, edoctus ejusmodi morem aequae in Africa, ac in transmarinis Ecclesiis receptum esse.

§. VII. *Episcopi in parvis Oppidis haud ordinandi.*

XIV. Haec lex in Synodo Sardicensi primum sancita occurrit, cujus Canon VI. sic habet: *Non licet simpliciter Episcopum constituere in aliquo pago, vel parva civitate, cui vel unus Presbyter sufficit; tum Legis ratio subne-*

subnectitur: *ne Episcopi nomen, & auctoritas vilipendatur*: quinimmo Athanasius Apolog. II. tradit *præter majorum traditionem esse in pagis Episcopos ordinari*.

XV. Verum hæc lex non ubique obtinuit: nanque cum ante, tum post Concilium Sardicense Episcopi in parvis civitatibus, & vicis constituti occurrunt. Nanzianus a Socrate *Urbs exigua* dicitur; & Gregorius Nanzianz. Patrem suum istius urbis Episcopum *Exigua Urbis Episcopum* nominat: *Orat. XIX. de Laud. Patr.* Tum nonnisi parva Oppida erant *Geras* prope Pelusium, *Dolicha*, & *Cucusus*, in Armenia. Vicos quoque duntaxat fuisse constat *Olbian*, *Hydracem*, & *Palæbiscam*; attamen omnia istæc loca suum quæque Episcopum habuisse testantur Sozomenus *Lib. VIII. cap. 19.*, Chrysofomus *Epist. 125.* Theodoretus *Lib. II. cap. 5. & Lib. V. cap. 4.* Synesius *Epist. 76.* & Sozomeno *Lib. VII. cap. 19.* adtestante *in aliis provinciis interdum etiam vici consecratos habebant Episcopos, sicut in Arabia, & in Insula Cypro.* Idem dicas de Africanis, & Romanis Provinciis, in quibus frequentissimi vel in oppidulis Episcopatus: uti patet ex subscriptionibus Conciliorum. Vide *Dissert. de Eccles. Setin. Cl. Viri Georgii.*

XVI. Cur vero Episcopatus in exiguis quoque locis nonnunquam erigerentur, illud potissimum in causa fuisse videtur, quod quum unusquisque Episcopus, Concilio Provinciali adprobante, Diocesim suam dividendi, novosque constituendi Episcopatus haberet facultatem, nonnunquam istoc utebatur jure, præsertim ubi loca quædam nimium ab Episcopali Sede distarent, & ibi converforum multitudo aufereret, ac simul plures adhuc reliqui essent, qui ad Catholicam Ecclesiam reduci possent. Istæc ratio Augustinum movit,

vit, ut in suæ Diœceseos Oppido Fussala novum Episcopatum erigeret (12). Et Basilus, Cappadocia in duas partita provincias, Antimo Tyanae Episcopo metropolitico jus in una sibi vindicanti provincia libenter cessit, at simul suæ jurisdictionis jacturam compensare studuit, novos in sua provincia Episcopatus erigens, uti Sasimæ, aliisque quibusdam ejusmodi obscuris oppidis; in quo sane Basilii pietatem, & prudentiam maximopere commendat Nanzianz. quod istoc remedio & fidelium creverit numerus, & bellum inter duos Metropolitanos fuerit sapienter compressum: adeo semper Ecclesiæ emolumentum, & animarum salutem sanctissimi illi Episcopi intendebant. Nanzianzenus Orat. XX. de laudibus Basilii: *Hoc remedium erat hujus mali magnum, & admirandum, & illius anima dignum. Etenim dissidium hoc in Ecclesiæ commodum, & incrementum convertit, atque hanc calamitatem quam pulcherrime constituit patria nimirum pluribus Episcopis communita.*

## C A P U T XIII.

De Episcopatus, eidemque adnexæ Potestatis origine.

I. **P**ROgredimur ad divinam Ecclesiasticæ Hierarchiæ institutionem, in qua principem locum obtinent Episcopi. Jam vidimus superiori Capite honorificentiores quosdam titulos, & summæ præcellentiæ nomina olim

Tom. I.

L

Epi-

(12) *Augustinus Epist. 161. ad Cælest. Quæ ab Hippone memoratum castellum millibus quadraginta sejungitur cum in eis regendis, & eorum reliquiis licet exiguis colligendis me viderem latius, quam oportebat, extendi, nec adhibendæ sufficerem diligentia, quam certissima ratione adhiberi debere cernebam, Episcopum ibi ordinandum, & constituendum curavi.*



Episcopis tribui usitatissimum fuisse, quibus sane non indicari modo, verum & satis efferi illud videtur; nimirum non ordinem tantum, sed Jurisdictionem etiam, & Imperium Jure divino niti, & ab ipsa proficisci Christi institutione. Attamen haud pigebit in tam pulchrum, tamque copiosum argumentum exquisitius inquirere, atque Episcopalis Potestatis tum originem, tum incrementa, tum denique vicissitudines *βραχέως* breviter quidem, at vero ex ordine distincte exponere.

§. I. *Episcopi a Christo Domino αμέσως immediate plenitudinem Sacerdotii, supremamque in Ecclesiae regimine potestatem accipiunt.*

II. *Apostoli αμέσως immediate a Christo Domino æque Apostolatam, ac Episcopatum acceperunt. Et sane ubi Christus Apostolos sui vicarios constituit, eisdemque Apostolos simul, Episcopos, & Sacerdotes instituit, ita Jo. XX. est adlocutus: Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos . . . Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c. & Matth. XVIII. Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra: Euntes igitur docete omnes gentes &c. Atqui Apostoli quam potestatem a Christo Domino pro perpetuo Ecclesiae regimine acceperunt (1), eandem in suos successores transfuderunt. Ad rem Clarus a Masculo apud Augustinum Lib. VII. de*

---

(1) *Duplex a Christo potestas Apostolis concedita est: nimirum Apostolatus, & Episcopatus. Prior Apostolos constituit testes vitæ, doctrinæ, & resurrectionis Jesu Christi, unde plurima ipsis dona impartitus est: copia Spiritus S. Doctrinæ infallibilitas, Plenitudo scientiæ, Gratia curationum &c. Posterior Apostolis perpetuum Ecclesiae regimen concedidit. Porro in hanc, haud vero in illam Episcopi Apostolis succedunt.*

de Baptismo contr. Donatist. cap. 43. *Manifesta est sententia Domini nostri Jesu Christi Apostolos mittentis, & ipsis solis potestatem a Patre sibi datam permittentis, quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes. Et Augustinus ipse in illud Psalmi: Pro Patribus nati sunt tibi filii, sic edisserit: Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos adpellat, ipsa illos genuit, ipsa illos constituit in Sedibus Patrum.*

III. S. Paulus *Actor. XX.* excitando studio, & caritati Episcoporum erga suas Ecclesias co-  
utitur argumento, quod a Spiritu Sancto ad  
illam regendam positi sint: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos idem* posuit  
designavit, constituit *Spiritus S. regere Eccle-*  
*siam Dei.* Heic sane docet Apostolus Episco-  
pos pascendas oves, & in eadem potestatem  
*quæ ipsas immediate a Spiritu S. accepisse:* ita  
Gregorius M. *in Pastoralis,* & Chrysostomus  
*Lib. III. & IV. de Sacerdotio.*

IV. Ex concordi antiquorum Patrum sen-  
tentia tria constant. 1. Plenitudinem Sacerdo-  
tii in Episcopatu constituendam.

2. Episcopos Apostolorum successores esse,  
iisdemque *Vicaria ordinatione* succedere.

3. Uni, eidemque Episcopatu omnes Ec-  
clesiæ Episcopus ex æquo participare. Quæ  
sane indicant quam evidenter Episcopos recta  
a Christo suam accipere potestatem.

V. Et sane I. Hier. adversus Lucifer. de-  
cet, *Ecclesiæ salutem in summi Sacerdotis di-*  
*gnitate pendere, cui si non exors, & ab omni-*  
*bus eminent detur potestas, tot in Ecclesia ef-*  
*ficientur Schismata, quot Sacerdotes.* Unde Ca-  
nonibus *Apost. XL. & Antioch. XVI.* mox pro-  
ducendis Episcopo Populi, & animarum, quæ

in Ecclesia congregantur, cura adferitur, pro quibus etiam rationem sit redditurus; &, uti nuper observavimus, *Summi Sacerdotes, Summi Pontifices, Principes Sacerdotum* nuncupari Episcopi, aliisque ejusmodi titulis insigniri consuevere.

2. Constans est veterum Patrum sententia Apostolis in Ecclesiæ regimine Episcopos succedere. Audiendi duntaxat Cyprianus, & Hieron. Cyprianus Lib. IV. Ep. 9. *Christus dicit ad Apostolos, ac per hos ad omnes Præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt: Qui vos audit &c.* Hieron. Ep. 85. ad Evagrium: *Ubicumque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Regii.... omnes Apostolorum successores sunt* (2). His adde modo productam Clari a Masculo auctoritatem.

3. Cypr. de unit. Eccles. *Episcopatus unus est, cujus singuli in solidum partem tenent: & in Ep. 68. al. 67. scribit, Episcoporum corpus, sive collegium ita esse concordiae mutuae glutine, atque unitatis vinculo copulatum, ut, si quis ex ipso collegio hæresim facere, & gregem Christi lacerare, & vastare tentaverit, subveniant ceteri: cujus doctrinæ hanc adfert rationem: Nam etsi pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus.* Tum pluries, præsertim in suis Epistolis, unitatem Episcopatus memorat, & concordem Episcoporum sibi invicem Sacerdotii glutine cohærentium universitatem. Neque omittendus Augustinus Epist. ad Bonifacium Rom. Pontificem: *Communis est, inquit, nobis omnibus, qui fungimur Episcopatus officio (quamvis ipse in eo celsiore fastigio præeminens) specula pastoralis.*

Quum

---

(2) Eadem habent Cyprianus ipse Lib. II. Epist. 10. Lib. III. Epist. 9. Lib. I. de Unitate Ecclesiæ, & Origenes Tract. I. in Matth. Pacianus Epist. 3. alique apud Thomass. Parte 1. Lib. II. Cap. 50. & 51.

Quum igitur ipsemet Ecclesiæ auctor Christus Dominus plenitudinem Sacerdotii per Episcopatum Apostolis, eorumque successoribus Episcopis *ἀμέσως immediate* impertierit quisnam non fatebitur Episcopos supremam in Ecclesiæ regimine potestatem recta a Christo Domino accipere?

§. II. *Episcopalis potestas nullis personarum, aut locorum finibus divinitus circumscripta est.*

VI. Jam vero Episcopalis potestas non modo Christum Dominum sui proximum in Episcopis agnoscit auctorem, ac veluti largitorem; verum & primæva sui origine nullis locorum, aut personarum limitibus divinitus est circumscripta. Namque *Diœcesων*, sive *Parœciarum* distinctio, sive partitio nonnisi jure positivo primum inducta est: id quod pluribus constat. Et quidem 1. Apostoli, quibus Episcopi succedunt, in universum mundum ad prædicandum Evangelium a Christo Domino missi sunt: qua de re licet ex communi, mutuoque consilio, ut Evangelium facilius, feliciusque disseminari posset, totum orbem veluti in quasdam *Diœceses* diviserint, quarum singulas singuli erudiendas susceperunt; non vetabantur tamen, quocunque pervenissent, populos docere, Ecclesias fundare, iisdemque Episcopos constituere. Unde S. Petrus, cui *Occidentales* obtigere instituendæ regiones, *Orientalium* quoque curam gessit, & S. Jacobo *Jerosolym.* Episcopo non modo *Ecclesiæ in Jerosolymis*, verum *& omnium*, que ubique *Dei providentia fundatæ sunt*, Ecclesiarum regimen tribuit *Pseudo-Clemens Ep. ad Jacobum.*

2. Apostoli aliquando discipulos a se rite

institutos, & ordinatos ad amplas etiam Diceceses, quo ipsi pertingere non poterant, ablegare consueverunt; & quidem cum potestate alios constituendi, & ordinandi, cujus rei exemplum habemus in D. Paulo, qui Titum reliquit Cretæ, *ut ea, ait, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Tum Chrysost. Hom. VI. adv. Jud. de Timoth. scribit: *Ille justus, ille sanctus, ille, qui orbis præfecturam suscepit.*

3. Idem mire adstruitur ex ipsa Episcopatus essentia, qui, uti modo observavimus, natura sua unus est Episcoporum multorum concordii universitate diffusus: haud secus ac ipsa Christi Ecclesia, cujus præcipuus character *Unitas* est, licet per varias, diversasque orbis regiones diffundatur. Institutione divina nimirum ita constitutus Episcopatus, ut & potestas esset amplissima, & locus non esset circumseptus; circumscribi tamen posset communi consilio, ac suprema Ecclesiæ potestate. Qua de re quum id præstitit Ecclesia, non Potestatem, sed potestati locum circumscripsit.

VII. Porro licet antiquissimo jure, atque adeo etiam institutione apostolica Episcoporum potestas, ne confusio in Christi corpus induceretur, certis inclusa fuerit locorum limitibus; unde *Lib. de Unit. Eccles.* scribit Cyprianus: *Singulis pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque, & gubernet:* attamen non defuerunt Sanctissimi, iidemque sapientissimi Episcopi, qui ultra statutos limites, proprias scilicet Paroecias, Episcopalem exercerent jurisdictionem, si quidem necessitas, aut salus populi, deficientibus, corruentibus, abscissis pastoribus, id postularet: eo forte principio, quod Episcopatus unus sit,

cujus in solidum pars tenetur a singulis, adeo ut in solidum obligati ad gregis salutem præsto essent, ubi deficerent, corruerent, abscederentur alii, quorum & locum, & onus ex caritate subibant. Unde Cyprianus nuper laudatus: *Si quis ex collegio nostro hæresim facere, & gregem Christi lacerare, & vastare tentaverit, subveniant ceteri... Nam etsi pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus, & oves universas, quas Christus sanguine suo, & passione quæsit, colligere, & fovere debemus.* At nulla necessitate urgente suo cuique Episcopo pars gregis, circumscripto territorio, assignata est, extra quam aliquid moliri vetitum, & quidem ex Apostolica disciplina.

VIII. Atque hinc de S. Cypriano scribit Nanzianzenus, quod non Ecclesiæ solum Carthaginensis, ac totius Africæ: verum & aliarum Ecclesiarum etiam per Orientem curam egerit (3). Huc quoque faciunt exempla Athanasii, & Eusebii Samosatensis. Ille nanque, teste Socrate (4), ex exilio redux in quibusdam Civitatibus ad suam Ecclesiam non pertinentibus plures fecit ordinationes; hic vero ex Theodoro (5) per Syriam, Phœniciam,

L 4

Pa-

(3) *Nanz. Orat. 19.* Episcopus universalis fuit, quod non Carthaginensi tantum Ecclesiæ, nec Africæ, verum & occiduis omnibus regionibus, ac prope etiam orientali omni, atque australi, & septentrionali ræ præfectus fuerit *Eadem de Cypriano scribit etiam Basilus Orat. 21.*

(4) *Socrat. Lib. II. c. 21.* Athanasius per Pelusium iter faciens Alexandriam... in quibusdam Ecclesiis ordinationes fecit.

(5) *Theodor. Lib. IV. cap. 12.* Qui quum multas Ecclesias Pastoribus carere didicisset, militari habitu indutus, & tiara capiti imposita, Syriam, Phœniciam, & Palæstinam peragravit, Presbyteros ordinans, & Diaconos, aliosque sufficiens ordines Ecclesiasticos. Quod si quando doctrina consentientes Episcopo invenisset, etiam Pontifices

Palæstinam, a. i. a. que Provincias militari habitu indutus Episcopos, Presbyteros, Diaconos ordinavit. Epiphanius quoque Paulinianum Hieronymi fratrem in monasterio extra suam Diœcesim sito primum Diaconum, dein & Presbyterum ordinavit (6). Profecto hi, alii- que (7) SS. Episcopi, quum de fidei Christianæ veritate adversus gliscentes hæreses ageretur, necessitate compulsi, suarum partium esse duxerunt manum admove- re, & pro quibusvis aliis non minus, quam pro suis ipsorum Diœcesibus laborare: quod nunquam præstissent, si jure Divino Diœcesonum partitio instituta fuisset.

## §. III.

ces carentibus Ecclesiis præficiebat. Et *Lib. V. cap. 4.* Magnus Eusebius ab exilio reversus Acacium Bercæ ordinavit Episcopum, Chalcidis porro Eusebium, & Cyri nostræ Isidorum . . . sed & Eulogium ab eo ferunt Edessæ Pastorem fuisse ordinatum . . . Postremum omnium Marim Divinus Eusebius Dolichæ creavit Episcopum.

(6) *Joannes Jerosolymorum Episcopus graviter de Epiphania conquestus est, quod in monasterio sua Diœceseos ordinationes facere præsumsisset: at Epiphanius gravem pro se scripsit apologiam; & ex eo potissimum principio sese defendit, quod, postulante necessitate, caritati, quæ omnibus præponenda est, sit indulgendum. Nam et si, inquit in Ep. ad Ioan. Jeros., singuli Ecclesiarum Episcopi habent sub se Ecclesias, quibus curam videntur impendere, & nemo super alienam mensuram extenditur, tamen præponitur omnibus caritas Christi, in qua nulla simulatio est, nec considerandum quid factum sit, sed quo tempore, & quo modo, & in quibus, & quare factum sit.*

(7) *Amphilochius, licet esset membrum Diœceseos Asiæ, Isauricæ tamen Ecclesiæ, quæ ad Orientalem pertinebat Diœcesim, curam gessit: quo nomine laudatur etiam a Basilio: uti Basilius ipse Ecclesias Armenicæ aliquando curavit: Epist. 183. 296. & alibi. Tum Theodoretus Lib. V. cap. 4. de Hilario Pictaviensi, & Eusebio Vercellensi scribit. Isti viri, velut magnifica quædam lumina Illyricum, & Italiam, Galliaque suo splendore radiarunt.*

(8) *Jam vero illud huic παρέρως animadvertendum, quod licet aliquando ad fidem tuendam caritate urgente in alienis Diœcesibus quid egerint: attamen Universalis totius Ecclesiæ providentia præcipue ad R. Pontificem pertinet, quippe qui divino jure constitutus Caput, & Primas universæ Christianæ Ecclesiæ: verum de istoc Capite alias erit dicendi locus.*

§. III. *Episcopis antiquitus in omnes prorsus suarum Dioceseon fideles potestatem exercere jus erat.*

IX. Quum igitur Dioceseon, five Parœcia-  
rum partitio nonnisi jure positivo primum in-  
ducta sit; potiori ratione nonnisi juri huma-  
no tribuendum est, ut aliquis hominum cœ-  
tus ab proprii Episcopi potestate sit exemptus.  
Et sane antiquitus omnes prorsus hominum  
ordines in Diocesi Episcopis subjecti erant.  
Unde Cyprianus Ep. 69. al. 66. Ecclesiæ *ὁμοίαν*  
*essentiam* in eo esse docet, ut sit *plebs Sa-*  
*cerdoti unita, & pastori suo grex adherens;*  
*Unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse.*  
*& Ecclesiam in Episcopo; & si qui cum Epi-*  
*sco non sint, in Ecclesia non esse.* Et S. Igna-  
tius Ep. ad Smyrn. scribit: *Is, qui clam Epi-*  
*sco, & contra ipsius voluntatem quidquam*  
*facit, Diabolo servit.* Ergo non modo omnes  
prorsus fideles laici, & clerici, verum &  
Monachi, ac ipsi magistratus antiquissimo ju-  
re æque Ecclesiastico, ac Imperiali Episcoporum  
subjiciebantur potestati. De Monachis alibi  
redibit sermo: de Magistratibus heic pau-  
ca.

X. Et sane de Præsidibus, & civitatum  
Præfectis Concilio Arelat. I. sancitum occur-  
rit, ut Ecclesiasticas acciperent communica-  
torias litteras, quas ad Episcopum loci, quo  
mittebantur, deferrent, cujus curæ, in re-  
bus ad spirituales potestatem pertinentibus,  
quandiu illic munere suo fungerentur, sube-  
sent; a quo etiam censuris illigari possent  
Ecclesiasticis, si quid *contra disciplinam pu-*



*blicam* agere auderent (9). Canonem Arelatensem ratum habuit Constantinus Imperator, ac sanctionis imperialis vim habere jussit. Ea potestate interdum Episcopi usi sunt. Sic Synesius Ptolemaidis in Ægypto Episcopus Andronicum Præfectum ob nimiam suam crudelitatem, & contumeliosa in res divinas dicta semel atque iterum admonitum, tandem a fidelium communione segregavit (10). Cyrillum quoque Alexandrinum Orestis Præfecti in Ægypto Augustalis curam gessisse, *ejusdemque* *actus explorasse*, quod tamen ipse graviter terebat, scribit Socrates *Lib. VII. cap. 13.*

XI. Porro Episcoporum in suos Parœcianos auctoritas in eo potissimum elucebat, quod nulli iter aliquod adgredi jus esset sine litteris formatis, ut vocabant, quas ab Episcopo suo acceptas, si secum non ferrent, nullibi in communionem recipi poterant. Hæ pro diversa vel occasione, vel hominum, qui eas accipiebant, conditione, diversi erant generis; scilicet vel *Commendatoriæ*, vel *Communicatoriæ*, vel *Dimissoriæ*. *Commendatoriæ* illæ erant, quæ vel nobili loco natis hominibus dabantur, vel iis, quorum existimatio aliquando in quæstionem fuerat vocata, vel demum Clericis, quibus in exteris regiones proficiscendum esset.

*Com-*

(9) *Concilium Arelat. I. Can. VII. De Præsidibus* . . . ita placuit, ut quum promoti fuerint, litteras accipiant Ecclesiasticas communicatorias. Ita tamen, ut in quibuscumque locis gesserint, ab Episcopo ejusdem loci cura de illis agatur; ut quum cœperint contra disciplinam publicam agere, tunc demum a communione excludantur.

(10) *Synesius Epist. 52. ad Episcopos*: In hanc ille *Andronicus* vocem imperita mente, ac lingua ter erupit, secundum quam nihil est, quod amplius moneamus hominem, sed veluti membrum insanabile a nobis est segregandum, ne illius contagione, quod sincerum est corrumpatur.

*Communicatorie* dicebantur illæ, quibus significabatur fidelem eas deferentem in communione esse Ecclesiæ; ac propterea cuius licere cum ipso communicare. Quia de re *Pacificæ* etiam, *Ecclesiastica*, & *Canonica* dictæ sunt. *Dimissoria*, quæ & ipsæ aliquando *Pacificæ* adpellatæ, solis iis clericis dabantur, quibus ex una Diœcesi in aliam domicilii illic figendi causa concedendum esset. Universæ hæ Epistolæ ex æquo *Formatæ* nuncupabantur, quod peculiari forma, certisque determinatis characteribus conscriberentur, ut a suppositiis discerni possent.

XII. Eiusmodi litteras dare proprium Episcopi jus erat. Unde Conc. Carthag. I. Can. VII. decernit: *Clericus, vel laicus non communicet in aliena plebe sine litteris Episcopi sui*. Idem constituunt Conc. Agath. can. LII. Epaoense can. VI. Milevitanum can. XX. & Concilium Antioch. postquam can. VII. præscripsit *Nullum peregrinorum sine pacificis*, idest commendatitiis, *suscipiendum Epistolis*, can. VIII. Presbyteris vicariis sive Parochis interdicit eiusmodi pacificas, sive canonicas dare Epistolas; sed tantummodo id juris concedit Chorepiscopis, qui sunt irreprehensibiles: ad vicinos tamen Episcopos litteras dare Presbyteris non denegat (11), quibus Clerici alicujus ordinationem, ac fidem, & opinionem eorum notam faciant, ut heic exponit Aristenus. Tempore persecutionis quidam Confessores Canonicas Epistolas dandi sibi facultatem sumserunt.

L 6

At

---

(11) *Antiochenum an. 341.* Can. VIII. Presbyteri, qui sunt in agris, Canonicas Epistolas dare non possunt: ad solos tantum vicinos Episcopos litteras destinabunt. Chorepiscopi autem, qui sunt irreprehensibiles, dare possunt pacificas, idest generales Epistolas.

At Concilia Illiberitanum (12), & Arelatense I. (13) id ipsis graviter interdixerunt, adjecto mandato, ut qui ejusmodi litteras haberent, novas ab suo Episcopo communicatorias acciperent. Uti quoque eadem Illiberitana Synodus aliam huc spectantem pravam voluit abolitam consuetudinem, qua feminæ quædam famæ celebritate in Ecclesia conspicuæ, ut mulieres Clericorum, vel potius Episcoporum illas dare litteras, vel accipere sibi tribuebant (14).

XIII. Postremo in redituum Ecclesiasticorum administratione non minor elucebat Episcopi potestas, cujus erat providere, ut recte, & utiliter administrarentur. Atqui de istoc capite alibi redibit sermo.

## §. IV.

(12) *Conc. Illiber.* Can. XXV. Omnis, qui adtulerit litteras confessionis, sublato nomine confessoris . . . communicatoriæ ei dandæ sunt litteræ.

(13) *Conc. Arelat. I.* Can. IX. De his, qui Confessionum litteras offerunt, placuit, ut sublatis eis litteris alias accipiant communicatorias.

(14) *Conc. Illib.* Can. LXXXI. Ne feminæ suo potius, absque maritorum nominibus, laicis scribere audeant: quæ fideles sunt, vel litteras alicujus pacificis ad suum solum nomen scriptas accipiant.

*Bayonius, Garsias, Loaysa, aliique Canones Illiber. & Arelatensem de iis explicant epistolis, quas lapsi ad jus communicandi recuperandum ab martyribus extorquebant. Ad contra de Litteris formatis omnino intelligendos censeat eruditus Albaspinæus.*

1. Quia antequam ea Concilia habita essent, jam abusus de Confessorum, sive Martyrum litteris sublata erat, uti Cyprianus pluries indicat, ac præsertim Lib. II. Ep. 7.

2. Quia ea Concilia, ac saltem Arelatense, sub Constantino celebrata sunt, quo tempore vix pauci religionis causa in carceribus, fodinis, arenariis detinebantur.

3. Nullibi legimus Lapsos Confessorum Epistolas ad Episcopos deferentes, iis rejectis, novas ab ipsis Communicatorias accepisse.

4. Tandem Martyrum Litteræ de Lapsis restituendis nullum apud Episcopos pondus, nisi post eorum mortem habebant. At reddita sub Constantino Ecclesie pace, quum nullus pro fide morte multaretur, quis iam litteras sibi non profuturas, commendationemque effragitasset, quam certo sciret nullo sibi usui futuram?

§. IV. De Episcoporum Potestate in Caussarum  
Secularium Cognitione.

XIV. Antiquis illis Ecclesiæ temporibus tam bene sancteque Episcopi audiebant, ac tantæ erant apud omnes existimationis, ut interdum non modo fideles, verum & cujusvis sectæ homines in obortis dissidiis ad eos, ceu ad optimos diffidentium arbitros, ac iudices adpellerent, ipsorum integritati, & justitiæ tuto fidentes: hujusce praxeos sæpius meminit Sidonius Apollinaris, præsertim *Lib. VI. Epist. 2. & 4.* & Synesius id ipsum Episcopalis sui officii partem esse scribit *Ep. 105.* Tum de Ambrosio narrat August. *Confess. Lib. VI. cap. 3.* ipsum tanquam delectum Arbitrum adire conuevisse *catervas negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus seruebat (15).* Et Augustinus ipse *Epist. 110. & 149.* de oneribus sibi hac de causâ incumbentibus graviter conqueritur: quippe qui non a Catholicis modo, verum & ab cujusvis sectæ hominibus quam frequenter interpellabatur; *quorum caussas*, uti narrat Possidius Vit. Aug. Cap. 19. *audiebat diligenter, ac pie:* ut eas aliquando usque ad horas refectiois, aliquando autem tota die jejunans, semper tamen nosceret, & dirimeret. Sapientissimus tamen, & Sanctissimus Episcopus ejusmodi onera libenter subibat, ut inde Christianæ Religionis incrementa accederent: etenim ut *ibid.* scribit Possidius, competentis rerum opportunitatibus divinæ legis veritatem partes docebat, eamque illis inculcabat, & eas, quo adipiscerentur vitam æternam,

---

(15) *Ambrosius Lib. VI. Epist. XXIV. al. XLIX. ad Marcellum:* Petierunt cause patroni prorogari paucorum dierum tempora, ut ego residerem cogitor. Tantus ardor erat Christianis, ne Præfectus &c.

nam, edocebat, & admonebat. Quidnam juris hifce Epifcoporum arbitriis detulerint Imperatores, mox videbimus.

XV. Porro in hujufce Epifcopalis muneris originem inquirere fi velimus, illud profecto ex Auguftini fententia fidelibus videtur injunxiffe Apoftolus, ubi *I. ad Corinth.* 6. veluti crimini vertens Corinthiis, quod fuas cauffas Ethnicorum foris dijudicandas deferrent, *Audet aliquis veftrum, inquit, habens negatium adverfus alterum judicari apud iniquos, & non apud Sanctos? an nescitis, quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? & fi in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis. Nescitis quoniam Angelos judicabimus? quanto magis fecularia? Secularia quidem judicia fi habueritis, contemtibiles, qui funt in Ecclesia, illos conftituite ad judicandum.* Præterea hoc paffim repetitum in veteribus fæculationibus occurrit. Sic Auctor *Const. Apoft. Lib. II. cap. 45. Et ne adeant ad judicium gentilium: imo ne patiamini, ut feculares magistratus de cauffis veftris judicent. Et ibid. cap. feq. Ne igitur difceptationes veftras gentiles cognofcant.*

XVI. Profecto nobis colligere datur, non alia de cauffa ab Apoftolo primum, dein & ab aliis Epifcopis interdictum fidelibus fuas lites ad Ethnicorum fora definiendas deferre, nifi quod hoc fæciffimis illis Religionis Christianæ antefignans in Ecclesiæ dedecus redundare videretur. Adhæc non optime factum cenfebant, fi præberetur Ethnicis occasio deſpicatui habendi Christianos, quum inter eos quotidie lites exoriri confpicerent, qui fe caritatis, & fraternitatis lege conſtringi palam prædicarent. Fideles igitur, ubi inter fe lites emergebant, ex fuorum numero, quos aptiores putabant, Epifcopos ut plurimum, Arbitros

tros unanimi consensione constituebant, quorum sententia, lite dijudicata, & composita, remotis jurgiis, contentionibus, conviciis, pacati discedebant. Vere aurea Christianæ Religionis Epocha!

XVII. Apage tamen credas Apostolum per vocem *contemptibiles* revera ineptos, ac vilis farinæ homines litium arbitros velle (16); at magis vocem illam comparative usurpasse dicendus est: docens scilicet eos, qui minimi in Ecclesia habentur, & ad majora ejusdem ministeria inepti reputantur, aptiores longe esse Ethnicis ad fidelium dissidia componenda.

XVIII. Verum quod Episcopos supra omnes Apostolus spectarit, vel ex ipsius verbis colligere par est. Quid enim sibi volunt verba illa: *Nescitis quoniam Angelos judicabimus & quanto magis secularia?* Ex quibus August. infert Serm. XXIV. in Pl. 118. *Constituit talibus causis Ecclesiasticis Apostolus cognitores, in fo-*

ro

---

(16) *Lightfootus* τὸ *contemptibiles* ἐξουθενήτους observat interpretari quæque posse homines summa existimationis, qui quum juri. audi. munere non fruerentur, ab ipsis dissidentibus, ceu iudices, & arbitri, eligi possent: adeo vox *græca* duntaxat iudices non Authenticos, sive publicos, sed privatos designet, ejusmodi inter Judæos fure, qui vocabantur *Ἰσθῶροι*: non quod de infima essent multitudine, sed quod perpetuum, & auctorissimum forum non habentes ab ipsis dissidentibus causarum suarum Cognitores d. lizerentur. Et sane Judæi præter quatuor rata, & solemnia tribunalia, scilicet M. Sanhedrium, Consilium vigintitrium, Consilium trium, & Consilium authenticum, moverant & quintum non Authenticum, quod proprio constituebatur ex arbitris sponte, & ex consensu partium electis. *Lightfootus* Hor. Talm.

Verum hæc *Lightfooti* conjectura præterquam quod nulli firma videtur innixa momento ( vox enim ἐξουθενήτους proprie nihili habitum, contemptibilem designat: & nullo exemplo ad hominem summa existimationis designandum trahitur) Apostoli scribentis οὐκ ἔστιν ἰσθῶροι parum convenit; at ex adverso *Vulgate* sententiæ maxime omnium proleptæ est. Et sane ibid. statim subnectit *Apost.* Ad verecundiam vestram dico: sic non est inter vos Sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum?

ro prohibens jurgare Christianos. Et in Lib. de Oper. Monach. cap. 29. *Quibus nos molestiis adflixit apostolus non utique suo, sed ejus, qui in ipso loquebatur arbitrio, quas tamen ipsum perpeffum fuisse non legimus.*

XIX. Jam vero hanc Episcoporum potestatem tam longe abest, ut Christiani Imperatores imminuerint; ut potius perspicientes maximum, quod inde in imperium conrivabatur emolumentum, suis legibus illam firmatam, immo & auctam voluerint. Quod patet ex Eusebio (17), & ex Sozomeno (18) qui narant Constantinum M. Imp. 1. libenter contententibus concessisse ad Episcoporum arbitrium se referre, quum civilium Magistratum judicio stare nollent: 2. sanxisse Episcoporum sententias æque ratas, & ineluctabiles esse, ac si ab ipso proferrentur Imperatore: 3. Provinciarum Præsilibus, aliisque ministris demandasse, ut quam citius Episcoporum sententias extequerentur.

XX. Porro hoc ex Leg. Arcadii, & Honorii Cod. Justin. Lib. I. Tit. IV. leg. 7. & 8. ita intelligas: 1. si uterque litigantium libenti animo Episcoporum judicio stare non dissentiret: 2. quum essent causæ mere civiles, non vero criminales: in his enim non per leges modo imperatorias, verum & per Ecclesiæ

---

(17) *Euseb. de Vita Const. Lib. IV. cap. 27.* Provinciarum Rectoribus non licuerit Episcoporum decreta rescindere: Cuius enim iudici præferendos esse sacerdotes Dei.

(18) *Sozomenus Lib. 1. cap. 9.* Litigantibus permisisse, ut ad Episcoporum iudicium provocarent, si magistratus civiles rejicere vellent: eorum autem sententia rata esset, aliorumque iudicium sententiis prævaleret, perinde ac si ab ipso Imperatore data fuisset: utque res ab Episcopis iudicatas rectores provinciarum, eorumque officiales executioni mandarent.

fiæ canones Episcopi vetabantur, quo minus iudicum loco seligi possent (19).

XXI. Jam vero aliquando Episcopi eo munere defungebantur ope alicujus Presbyteri, Diaconi, vel etiam laici, cujus integritas, ac prudentia satis ipsis perspecta esset: præsertim quum nimium negotiis ejusmodi distinerentur. Profecto Augustinus, cujus mirabilis profus, ac pene divina hac in re caritas fuit, in eo munere comitem sibi constituit Eradium (20). Et Concilium Tarraconense de Presbyteris loquitur, Clericisque judicandis causarum negotiis præpositis (21). Ac tandem Sylvanum Troadis Episcopum hanc facultatem clericis suis eripuisse, ac *uni ex laicis, quem æquitatis studiosum nosset, committere* consuevisse auctor est Socrates *Lib. VII. cap. 37.*

XXII. Jam porro quum Episcoporum in hisce caritatis officiis exercendis summa fides, atque eximia probitas, & prudentia eluceret, ac propterea summo in pretio apud Imperatores essent; hinc factum est, ut plurima civilia negotia ipsis pertractanda iidem Imperatores crediderint: uti e. g. in curato-  
ri-

(19) *Codex Justinian. Lib. I. Tit. IV. Leg. 8* Si quæ ex consensu apud sacræ Legis Antistitem litigare voluerint, non vetabuntur. Sed experientur illius in civili duntaxat negotio, more arbitri sponte residentis, iudicium. *Ibidem Leg. 8.* Episcopale iudicium ratum sit omnibus, qui se audiri a sacerdotibus elegerint; eamque eorum iudicationi adhibendam esse reverentiam jubemus, quam vestris deferre necesse est potestatibus, a quibus non licet provocare. *Et Concilium Tarraconense Can. IV.* Habeant licentiam judicandi exceptis criminalibus negotiis.

(20) *Augustinus Epist. CX.* Obsecro vos, & obstringo per Christum, ut huic juveni, huic presbytero Eradio, quem hodie in nomine Christi designo Episcopum successorem mihi, patiamini me refundere onera occupationum mearum.

(21) *Concilium Tarrac. Can. IV.* Nullus Episcoporum, aut Presbyterorum, aut Clericorum die Dominico propositum cujuscuque causæ negotium audeat iudicare.



ribus furioso dandis, in exceptione non numeratæ pecuniæ creditori absenti manifestanda, in carceribus visendis, in tuendis expositis infantibus, aliisque personis egenis, in aleatoribus coercendis, in scenicarum mulierum libidine cohibenda, atque id genus alia: *Lib. I. Cod. Just. Tit. IV.* Quum tamen ita hæc omnia peragerent, ut potius ad pietatis sanctimoniam, morumque integritatem suæ curæ commissos restituerent, quam ut physicam coactionem exercerent, eam ob rem eorum in hisce causis potestas *Audientia Episcopalis* dicta fuit: *Gothofr. in Cod. Theod. Tit. de Episc.*

XXIII. Quod vero ad causas capitales, seu criminales attinet, tanquam Episcopi munus habebatur deprecatoris vicem apud civilem Magistratum suscipere pro iis, qui capite erant damnati, & illis veniam impetrare. Hoc munere non semel Ambrosius, & Augustinus functi sunt. Paulinus *in Vit. Ambros.* (22). Augustinus *Ep. 159.* (23). *Syn. Sardicenis Can. VII.* (24). Atque ejusmodi mos adeo invaluit, ut cujusdam Episcopi electioni populus aliquando sese opposuerit eo nomine, quod quum monachus fuisset, vitamque egisset

(22) *Paulinus Vit. Ambrosii p. 10.* Temporibus Gratiani quum ad Prætorium Macedonii cum Magistri officiorum pro quodam intercedendum perrexisset. *Ibidem p. 12.* Homines qui decepti fuerant interventu Sacerdotis Ambrosii dimisit Stilico.

(23) *Augustinus pro Circumcellionibus de cade quorundam Catholicorum convictis binas ad Marcellinum Comitem, & Apringium Africanos magistratus, verbis adfectu plenis contextas Epistolas misit, ut ipsa vitam impetraret.* *Epist. 159. & 160.*

(24) *Concilium Sardicense Can. VII.* Quia sæpe contingit aliquos, qui egent misericordia, ad Ecclesiam confugere, qui propter sua peccata vel relegatione, vel in insulam deportatione damnati, vel quavis alia sententia adicti sunt; iis non esse negandum auxilium, sed sine cunctatione, & dubitatione iis veniam esse petendam.

set solitariam Abbas potius, quam Episcopus esse posset: *Hic, qui nominatur, inquebant, non Episcopi, sed potius Abbatis complet officium, & intercedere magis pro animabus apud celestem, quam pro corporibus apud terrenum judicem potest*: Sidonius Apollin. Lib. VII. Epist. 9. Non absimili ratione nonnulli apud Hieronymum clericos magistratus civiles splendidissime accipere oportere consuluerunt, ut in suas eos partes hoc modo traherent. Porro istuc merito reprehendit Hieronymus; *Quod si, inquit, obtenderis te facere hæc, ut roges pro miseris, atque subjectis, Judex seculi plus deferet Clerico continenti, quam diviti, & magis sanctitatem tuam venerabitur, quam opes*. Cave tamen putes Episcopos ea mente facinorosorum hominum patrociniū suscepisse, ut publicæ Justitiæ viam obstruerent; at vero duabus potissimum de causis: 1. ut delerent notam illam nimix crudelitatis, quam christianis non pauci hæretici inurere studuerant, omnibus significantes Ecclesiam, utpote piam parentem, a sanguine, & nece licet improborum abhorrere: 2. ut miseri, & male conciliati illi, qui capite plectendi erant, mortem vitantes suum ævum producerent, & laboriosis pœnitentiæ operibus sua crimina possent expiare (25).

## XXIV.

(25) *Utramque hanc rationem perbelle complectitur Magnus Augustinus indicatis Epistolis. Epist. 159. Pœna illorum, quamvis de tantis sceleribus confessorum, rogo te, ut præter supplicium mortis sit, & propter conscientiam nostram, & propter catholicam mansuetudinem commendandam. Ipse enim tractus ad nos pervenit confessionis illorum, quia invenit Ecclesia Catholica, ubi suam erga atrocissimos inimicos servet, atque exhibeat lenitatem. In tanta quippe crudelitate quæcunque præter sanguinem vindicta processerit, magna lenitas adparebit. Et Epist. 160. Nolumus passionem servorum Dei, quasi vice talionis, paribus suppliciis vindicari. Non quo scelestis ho-*  
mi-

XXIV. Sed heic animadvertere abs re non erit ex Ambrosio *de Officiis Lib. III. cap. 9.* Episcopos in causis civilibus, ac præsertim pecuniariis nunquam apud Judices precatos accessisse; cujus rei satis idoneam profert rationem his verbis: *In causis pecuniariis intervenire non est Sacerdotis, in quibus non potest fieri, quin frequenter lædatur alius, qui vincitur, quoniam intercessoris beneficio se vitium arbitratur.*

§. V. *Episcopi jus erat Presbyteros, aliosque inferiores clericos ad reddendam sui ministerii rationem adigere.*

XXV. Episcopi quoque erat Presbyteros, Diaconos, aliosque inferiores Clericos vocare, ut redderent Ecclesiastici sui ministerii rationem; quum ex adverso Presbyteris Episcoporum mandato, & jurisdictioni sese opponere haud liceret. Hinc Felicissimus, & Augendus, quod excitato schismate in Ecclesia Carthaginensi sese Cypriano opponere ausi fuissent, fidelium communione privati sunt: Cyprianus epist. 39. al. 42. *Abstinuimus communione Felicissimum, & Augendum;* & Epist. 38. al. 41. de Felicissimo: *Accipiat, inquit, sententiam, quam prior dixit, ut abstentum se a nobis sciat.* Tum idem Cyprianus Ep. 65. al. 3. ad Rogatianum Episcopum, qui cum ipso Cypriano de contentioso quodam Diacono

NO

---

minibus licentiam facinorum prohibeamus auferri, sed hoc magis sufficere volumus, ut vivi, & nulla corporis parte truncati, vel ab inquietudine insana ad sanitatis orium legum coercitione dirigantur, vel a malignis operibus alieni utili operi deputentur. Vocatur quidem & ista damnatio. Sed quis non intelligat magis beneficium, quam supplicium nuncupandum, ubi nec savienti relaxatur audacia, nec penitenti medicina subrahitur? Imple Christiane iudex pii patris officium, sic succense inquietati, ut consulere humanitati memineris &c.

no conquestus fuerat, scribit: *Tu quidem pro solita tua humilitate fecisti, ut malles de eo nobis conqueri, quum pro Episcopatus vigore, & Cathedræ auctoritate haberes potestatem, qua posses de illo statim vindicari.* Postremo Canones illi, quibus sancitur ne quis Presbyter, vel Diaconus a suo ipsius Episcopo exclusus ab aliis recipiatur, profecto supponunt, omnibus ex æquo Episcopis in Clericos suæ Dioceseos censura Ecclesiastica animadvertendi jus fuisse. Eiusmodi sunt Canon Apost. XXXI. Nicænus V. Sardicensis XIII. aliique. At de hoc capite opportunius *Lib. IV.*

XXVI. Tria heic omnino observanda supersunt: 1. Episcopus perraro huiusmodi potestate fuisse usos sine Presbyterorum suorum consensu: quippe qui veluti senatum Ecclesiasticum constituerent: de qua re jam diximus in nostris Institutionibus Canonicis *Lib. I. Tit. III. & plura dabimus alibi.*

2. Igitur Episcopalis illa potestas arbitraria non erat, sed Episcopi ad Canonum normam illam exigere omnino adstringebantur. Quare Clericis, qui se Episcopi sui sententia læsos existimabant, jus erat vel ad Metropolitanum provocare, vel ad Synodum provinciam. Istuc innumeri pene antiqui Canones constituunt: satis sint pro Ecclesia Orientali Can. Antioch. XII. *Si quis a proprio Episcopo depositus . . . . eum oportet ad majorem Synodum converti, & jus, quod se habere putat, ad plures Episcopos referre, eorumque examinationem, & iudicium suscipere.* Pro Ecclesia Africana Syn. Carthag. II. Can. VIII. *Si quis Presbyter a Preposito suo excommunicatus, vel correptus fuerit, debet utique apud vicinos Episcopos conqueri, ut ab ipsis ejus causa possit audiri, ac per ipsos suo Episcopo reconciliari.* Idem & aliis Africanis Canonibus sancitur;

ac præcipue Concilii Carthaginienſis IV. Can. LXVI. *Clericus, qui Epifcopi circa ſe diſtributionem injuſtam putat, recurrat ad Synodum.* Demum pro reliquis Eccleſiis Occidentalibus Conc. Vaſenſ. II. Can. V. *Si quis Epifcopi ſui ſententiæ non adquięſcit, recurrat ad Synodum: & Venetic. Can. IX. Si quis fortaffe Epifcopi ſui judicium cœperit habere ſuſpectum . . . aliorum Epifcoporum audientiam, non ſecularium poteſtatem, debet ambire.*

3. In Eccleſiis Africanis quædam in hac re peculiaris videtur obtinuiſſe conſuetudo. Canonibus enim cautum erat, ne Epifcopus Presbyterum, vel Diaconum Eccleſiaſtica iniret censura, niſi adhibitis in ſententiæ exſequendæ ſocietatem vicinis aliquot Epifcopis. Id præſcribunt Conc. Carthag. I. Can. 9. II. Can. 10. ac præcipue III. Can. 8. qui in hunc modum habet: *Si Presbyteri, vel Diaconi fuerint accuſati, adjuncto ſibi ex vicinis locis legitimo numero collegarum . . . in Presbyteri nomine ſex, in Diaconi tribus, ipſorum cauſas diſcutiant.* Verum eodem iſto Canone ſubjungitur: *Reliquorum Clericorum cauſas ſolus Epifcopus loci agnoſcat & finiatur.*

#### C A P U T XIV.

De Præcipuis Epifcoporum muneribus in Eccleſiæ miniſterio.

I. **I**Nter Officia Epifcopis ſive jure divino, ſive Jure Eccleſiaſtico concedita quædam ita Epifcopatui adhærent, ut nunquam in veteri Eccleſia Presbyteris commiſſa ſint, nec ipſis vi ordinis Presbyteratus ulla ratione conveniant; uti *Sacramentorum Ordinis, & Confirmationis adminiſtratio, Olei catechumenorum, & infirmorum conſectio, Aedium Eccleſia-*

*fiasticarum, Virginum, & aliorum id genus Consecratio, Pœnitentium reconciliatio &c. Alia Episcopis æque ac Presbyteris vi ordinis communia sunt, ita tamen ut ab Episcopis potestate omnis subjectionis immuni peragerentur; at ab Presbyteris nonnisi ex mandato, & facultate ab Episcopis impetrata; uti Verbi Dei prædicatio, reliquorum Sacramentorum administratio, Sacrificii Eucharistici oblatio, & id genus alia. Prioris generis mûnia alias opportunius persequemur; at posterioris generis quæ sunt, heic sigillatim explicare Instituti nostri ratio omnino postulat.*

§. I. *Divini Verbi prædicatio Episcopis incumbit quam quod maxime.*

II. Quam cordi Episcopis Verbi Dei prædicatio esse debeat, ipsemet Episcoporum princeps Christus Dominus edocuit, quum se delegatum a sempiterno Patre in terras Apostolorum adferuit, veritatisque Evangelicæ præconem: *Evangelizare pauperibus misit me.* Tum Apostolos ad divinam per orbem universum disseminandam Religionem mittens, ipsis prædicationem gravi mandato inculcavit: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium.* Adhæc Apostoli idem lat manifesto declarasse videntur, dum mensarum, & viduarum servitium in Diaconos ea potissimum de causa rejecisse palam professi sunt; nimirum, ut prædicationis munus liberius exsequi possent: Act. VI. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo &c. Nos vero orationi, & ministerio verbi instantes erimus.* Tum Apostolus Paulus non dubitavit adferere, se non ad baptizandum, sed ad prædicandum a Domino fuisse missum: I. Corinth. I. Unde &  
Ti-

Timotheum ad prædicandum tam gravi adjuratione est adhortatus: *Testificor coram Deo, & Jesu Christo, qui judicaturus est vivos, & mortuos per adventum ipsius, & regnum ejus: Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.*

III. Quamvis antiquiores, qui ad nos perverint, sunt Gregorii Nanzianzeni Sermones: non inde tamen efficias per tria priora Ecclesiæ sæcula ab Episcopis prædicatum non fuisse (1). Et sane I. quid sibi vult phrasis illa tractante Episcopo toties in Cypriani scriptis repetita, nisi Episcopo concionem habente? Sic. Epist. 66. *Collectam fraternitatem non videat, nec tractantes Episcopos audiat*: Et Epist. 52. *Ego prius legeram, & Episcopo tractante cognoveram &c.*

2. Ambrosius de *Divin. Offic. Lib. I. cap. 7.* graviter conqueritur, quod invitus licet, & imparatus ad Episcopatum fuerit veluti raptus, Episcopali tamen prædicationis muneri satis sit ipsi faciendum: *Quum jam effugere*

---

(1) Prorsus rejicienda illorum opinio est, qui censent primum omnium Romæ prædicasse S. Lechem M. profecto, uti ad rem observat Thomas. Part. II. Lib. III. cap. 82. ad tempora usque Leonis Romani Præsules contenti fuisse dubio procul dicendi sunt familiaribus sermonibus, vel potius præceptionibus, ut sævientibus fiebat persecutionibus, sine adparatu, sine pompa, plana, & humili, non splendida oratione. Et sane nulli prorsus superstites sunt sermones non Pontificum modo Leone anteriorum, sed Episcoporum quorumlibet, qui prioribus talibus sæculis, vel medio etiam Sæculo IV. floruerunt. Profecto ambigendum non est, Liberium Papam sermonem Romæ habuisse in Ecclesia S. Petri, quum sanctissimam Virginem Marcellinam S. Ambrosii sororem velo consecrationis donasset: citamen sermonem ejusmodi S. Ambrosius vocat: Beati memorie Liberii Præcepta. Itur, quum Sozomenus Lib. VII. cap. 19. scribit: In eadem Romana urbe nec Episcopus, nec alius quitquam in Ecclesia populum docet; non nisi de veris concionibus intelligendus est; ejusmodi sua prorsertim aetate in Oriente haberi consueverant.

re non possumus officium docendi, quod nobis  
 refugientibus imposuit sacerdotii necessitudo....  
 Ego raptus de tribunalibus, atque administra-  
 tionis infulis ad sacerdotium, docere vos cœ-  
 pi, quod ipse non didici. Itaque factum est,  
 ut prius docere inciperem, quam discere. Di-  
 scendum est igitur mihi simul, & docendum.  
 Istuc sane indicat antiquissimum Ecclesiæ mo-  
 rem; ut scilicet Episcopus ipse per se suam  
 institueret plebem, ac verbo vitæ pasceret,  
 veluti Pastor oves, juxta S. Petri præptionem  
 I. Petr. 3. *Pascite, qui in vobis est, gre-  
 gem Dei.*

3. In Africanis Ecclesiis adeo proprium Epi-  
 scopi habebatur munus concionandi, ut, quum  
 Valerius, quippe qui gente Græcus non satis  
 expedite latino sermone concionari posset, id  
 muneris Augustino presbytero demandaverit,  
 multi Episcopi ea re offensi graviter ei detra-  
 xerint: licet postea in nonnullis etiam Afri-  
 cæ Ecclesiis idem mos fuerit paulatim indu-  
 ctus, scilicet *ut accepta ab Episcopis potestate  
 presbyteri coram ipsis Episcopis tractarent ver-  
 bum Dei*; uti scribit Possidius Vit. August.  
 cap. 5.

4. *Can. Apost. LVIII.* Excommunicationis  
 pœna decernitur in Episcopum, qui populi  
 curam negligeret, & eum pietatem non do-  
 ceret.

5. In Oriente quidem Presbyteri conciona-  
 ri, populumque docere consueverant: at id  
 non nisi jubente Episcopo, ipsoque præsentem.  
 Unde Chrysostomus dicitur *egisse vices Episco-  
 pi in predicatione verbi Dei*. Quinimmo po-  
 terant Episcopi facultatem illis Presbyteris  
 circumscribere, ac etiam interdiceret: quod  
 factum Alexandriæ perhibet Sozomenus Lib.  
 VII. cap. 17. *ex quo Arius presbyter, de do-  
 ctrina fidei differens, nova dogmata invexit.*



6. Quisnam vel subdubitaverit, quos primum Apostoli constituerint Episcopos, eosdem prædicationis munere diligenter fuisse iunctos? Vero enim oppido est simile Paulum uti Timotheo, ita & reliquis a se constitutis Episcopis prædicationis munus illa vehementi adjuratione inculcasse; quod & reliquos præstitisse Apostolos neque dubitandum reor; præfertim quum ex doctrina Apostolica in seligendo Episcopo requiratur, ut sit *Doctor*, & *ut potens sit exhortari in doctrina sana*, & *eos, qui contradicunt, arguere*. In quæ verba Hilarius *Lib. VIII. de Trin.* sic commentatur: *Quum & innocens sibi tantum proficiat, nisi doctus sit: & doctus sine doctrina sit auctoritate, nisi innocens sit*. Qua de re, ut ibidem scribit Hilarius, oportet omnino in Episcopo, ut & doctrina virtutibus, & virtutes doctrina ornentur: *Perfectum Ecclesiæ Principem perfectis maximarum virtutum bonis instituit, ut & vita ejus ornetur docendo, & doctrina vivendo*. Verum de istoc capite alias redibit termo.

7. Tandem per quinque Ecclesiæ sæcula tanta diligentia hanc Episcopi oruarunt spartam, ut nulla celebraretur missa sine scripturarum prælectione, eamque consequente Antistitis prædicatione, quam aliquando etiam in vespertinis Precibus repetebant ferventiores quidam Episcopi: ut *alibi*, quum de Liturgiis agemus, videbimus. Qua de re per ea tempora nullum fere invenies Synodicum Canonem, quo Prædicatio Episcopis inculcatur. At contra post sæculum VI. quum refriguit Episcoporum in eo obeundo munere fervor, nullum pene celebratum Concilium est, in quo de concionibus ad populum habendis tractatum non sit.

IV. Igitur quod antiquorum Præsulum concio-

ciones ad nos trajectæ non fuerint, id poris-  
simum in causa fuisse censet Thomassinus  
P. I. Lib. III. cap. 83. scilicet, quod sicuti  
Apostoli, quorum prædicationes neque scri-  
ptis mandatæ sunt, & posteris transfusæ, ita  
& Episcopi, qui prioribus illis sæculis con-  
cionabantur, sermones effuderint extempora-  
neos, quos moris non est chartis illini, aut  
evulgari. Si enim vetuerat Christus, ne quid  
meditatum adferrent, ut vel tyrannos refelle-  
rent, vel fidei cœlestia eis dogmata explana-  
rent: fore enim pollicitus erat, ut non ipsi,  
sed eorum ore Spiritus ipse veritatis loquere-  
tur: eundem profecto veritatis Spiritum sibi  
etiam adfuturum augurabantur, dum, ut ipsi  
oppositum obirent munus, sermonem illi vel  
ad infideles haberent, vel ad fideles.

V. Jam vero ex hætenus dictis plura con-  
stant. Primum: Prioribus Ecclesiæ sæculis Epi-  
scopos prædicationis onus Episcopatu adne-  
xum credidisse, illudque diligentia quanta  
maxima ipsos per se iudicare non dubitasse.  
Quod tamen accuratius in Occidentali, quam  
in Orientali Ecclesia servatum historica te-  
stantur monumenta. In Occidente enim pri-  
mus, qui adhuc presbyter concionatus occur-  
rit, est Augustinus; at in Oriente ex more  
antiquissimo Presbyteros Scripturas interpreta-  
ri, divinumque verbum adnuntiare consuevis-  
se tradunt Socrates, & Sozomenus (2), &

M 2

in-

(2) Socrates Lib. V. cap. 21. Alexandriæ non concio-  
natur Presbyter, qui mos eo tempore initium habuit. So-  
zom. Lib. VII. cap. 17. Alexandriæ solus Episcopus cen-  
cionatur. Quam consuetudinem, quum antea non fuisset,  
introducendam esse ferunt, ex quo Arius Presbyter de do-  
ctrina fidei differens, nova dogmata invenit. Perum non  
nisi Alexandriæ & fortasse in universa etiam Aegypto,  
ubi Arii hæresis primum perstrepsit, ejusmodi factam  
Presbyteris interdictionem fuisse, tum modo producta ex  
Possidio Paterii indicat auctoritas, tum ex eodem Socrate  
evin-

indicant Origenis homiliæ. Adhæc narrat Possidius *Vit. Aug. cap. 5.* Valerium Augustino prædicationem demandasse; quippe in orientalibus Ecclesiis id ex more fieri sciebat. Quinimmo Origenes adhuc laicus ab nonnullis præsertim Palæstinæ Episcopis ad conciones habendas, sacrasque litteras in publico fidelium conventu explicandas invitatus est. Quod quum crimini vertisset Demetrius Alexander Jerosolymitanus, & Theodotus Cæsarensis gravem ea de re apologeticam scripserunt Epistolam.

VI. Alterum: Veteres sive Episcopos, sive Presbyteros, Verbi Dei ministros nec ipsos scriptis consignare suas conciones consuevissent, nec fideles eas adnotare curasse: ea quidem de causa, quod familiaria potius, & extemporanea viderentur esse colloquia, quam meditatæ, & operosæ, quæ prius ab suis conscriberentur auctoribus, orationes. Solæ excipiendæ videntur Origenis Homiliæ, quarum aliquot adhuc supersunt sacra refertæ eruditione, quas sat probabile est, aut fuisse ab Auctore conscriptas, antequam in publico fidelium pronuntiarentur conventu, aut notis fuisse ab auditoribus exceptas. Qui eloquentiæ ornamenta homiliis suis addere sategerint, primus in Oriente, vel certe inter primos videtur fuisse Gregorius Nazianzenus (3); quem  
po-

*evincitur, qui Lib. VII. cap. 19. scribit: Cæsareæ Cappadociæ, & in Cypro die Sabbati, & Dominico semper sub vesperum accensis lucernis Presbyteri, & Episcopi scripturas interpretantur.*

(3) *Quamvis Nazianzenus indicet fuisse qui palam qui clam calamo linguam ejus, notisque adsequi conarentur: unde Orat. 32. Valete, inquit, Sermonum meorum amatores, & calami tam perspicui, quam occulti; attamen dubitandum haud est fuisse Homilias ab ipso, antequam pronuntiarentur, meditate, & operose conscriptas. Not ipse*

postea imitati sunt Chrysoſtomus (4), Atticus Constantinopolitanus (5), Antiochus, & Severinus Asiæ Episcopi; qui eo nomine suum commendant institutum (6): scilicet quod quum non possint Apostolicas miraculis æmulari conciones, vi saltem æmulerentur eloquentiæ: quinimmo de iis conquerebantur Episcopis, qui quum miracula patrare in potestate non haberent, ne cogitarent quidem de parando sibi eloquentiæ subsidio: *quum Paulum constet tum ante miraculorum editionem; tum in mediis ipsis miraculis magnam adhibuisse eloquentiam*: uti ad rem Chrysoſt. de Sacerd. Lib. IV. cap. 7.

VII. Eandem viam in Occidente adgressi sunt S. Leo in urbe Roma, S. Ambrosius Mediolani, S. Augustinus in Africa, S. Hilarius Arelatensis in Galliis, aliique: ac præcipue de Augustino scribit Possidius in ejus Vita

M 3

cap.

*ipse enim dissimulat studere se eloquentia inter concionandum, ut quo posset cumque modo, emularetur Apostolicas conciones non verbis, sed factis, & miraculis celestem quandam vim & eloquentiam ostentantes. Confer Thomas. Part. II. Lib. III. cap. 82.*

(4) De Chrysoſtomo scribit Socrates Lib. VI. cap. 4. Conciones tum ab eo in lucem editæ, tum a Notariis exceptæ, illo e suggestu recitante, in omnium manibus sunt.

(5) De Attico Constantinopolitano hæc habet Socrates Lib. VII. cap. 2. Primum quum Presbyteri gradum obtinisset, conciones, quas summo studio confecerat, ad verbum ediscens, in Ecclesia recitavit. Postea crebro usu, & diligentia majorem audaciam adeptus, ex tempore concionari cœpit, rationemque docendi magis popularem secutus est.

(6) De Severiano Asiæ Episcopo scribit Socrates Lib. VI. cap. 10. Quum se sedulo exercuisset, & multas contuisset conciones Severianus, Constantinopolim contendit, postquam audierat Antiochum Constantinopoli in Ecclesiis docendo magnam pecuniæ vim collegisse. Ex quo duo licet colligere: 1. In majoribus civitatibus, ac in urbe præcipue regia, consuevisse antiquitus minorum civitatum Episcopos concionari. 2. Jam tum morem viguisse, ut stipendii aliquid concionatoribus exsolveretur.

cap. 7. *Libros ejusdem, sive Tractatus mirabili Dei gratia procedentes, ac profluentes, instructus omni rationis copia, atque auctoritate sanctarum Scripturarum, ipsi quoque heretici concurrentes cum Catholicis ingenti ardore audiebant, & quisquis ut potuit, voluit, & Notarios adhibens, etiam ea que dicebantur, excerpta descripsit.*

VIII. Atque hinc intelligere quoque nobis datur, veteres illos sanctissimos Episcopos suis concionibus integros dedisse de præcipuis quibusdam Christianæ Religionis capitibus Tractatus, sive Libros, vel etiam perpetua quorundam sacrorum Librorum commentaria: id quoque & ipse non Augustini modo, verum & Ambrosii, Gregorii M. aliorumque veterum opera apertius indicant, quam ut demonstratione opus sit.

IX. Igitur primis Ecclesiæ sæculis non idem videtur ab Episcopis in suis concionibus servatum institutum. Quidam eloquentiæ indulgebant, ad quam vel ab natura, vel ab privatis ante Episcopatum confectis studiis ferebantur: alii contra ex intima potius, quæ in suis cordibus fervebat, caritate suas plebes adloqui amabant, neutrum tamen contemnendum; immo & utrumque probandum; modo & in prioribus nimia, & adfectata vitentur eloquentiæ pigmenta, quæ curiositati magis satis faciant concurrentium hominum, & libidini, quam cordis inflamment adfectus; & in posteriori non omnis excludatur dicendi ars, ne Dei verbum nimia humilitate vilescat: adhæc in utroque utilis tractanda feligatur materia, fidem scilicet, vel Christianam spectans Ethicem, & in iis præcipue capitibus, quæ temporis, loco, & auditoribus magis congruere videantur; id quod in dicendi quoque genere servandum; ut adeo concionator omnibus omnia fieri satagat. Quod de Magno Augusti-

no

no testatur Possidius, atque ejusdem sermones perspicue præferunt. Iisdem vestigiis instituisse S. Hilarium Episcopum Arelatensem scribit Auctor ejus vitæ (7): tandem eodem nomine Athanasium summopere commendat Nazianz. *Orat. XXI.*

§. II. *Episcopi quoque proprium munus est Sacramentorum administratio.*

X. Et quidem præter Sacramenta Ordinis, & Confirmationis, quæ nisi ab Episcopis conferantur, nullius omnino sunt roboris, reliquorum etiam Sacramentorum administratio ad Episcopum præcipue spectat. Hanc provinciam olim per se Episcopi procurabant, nec Presbyteris, nisi speciali Episcopi mandato, illam adgredi licebat. Unde S. Ignatius Epist. ad Smyr. num. 8. *Non licet sine Episcopo neque baptizare, neque agapen facere:* & Tertull. de Baptismo c. 17. *Dandi baptismum jus qui-*

M 4

dem

---

(7) *Auctor vitæ S. Hilarii Ep. Arelat. ipsi οὐδὲ χαρῶς* corvus de ejus Sermonibus hæc habet. Temporalis vero ejus prædicatio, quantum flumen eloquentiæ habuerit, quas sententiarum gemmas sculpsit, aurum superiorum sensum repperit, argentum splendentis eloquii abundaverit, descriptionum varias picturas, & rhetoricos colores expresserit, ferrum spiritualis gladii, acumen in truncandis hæreticorum venenatis erroribus exercuerit, non sicam dicere, sed ne cogitare me posse protestor; sedibus præparatis in seculo ab hora diei septima usque in ejus decimam epulis plebem spiritalibus saginabat, pascendo esurire cogebat, esurientes nequam palcere desistebat. Si peritorum turba defuisset, simplici sermone rusticorum corda nutrebat; ac ubi instructos supervenisse vidisset, sermone, vultu pariter, in quædam gratia insolita excitabatur, seipso celsior adparebat: ut ejusdem præclari Doctores temporis, qui suis scriptis meriti summi claruere, Silvius, Eusebius, Dominolus admiratione succensi, in hæc verba proruperint; *Non doctrinam, non eloquentiam, sed nescio quod super homines conferunt.* Ex hoc sane testimonio colligitur jejunio diætes dies, eosdem & concionibus sacrosos fuisse. *Serum de hoc capite redibit sermo Lib. II. ubi de Liturgiis.*

272 *Antiquit. Christian. Institut.*  
dem habet summus Sacerdos, qui est Episcopus: debinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate. Verum de isto capite redibit sermo *Lib. III.* ubi de Sacramentis.

§. III. *Tum & Oratio pro populo æque privata, ac publica.*

XI. Inter præcipua quoque Episcopi munia locum sibi vindicat *Oratio*; quæ Apostolis adeo cordi erat, ut viduarum, & mensarum cura in Diaconos abjecta, illam æque ac prædicationem sibi reservarent. Orationis vero nomine publica indicatur Liturgia, atque ea Liturgiæ pars potissimum, qua reale incruentum Christi Domini Sacrificium Deo Patri offertur. Episcopi enim indefinenter quidem, præsertim vero dum sacrosanctum Missæ sacrificium peragunt, pro concredita sibi plebe rerventes Deo preces fundere ex animo debent. Profecto in hoc perpetuæ orationis adimplendo munere perfectissimum habent exemplar tum ipsum divinum animarum nostrarum Episcopum, cui mos erat in oratione Dei pernoctare, tum Apostolos, ac præcipue Paulum, qui pluries in suis Epistolis, ac potissimum *ad Coloss. I.* palam fatetur, se pro filiis, quos Christo pepererat, *perennes* Deo fundere preces, ac postulationes. Et in *Epist. ad Hebr. V.* Episcopis id muneris disertissime in hunc modum inculcat: *Omnis Pontifex ex hominibus adsumtus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.... propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre.*

XII. Hac de caussa Episcopi antiquitus æque manus, ac jus erat, Ecclesiasticam Liturgiam præ-

præscribere, pro Ecclesiæ necessitatibus publicas preces indicere, orationum formulas concipere, minus pietati congruas abolere, aliæque hujuscemodi. Et sane 1. Ecclesiæ Cæsariensis, Neocæsareensis, Constantinopolitana, aliæque Orientales, tum & Africana, Hispaniensis, Gallicana, Mediolanensis, aliæque Occidentales proprias habebant Liturgias, quarum specimina loco suo exhibebimus: ubi etiam demonstrabimus illum morem deinde fuisse inductum, quem & Ecclesiastici Canones sanxere; scilicet ut totius cujusque provinciæ Ecclesiæ ea liturgia uterentur, quæ in Ecclesia Metropolitana servaretur.

2. Pro publicis calamitatibus primum ab Gregorio Magno Romæ Litanæ cum Processionibus constitutæ sunt: *Lib. XI. Ep. 2.* & in Gallias Rogationes tribus ante Christi Domini adscensionem diebus a Mamerto Episcopo Viennensi inventæ, quas in Ecclesiis Africanis jam inde ab ævo Augustini in usu fuisse colligit Savaro ex *Homilia Augustini CLXXIII.* Chrysostomus quoque, ut obviam iret Ariani nocturnas Constantinopoli supplicationes agentibus, & ipse similes Catholicorum instituit, veluti Processiones, in quibus prima anteibat crux, ceu publicæ Christianæ professionis tessera. Palladius *Vit. Chrysof. cap. 15.* Socrates *Lib. VI. cap. 8. & Lib. VIII. cap. 8.* Tum & alibi ab aliis Episcopis, prout ferebat occasio, publicæ indictæ preces. Illud heic tantummodo juvat observare, in publicis hisce indicendis precibus Episcopi auctoritatem omnino intervenire oportuisse; quod & Imperatoriæ edicunt Sanctiones (8).

M 5

3. Cer-

---

(8) *Justinianus Novella CXXIII. cap. 32.* Omnibus laicis interdicitur litanias facere sine Sanctis Episcopis, & cui sub eis sunt Reverendissimis Clericis. Qualis enim est Litania, in qua Sacerdotes non inveniuntur, & solemnes  
ora-



3. Certos etiam sacri jejunii dies in Ecclesia sua indicere Episcopis jus erat. Istuc tum ex pluribus patet, tum vel maxime ex Tertull. de jejun. Cap. 13. *Bene autem quod & Episcopi universæ plebi mandare jejunia solent; & ex Augustino qui in Epist. ad Casulanum, a quo de jejunio Sabbati, quod in quibusdam, haud vero in omnibus Africanis Ecclesiis servabatur, consultus fuerat, in hunc modum respondet: Episcopo tuo in hac re noti resistere, & quod facit ipse, sine ullo scrupulo, vel disceptatione seclare.*

4. De cultu quoque Sanctorum judicium ferre, ac eorundem probare reliquias præcipuæ Episcoporum partes sunt. Syn. Laodiceana *Can. IX. & XXXIV.* gravi inflicta pœna fidelibus interdicit Hæreticorum cœmeteria, & martyria adire, aut ad martyres ab Ecclesia non probatos accedere. Tum Lucilla famosissima Donatistarum patrona a Cæciliano Archidiacono graviter eo nomine objurgata est, quod os nescio cujus hominis mortui, sive martyris, nondum tamen vindicati, ori admoveret. Quod vero Episcopi, ac etiam Primatis auctoritas intercedere deberet, ut dignosceretur, quibusnam cultus exhibendus est, recte colligi etiam posse videtur ex Augustino, qui in *Brevic. Coll. die II. cap. 13.* de Actis Martyrum meminit ad Mensurium Episcopum Carthaginensem delatis. Postremo de S. Mar-

---

orationes faciunt? Sed & ipsas honorandas cruces ( cum quibus & in litanis ingrediuntur ) non alibi, nisi in venerabilibus locis reponi: & si quando opus vocaverit ad litanias celebrandas, tunc solum ipsas Sanctas Cruces accipere eos, qui consueve eas portare solent, & cum Episcopo, & Clericis litanias celebrare: hoc custodientibus sanctissimis locorum Episcopis, aut etiam eorum Clericis, & per loca judicibus. Si quis autem in hoc capitulo præsentis nostræ Legis virtutem aut transcenderit, aut non vindicaverit, prædictus pœnas patietur, Monasteriorum, & Reverendissimorum Monachorum dispositione.

Martino Turon. Episc. narrat Severus Sulpit. in ejus vita, quod de cujusdam Martyris cultu quum diu anceps fuisset, tandem adcurato instituto examine non sine Dei admonitu, novit latronem ibi ceu Martyrem vulgi errore celebrari; quare ex eo loco altare submoveri, reliquiaque projici jussit.

§. IV. *Miserabilium quoque personarum cura gerenda Episcopo est.*

XIII. Quantum Apostolis cordi fuerit Viduas, Pupillos, aliosque calamitosos homines tueri, quibus vel necessaria vitæ subsidia præberent, vel ab Magnatum impotentia vindicarent, neminem latere arbitror, qui Sacras novi Testamenti Litteras vel leviter percurrerit. Sic Apostoli *Actor. VI.* viros ex omni multitudine Spiritu S. plenos, & sapientia seligendos duxerunt, qui viduarum, & pauperum in ministerio quotidiano curam agerent. Tum S. Paulum pauperum Jerusalem peculiarem quandam curam geississe omnes fere ejus Epistolæ indicant; adhæc pro Onesimo prorsus divinam ad Philemonem Dominum suum scripsit Epistolam, ut ipsi eum conciliaret.

XIV. Veteres illi SS. Episcopi, qui Ecclesiam prioribus rexerunt sæculis, mirum quantâ fidelitate Apostolica istæc vestigia sunt persecuti. Redituum Ecclesiasticorum administratio ab Episcopi pendebat potestate, ea potissimum de causa, ne quid pauperibus deesset. Sic Concilium Antioch. *Can. XXV.* *Episcopus habeat rerum Ecclesiæ potestatem, ut eas in omnes egentes dispenset cum multa cautione, & timore Dei.* Et Justinus M. *Apolog. II. pag. 98. 99.* consuetudinem sua ætate hac de re in Ecclesia vigentem in hunc modum describit. *Qui copiosiores sunt, & volunt, pro arbitrio*

quisque suo, quod visum est, contribuunt, & quod ita colligitur, apud Præpositum deponitur: atque ille inde opitulatur pupillis, & viduis, & his, qui propter morbum, aut aliquam aliam causam egent, quique in vinculis sunt; & peregre advenientibus hospitibus, & ut simpliciter dicam, indigentium is omnium curator est. Eadem habent Can. Apost. Canon XXXI. & XXXVII. Const. Apost. Lib. II. cap. 25. Tum pro pauperum alimonia, vel pro captivis redimendis vasa aliquando Ecclesiæ Episcopos confregisse, testes sunt luculentissimi Ambrosius, Socrates, Theodoretus, Possidius in Vita Augustini, alique veteres: id quod infra fusiori calamo explicabimus; ubi de reddituum Ecclesiasticorum administratione sermo redibit.

XV. In tuendis quoque calamitosis hominibus ab divitum, vel Magnatum impotentia mire effulsit veterum Episcoporum caritas. De S. Basilio refert Nanz. Orat. XX. ipsum maxima libertate tum Præsides, tum & potentissimos civitatis adire consuevisse egentium patrocinia suscipientem; plura quidem spirituality, sed tamen corporea non pauca; nam id sæpenumero ad animam tendit. Augustinus non modo ejusmodi functus est munere caritate plane mirabili, verum & Epist. 226. in hanc rem sic habet: *Novit religio tua quam curam tuendis cum omnibus hominibus, tum maxime pupillis Ecclesiæ vel Episcopi debeant.* Theodoretus Cyri Episcopus haud semel tum ad Imperatores, tum ad Provinciarum Præsides scripsit Epistolas, ut inopum angustiis opitularetur: Ep. 42. 43. &c. neque tandem omitendus Ambrosius, qui tum gravi oratione suos hortatur Clericos ad viduas, earumque res tuendas adversus vim, & contumelias magistratum, tum & pluries pro viduis, orphanis,

nis, aliisque miserabilibus hominibus se ad-  
 verius Imperatores ipsos decertasse scribit Offi-  
 ciorum Lib. II. cap. 29. ubi inter cetera Cle-  
 ricos suos sic adloquitur: *Egregium vestrum  
 enitescit ministerium, si suscepta impressio po-  
 tentis, quam vel vidua, vel orphani tolerare  
 non queant, Ecclesie ministerio cohibeatur . . .  
 Meministis ipsi quoties adversus regales impetus  
 pro viduarum, imo omnium depositis certamen  
 subierimus: commune hoc vobiscum mihi.*

§. V. *Fidei depositum ab Episcopo, fideliter  
 custodiendum.*

XVI. Episcoporum providentia in eo quo-  
 que veretur necessum est; scilicet, ut fidei  
 & doctrinae Evangelicae depositum fidelitate  
 quanta maxima tueantur. Apostolus semel,  
 atque iterum Timotheum fidei depositum ab  
 profanis novitatibus factum tectum servare ju-  
 bet. *Timothee, depositum custodi, devitans pro-  
 fanas vocum novitates, & oppositiones falsi no-  
 minis scientiae: Timoth. I. cap. 6. Et II. cap. 1.  
 Formam habe sanorum verborum, quae a me  
 audisti in fide. Bonum depositum custodi per  
 Spiritum S. qui habitat in nobis. Et Jo. in  
 sua Apoc. Asiae angelos, sive Episcopos sicut  
 eo nomine laudat, quod servarent verbum  
 Christi, ac ejus nomen non negarent, ita eo  
 nomine reprehendit, quod in infectandis fidei  
 hostibus sint remissiores. Ex veterum ἱστοριῶν  
 historicorum monumentis apud Eusebium colli-  
 gere licet quanta cautione, ac providentia se  
 gesserint Asiae Episcopi in judicandis, rejicien-  
 disque falsis Montani, ejusdemque pseudo-  
 prophetissarum Maximillae, & Priscillae errori-  
 bus, ac deliramentis; quod & reliquos adver-  
 sus alias identidem exorientes haereses Episco-  
 pos praestitisse, antiqua Ecclesiastica monu-  
 men-*

menta apertius testantur, quam ut hac in re diutius immorari necessum sit.

XVII. Non fidei modo Dogmata, verum & Ethices Christianæ Præcepta fidelibus ab Episcopis sunt quam frequentissime inculcanda; scilicet ut jam inductæ aboleantur in morum disciplina pravæ abusiones, ac illibata in conceditæ sibi plebis actibus servetur puritas. Neque alius plerumque Episcopaliū concionum *σχοπός* videtur fuisse. Unde Augustinus in hac re veluti Dux, & Magister de Doctr. Christ. Lib. IV. cap. 4. sic concionatorem instituit. *Debet divinarum Scripturarum tractator, & doctor bona docere, mala dedocere, atque in hoc opere sermonis conciliare aversos, remissos erigere, nescientibus quid agatur, quid expectare debeant, intimare.* Et Serm. V. de verbis Domini. *Ule novit sub cujus oculis loquor, immo sub cujus oculis cogito, non me tantum delectari laudibus popularibus, quam stimulari, & angere, quomodo vivant, qui me laudant.* Qua de re quum apud Cæsaream Mauritanæ quandam veluti civilem pugnam, turbulentam, ac maxime periculofam a civibus statis temporibus frequentari novisset, ab assiduis concionibus illic non destitit, quam ubi de abolita prava abusione securus videri posset. Graphicam Augustini hujusce historię narrationem inferne invenies (8). Neque de-

mum

---

(8) *Augustinus de Doctrin. Christ. Lib. IV. cap. 24.* Quum, *inquit*, apud Cæsaream Mauritanæ populo dissuaderem pugnam civilem, vel potius plusquam civilem, quam *Cateruam* vocabant: neque enim cives tantummodo, verum etiam propinqui, fratres, postremo parentes, ac filii lapidibus inter se in duas partes divisi per aliquot dies continuos, & certo tempore anni solemniter dimicabant, & quisque ut quemque poterat occidebat. Egi quidem granditer, ut tam crudele, atque inveteratum malum de cordibus, & moribus eorum avellerem, pelleremque dicendo. Non tamen egisse aliquid me putavi, quum eos audirem adclamantes, sed quum sientes viderem. Adclama-

ma-

num omittendus Chrysoſtomus, qui *Hom. IV.* in Acta Apoſt. ſuam plebem ſic adloquitur. *Nam quæ ſpes nobis, ſi vos non proficiatis? Rurſus geſtire mihi videor, quum boni quidpiam audio de vobis. Implete meum gaudium. Quod adverſus omnes decerto, hoc eſt quoniam diligo, quoniam conglutinatus ſum, quoniam omnia mihi vos eſtis, & pater, & mater, & fratres, & liberi.*

§. VI. *Propria Parœciæ, ſive Diœceſeos viſitatio Epifcopo incumbit.*

XVIII. Porro ſatis non eſt, ut Epifcopus fidei depositum cuſtodiat, & plebis mores in urbe duntaxat Epifcopali moderetur, niſi Parœciæ ſuæ, ſive Diœceſeos oppida, & vicos frequenter inviſat, perſpiciatque, num recte ibi ſe habeant Religionis negotia. Chryſoſtomus inter præcipua Epifcopi munia Eccleſiarum recenset viſitationem. Namque *Hom. I. in Epif. ad Titum*, docet Epifcopis valetudini ferviendum, ut bene valentes ſuas poſſint invinſere Eccleſias. *Si lectulo documbar, quid proficere poterit, quam ſubire viſitationem, quo pacto viſitare Eccleſias?* Quinimmo de Sacerdotio *Lib. III. cap. 18.* æque opulentos, præpotentesque, ac mediæ fortis viros eſſe privatim ceu filios paterna caritate inviſendos, ut vel renitentes impellerent, quo ſe a vitiis abducerent, ad virtutem incitarent. Auguſtinus  
in

---

mationibus quippe ſe doceri, & delectari, ſecti autem lacrymis indicabant. Quas ubi adſpexi inanem illam conſuetudinem a patribus, & avis longeque a majoribus traditam, quæ pectora eorum hoſtiliter obſidebat, vel potius poſſidebat, deviſtam antequam reiſa id oſtenderent, credidi. Moxque ſermone finito ad agendas Deo gratias corda atque ora converti. Et ecce jam ferme octo, vel amplius anni propitio Chriſto; ex quo illic nihil tale tentatum eſt.

in Fussalensi Castro, cujus cives a Donatistarum schismate ad Ecclesiam Catholicam traduxerat, Episcopum constitutum voluit, quod quum is locus longius ab Hippone distaret, eum frequenter invisere non posset. *Ep. 261.* Tum *Ep. 257.* idem Episcopale munus perspicue indicat scribens. *Quoniam visitandarum Ecclesiarum ad meam curam pertinentium necessitate profectus sum.* Denique Martinum sanctissimum illum Turonensem Episcopum a seculo impositum in veste hispida nigro pendulo pallio circumtectum suas Parochias visitantem, & ubique in vicis idololatriæ reliquias debellantem describit Severus Sulpitius *Dial. II. (10)* Postremo ea quoque de causâ Episcopis visitationis onus incumbere Veteres Patres docuere, ut scilicet tinctos sacro fonte a Presbyteris ipsi Confirmationis Sacramento communirent: Hieronymus *Dialog. contra Lucif. Non abnuo*, inquit, *hanc esse Ecclesiæ consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat.*

XIX. Non negaverim quidem in quibusdam Orientalibus Ecclesiis morem viguisse, ut Episcopi per *Περίεργους* Circuitores sive Visitatores, vel per Chorepiscopos suas Parochias visitarent. Verum quum & Periodæ & Chorepiscopi nec ubique, nec diu viguerint, hinc nonnisi Episcoporum præcipua ac primaria visitandarum suarum Diœcesew<sup>1</sup> videtur fuisse & cura & potestas.

CA-

---

(10) In antiquis Ecclesiæ monumentis occurrunt quoque exempla Patriarcharum, qui suas Diœceses & Metropolitanarum, qui suas Provincias circumlustrant: uti inferius observabimus, quum de Patriarcharum, & Metropolitanarum iuribus agendum nobis erit.

## C A P U T XV.

## De Chorepiscopis.

## §. I. De Chorepiscoporum Origine.

I. **B**londellus *Apolog. S. Hieron. Sect. V.* in Chorepiscoporum originem inquirens eos a prima usque Ecclesiæ infantia arcessere conatur. Censet enim Apostolos in singulis quibuscunque oppidis, & pagis Episcopos ἀδιαφόρως constituisse, æque ac in celebrioribus urbibus: at ætate progrediente, quum sensim factum esset, ut oppidani Episcopi suorum Presbyterorum (quos nonnisi τῆ πρωτοκαθεδρῆ, καὶ πρωτοχειροτονίᾳ antiquitate cathedræ, & ordinationis anteisse effutit) decurtare inciperent potestatem, horum exemplum imitatos celebriorum urbium Episcopos, oppidorum, & pagorum suæ ditioni Episcopos subjecisse, qui postea hoc intuitu, scilicet, quod imminuta ipsorum fuerit & dignitas, & potestas, Chorepiscopi fuerint adpellati.

II. Futile quidem Systema, quod quum nullo neque Sacrarum Litterarum, neque Ecclesiasticæ antiquitatis monumento fulciatur, profecto mole sua ruit, & quidem manifestius, quam ut in eo evertendo diutius inmoremur necessum sit. Quis enim, quem vel fugientibus oculis apostolica acta perlustrare non piguit, in disseminandæ Evangelicæ fidei veritate ita se gessisse Apostolos ignorat, ut nonnisi in Metropolitibus, aut in civitatibus, quæ ob emporia hominum frequentia celebrabantur, verbum Domini, quod inde in adjacentes civitates facile diffunderetur, adnuntiaverint? Porro de istoc Capite mox redibit sermo, quum de Patriarchis agendum nobis erit.

Ergo



Ergo quum in frequentioribus oppidis, ubi a deplorandis idololatriæ tenebris ad fidei lucem jam homines evocabantur, presbyteri, qui sacra illic obirent munia, constituerentur (quos propterea ἐπιχωεῖος πρεσβυτέρους vicanos *Presbyteros* Synodus Neocæsi. adpellat *Can. XIII.*) hinc factum est, ut quibus harum Ecclesiarum curam committeret civitatis Episcopus, quique vicanis his præessent presbyteris, Chorepiscopi adpellarentur.

III. Atque hinc perspicere datur Chorepiscoporum originem non aliunde profluxisse, quam quod Episcopi, quum urbanæ plebi regendæ intenti, in agros excurrere, ut rusticanis hominibus Ecclesiastica impenderent munia, minus possent, Chorepiscopos, qui tanquam Vicarii suas illic partes agerent, eodem adlegaverint. Id quod & ipsa nominis notio suadet. Sive enim τὸν Χωρεπισκόπον ita ἐτυμολογίζαν velimus, ut a χώρα vice, loco descendat, idem erit, ac *Episcopi Vicarius*: cujusmodi vocatur a Ferrando Diacono in Breviario Canonum, *can. LXXIX.* & ab Auctore antiquæ versionis S. Isidoro adscriptæ. Sive potius a χώρα pagus arcessere libeat, ille *Vicanus Episcopus* erit nobis salutandus: cui etymologiæ favet Conc. Antiochenum *can. X.* ubi ipsos adpellat τὰς αἰ κώμας, ἢ ταῖς χώραις τὰς καλεμένας Χωρεπισκ'πους: *Qui in vicis, & regionibus Chorepiscopi nominantur.* Igitur horum usum jam inde ab Apostolica ætate repetere a vero plurimum abludit. Tunc autem vero similis ortum suum habere inceperunt, quum nimirum Christi religio, quam majores jam amplexatæ fuerant civitates, ex urbibus ad pagos, ubi idolorum cultus plerumque altiores radices agebat, diffusa est: ex quo sane idololatriæ paganorum nomen impositum eruditi vulgo arbitrantur.

IV. Jam vero sicuti Chorepiscoporum originem ab ævo Apostolico deducere verisimile non putamus, ita contra III. Ecclesiæ sæculo ipsos jam in Ecclesia obtinuisse statuimus: his præcipue ducti rationibus, primum quod Synodus Ancyrana ineunte IV. sæculo, quæ omnium prima de Chorepiscopis meminit, ita de iis loquitur, ut de Ecclesiastico munere, quod jam invaluerit, verba facere videatur (1), tum vero præcipue, quod inter Novatianos nonnulli Chorepiscoporum nomine infigniti occurrant: neque suspicari fas est Ecclesiam hac in re Novatianos imitari voluisse: prius igitur, quam sese ab Ecclesiæ dividerent unitate, Chorepiscoporum usus jam vigeat (2).

V. Illud autem heic *παρέργως* licet observare, serius in Occidente, quam in Oriente Chorepiscoporum usum obtinuisse, quum in Occidente nonnisi V. Sæculo Chorepiscoporum mentio facta occurrat, scilicet in Syn. Regiensi (3) ann. 439. in Gallia celebrata (4).

## §. II.

(1) *Concilium Ancyranum* Can. XII. Chorepiscopis non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris civitatis sine præcepto Episcopi, vel litteris in unaquaque Parochia. Ita vulgo hic Canon prostat in Conciliorum Collectione: at veram ejus lectionem mox restituimus.

(2) *Actione I. Concilii Chalced. inter hereticos Novatianos, qui falsato Symbolo subscribere, recensentur duo Chorepiscopi: nimirum Eutychius Chorepiscopus de vico Aulacis; Zenon Chorepiscopus Quartodecimanorum. Socrates* Lib. V. cap. 21. scribit Novatianos in Pascharis celebratione in plures factiones fuisse divisos: at vero ipsorum perosque, præsertim Asianos Quartodecimanos fuisse. Ex his erant, qui falsato Symbolo subscribere.

(3) *Syn. Regiensi* Cap. 4. Licet ei in unam parochiarum suarum Ecclesiam cedere, in qua, aut Chorepiscopi nomine, ut idem Canon Nicænus loquitur, aut peregrina, ut ajunt, communione loveatur.

(4) *In Epistola quidem Damasi P. ad Afros* Chorepiscopi memorantur: at Epistola hæc una est ex putidâ Isideri

mei.

§. II. *Chorepiscopi veri nominis Episcopi non fuere.*

VI. Non levis inter eruditos de Chorepiscopis agitur quæstio, nimirum Episcopi ne fuerint, an vero tantummodo Presbyteri? Chorepiscopatum gradum fuisse Ecclesiasticum Ordini Presbyteratus, non secus ac Archipresbyteratus, adjunctum plerique censent Canonistæ (5): contra alii censent Chorepiscopos omnes antiquis memoratos Canonibus veri nominis Episcopos fuisse (6). At vero similior Cabassutii, Bellarmini, Thomassini (7), aliorumque videtur opinio: nimirum Chorepiscopos propria ipsorum inspecta natura, non nisi presbyteros fuisse, presbyteris tamen *ἐξουίᾳ ποτεσtate*, & gradu Ecclesiastico longe præstantes; etsi aliquando contigerit, ut Episcopi essent, eo quod Episcopi ordinati fuissent, antequam Chorepiscopi constituerentur.

VII. Et sane I. Syn. Neocæsarensis Can. XIV. in locum septuaginta discipulorum institutos Chorepiscopos tradit: atqui ex veterum  
sen-

*mercibus; quam haud γνῶσις genuinam esse inter cetera illud demonstrare, scilicet, quod in Africa Chorepiscopi gradus nunquam obtinuerit. Ubi quoque eruditorum sententia spuria est S. Leonis Papa de Chorepiscopis Epistola ad Episcopos Galliae, & Germaniae.*

(5) Turrianus Not. in Can. LIV. Conc. Nic. Arab. Estius in IV. Sent. Dist. XXIV. p. 3. Antonius August. Epitem. Juris Canon. Lib. VI. Tit. 1. Cap. 8. 11. & 13. Forbescius Iren. Lib. II. cap. 11. &c.

(6) Hammondus Dissert. III. contr. Blondell. Beveregius Pand. Tom. II. Not. in Conc. Ancyr. Can. XIII. Caveus Prim. Christ. P. I. cap. 8. Binghamus Lib. II. cap. 14. §. 4. Espenius Schol. in Can. Antioch. X.

(7) Cabassutius Not. Conc. Cap. 8. de Marca Conc. Lib. II. cap. 13. Bellarminus de Clericis Lib. I. can. 17.

sententia (8) Presbyteri discipulos, Apostolos  
Episcopi repræsentant.

2. Syn. Laodicena *can. LVII.* in hunc modum decernit: *Non oportet in villulis, vel in agris constituere Episcopos, sed Chorepiscopos* Hierodotus (9). *Hos autem, qui antebac ordinati essent, nihil agere sine conscientia & iuvans Episcopi civitatis.* Ex hoc sane Canone colligitur tum Chorepiscopos ex Episcoporum collegio esse expungendos, tum eorum nonnullos Episcopali caractere jam antea fuisse insignitos, sed qui quum Canonico iudicio in inferiorem, scilicet in Chorepiscoporum ordinem essent extrusi, Episcopi potestati oportere esse subjectos.

3. Synodus quoque Nicæna *can. VIII.* de Catharis, sive Novatianis diserte sancivit, ut si quis ex ipsorum secta Episcopus Ecclesiæ se Catholicæ recolligeret; is Presbyteri honorem habebit: nisi utique Episcopo placeat ipsum nominis honorem impartire. Si autem hoc illi non placeat, providebit ei aut Chorepiscopatus, aut Presbyterii locum, ut in Clero prorsus esse videatur, nec in una civitate duo Episcopi probentur existere. Quis heic non perferat Nicæ-

---

(8) Hier. Ep. ad Fabiolam: Nec dubium, quin de duodecim Apostolis sermo sit, de quorum fontibus derivatæ aquæ totius mundi siccitatem rigant. Juxta has aquas septuaginta creverunt palmæ, quas & ipsos secundi ordinis intelligimus Præceptores, Luca Evangelista restante, duodecim fuisse Apostolos, & septuaginta discipulos minoris gradus, quos & binos ante se Dominus præmittent.

(9) Periodontas, de quibus in producto Laodic. Can. mentio injicitur, ab Chorepiscopis diversos esse censent Binghamus, aliique. At contra eisdem esse, ac Chorepiscopos docet Thomassinus, & pluribus demonstrat Duguetius Dissert. XLI. in Can. XVII. Ancyranum, ac præcipue ex Collatione Canonum Laodiceni, & Antiocheni, quorum sententiæ tanta consensione inter se consonant, ut de uno, eodemque Chorepiscoporum ordine utrumque esse omnino dicendum sit.

cænos Patres Chorepiscopos Episcopis longe inferiores agnovisse? Et sane Patres Nicæni Episcopis Novatianis Chorepiscopi locum concedi quidem posse decernunt, ita tamen ut omnino in Cleri ordinem adsciti videantur, ne duo in eadem civitate sint Episcopi. Quæ sane sententia qui stare posset, si Chorepiscopi veri fuissent Episcopi, profecto non video.

4. His autem & illud accedat, quod Chorepiscoporum inauguratio ab Episcoporum consecratione plurimum distabat. Enimvero quis ignorat juxta veterum Canonum Statuta neminem unum, nisi a tribus saltem Episcopis posse Episcopum initiari? Quomodo igitur Chorepiscopos unus duntaxat Episcopus ordinaret? Conc. Antioch. *can. X.* (10) quisnam eis Episcopalem quiverit characterem adscribere? Porro eodem istoc Canone sancitur, ut *qui in vicis, & possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis Episcopi ordinationem, manuumve impositionem acceperint, & ut Episcopi consecrati sint: tamen S. Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant; ut gubernent sibi subjeclas Ecclesias, earumque moderatione, curaque contenti sint. Ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos, atque Exorcistas, quibus promotiones istæ sufficiant. Nec Presbyterum vero, nec Diaconum audeant ordinare præter Civitatis Episcopum, cui ipse cum possessione subjeclus est.*

5. Tandem Patres Conc. Hispalensis an. 620. severe increparunt Agapium quendam Cordubensem Episcopum, eo quod Chorepiscopos ad Episcopalia munia exercenda delegarit; & rationem subdunt; *quia Chorepiscopi, & Presbyteri juxta Canones unum sunt. Ergo Chorepiscopi,*

---

(10) Conc. Antioch. Can. X. *Chorepiscopum Episcopus Civitatis ordinet, cui ille subjeclus est.*

scopi, inspecta propria chorepiscopatus indole, episcopis erant inferiores, nec solemne *χαροπονίας* jus unquam habuere, licet aliquando contigerit, ut Episcopi essent, quod jam antea Episcopali caractere fuerint insigniti. Qua de re miramur Joannem Morinum virum ceteroquin in antiquitate versatissimum in ea fuisse sententia, ut dum Chorepiscopis episcopalem adimit caracterem, ipsis tamen jus Presbyteres, Diaconosque ordinandi elargiatur, Morino hac in re prora, ac puppis est mutilus, ac mendosus Synodi Ancyranæ *Canon XIII.* Præstat igitur heic Canonis verba proferre. expendere, eorumque genuinum sensum aperire.

VIII. Canon, uti in Conciliorum Collectione prostat, in hunc modum se habet. *Chorepiscopis non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare. Sed neque Presbyteris civitatis, nisi eis permittatur ab Episcopo per litteras in aliena parochia.* Profecto si recitata verba eodem quo jacent ordine, accipere velimus, ineptus inde sane editur sensus. Qui enim Presbyteris presbyteros ordinandi data esset potestas, quæ Episcoporum maxime propria est, & in cujus consortium vocari nullus præterea potest? Aut si legere velimus; *Sed neque Presbyteros urbis,* ita ut Chorepiscopis vetitum fuerit urbicos presbyteros ordinare; quis sermonis hujus *πυρολογία* feret? Nam si omnino presbyteros, & Diaconos ordinare Canon chorepiscopis interdicit, quorsum pertinuit de urbanis presbyteris, qui ruralibus longe præerant, sigillatim meminisse? Postrema tandem verba Canonis obscuriores offundunt tenebras; iis enim non solum Chorepiscopis jus ordinandi in propria Parœcia impertiri videtur, verum & *in aliena ἐν ἑτέροις*, Episcopi tamen venia, quod nec ipsi quidem facere possunt Episcopi. Græcus

ergo textus hodiernus ex antiquis latinis versionibus est emendandus.

IX. Ac primo Dionysii Exigui versio sic habet: *Sed nec Presbyteris civitatis sine precepto Episcopi, vel litteris in unaquaque parochia.* Ex quo patet in primigenio textu pro *ἢ ἰερεῖ παροικίας* lectum fuisse *ἢ ἰκασῆ παροικία*. Tum addenda hæc verba *μηδὲν πράττειν* aliquid agere.

X. Et quidem 1. ex veteri Ecclesiæ Romanæ Codice a Quæsnellio primum evulgato; 2. ex Ferrandi Diaconi Breviario *Can. LXXIX. & XCII.* 3. ex Epitome Canonum Hadriani I. Papæ; 4. ex Isidori Versione, & 5. demum ex Capitulari Aquisgranensi Caroli M. In omnibus his versionibus Græci hodierni textus lacuna suppletur verbis illis *aliquid agant.* Canone Ancyrano primigeniæ lectioni sic restituito omne profus corruit Morinianæ opinionis fundamentum.

XI. Jam vero Chorepiscoporum non exigua erat potestas: Nam 1. Hypodiaconos, Lectores, Exorcistas, aliosque inferiores Clericos ordinabant: ita Syn. Antiochena *Can. X. nuper producto*, & S. Basilius *Epist. CLXXXI.* ex qua etiam datur intelligi Basilium ab suis Chorepiscopis requisivisse, ut neminem ad quempiam inferiorem ordinem promoverent, nisi prius de ejus *ἰκανότητι* idoneitate ad Episcopum referrent (11): quam conditionem Synodus Antiochena Chorepiscopis videtur remittere: *Can. X. nuper producto.*

2. Potestatem habebant dandi Clericis Episcopis-

---

(11) S. Basilius *Epist. CLXXXI.* Hæc quidem examinabant Presbyteri, & Diaconi, qui cum eis versabantur. Referebant autem ad Chorepiscopos, qui a vere testificantibus susceptis suffragiis, & eorum admonitis Episcopis ita ministrum &c.

stolas dimissorias: Concilium Antiochenum  
*Can. VIII. (12) Confer Caput. XIII. num. 9.*

3. In Ecclesia oppidana sacris operabantur, etiam presentibus Episcopo, & Presbyteris Urbis; quod sane Presbyteris ruralibus non licebat: ita Concilium Neocesarense *Can. XIII. & XIV. (13)*.

4. Præerant Agrorum Presbyteris, & Ecclesiis, quas, uti superiori Capite vidimus, tamquam Episcopi vicarii in credita sibi regione visitabant: ita Conc. Antioch. & Hidorus Hispalensis (14).

5. Prærogativa fruebantur sedendi in Conciliis, & cum Episcopis suffragia ferendi. Et sane definitionibus Conciliorum Nicæni, Ephesini, Neocesarensis, aliorumque plures subscripsisse Chorepiscopos eorundem Acta probant. Profecto Concilio Nicæno I. *Palladius*, & *Seleucius* subscripserunt, tanquam *Chorepiscopi* Provinciae Cælesyriæ: *Gorgonius*, *Stephanus*, *Euphronius*, *Rhodon*, *Theophanes*, ut *Chorepiscopi* Provinciae Cappadociae, aliique aliarum provinciarum *Chorepiscopi*. Conciliis quoque Neocesarensi, Ephesino, & Chalcedonensi *Chorepiscopi* subscripserunt.

6. Potestatem habebant confirmandi Neophytos; eos scilicet, qui in Vicis, & pagis

Tom. I.

N

re-

(12) Conc. Antioch. *Can. VIII. Chorepiscopi nulli reprehensioni adfines deus pacificas.*

(13) *Conc. Neocesar. Can. XIII. & XIV.* Vicari Presbyteri non possunt in Dominico offerre præsentem Episcopo, vel Urbis presbytero; neque panem dare precationis, neque calicem. *Chorepiscopi* autem sunt quidem in figura septuaginta: ut autem comministri propter studium in pauperes offerunt honorati.

(14) *Conc. Antiochen. nuper producto Canone, & Hidorus Hispal. de Offis. Eccles. Lib. II. cap. 3.* *Chorepiscopi* in villis, & vicis instituti gubernant sibi commissas Ecclesias.



recens baptizati erant. Syn. Regiensis *Cap. 3.* (15). Quidnam vero istæ Confirmatio fuerit videbimus, quum de Sacramento Confirmationis agemus.

7. Denique ex Conc. Chalcedonenfis *Can. II.* Chorepiscopatus per peculiarem conferebatur *χειροτονία* manuum impositionem (16); quod Chorepiscopis, uti observat Thomassinus *P. I. L. II. Cap. I. num. 9.* non exterior quædam, & temporalis duntaxat committeretur jurisdictio; sed spiritualia ipsis concrederentur munia; & licet novum ordinem non acciperent, potestatem tamen accipiebant, ea quidem, qua fruuntur Episcopi, inferiorem, ea tamen, qua Presbyteri, superiorem. Profecto indicato *Can. Chalced. Sacri ordines ab Officiis* satis aperte segregantur. Ordines primo recensentur: *Si quis ordinaverit per pecunias Episcopum, Chorepiscopum, Presbyterum &c.* deinde ad Officia venit: *Aut promoverit per pecunias OEconomum, Defensorem.* Adnumeratur ergo sacros inter ordines *Chorepiscopatus*, eique tribuitur ordinatio *χειροτονία* manuum impositio: At *OEconomus, Defensori &c.* tantummodo promotio *προβήματα*. Nequaquam igitur proban-

(15) In Synodo Regiensi habita anno 439. Armentarius, quod sine consensu Metropolitanæ a duobus tantum Episcopis ordinatus esset, ea conditione Episcopatum dimittere cogitur, ut Chorepiscopus esse possit; *Cap. 4* productum. 3. Ipsi autem non nisi ruralis Parochiæ cura assignatur; etiam ministrorum Clericorum ordinatione interdicta; tribuitur tamen potestas confirmandi Neophytos, de qua silent Canones Græci, qui de Chorepiscopis agunt. Nec ordinare vel ultimum clericorum presumat. . . In Ecclesia, quam fuerit adeptus, solum Neophytos confirmare; & ante presbyteros offerre conceditur.

(16) *Conc. Chalced. Can. II.* Si quis Episcopus per pecuniam ordinaverit *χειροτονία* Episcopum, vel Chorepiscopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, aut quemlibet ex his, qui connumerantur in Clero: aut promoverit per pecunias Dispensatorem, aut Defensorem, vel quemquam &c.

banda illorum sententia videtur, qui quam maxime possunt Chorepiscoporum dignitatem elevantes, eos Vicarios, quos dicimus *Foraneos*, æquiparare adsolent; quum his hactenus explicata Chorepiscoporum munia nunquam fuisse tributa nullus est, qui ignoret. Illud heic tantummodo juvat observare in una, eademque Diœcesi plures aliquando fuisse Chorepiscopos. Profecto S. Gregorius Nanzianz. in eo, quod de sua ipsius vita conscripsit *Poemate*, testatur Basilium obnoxios sibi habuisse Chorepiscopos quinquagesima.

XII. Verum Chorepiscopis grave vulnus inflatum est, ubi *περιόδευται* *Circumcursatores*, *Circuitores*, sive *Visitatores* constitui cœperunt. Horum prima occurrit mentio in Conciliis Chalcedonensi *Act. IV.* & Constantinopolitano sub *Menna Act. I.* ubi Presbyteri aliquot occurrunt *τῷ περιόδευτῷ* titulo condecorati (17). Horum munus videtur fuisse, ut tanquam *Vicarii Episcopi* Diœceses circumlustrarent. Verum inductis *Periodentis* non statim *Chorepiscopatus* extinctus est: adhuc enim multis in locis conservabatur: ejus enim non modo Basilii loco producto n. II., & Gregorius Nanzianz. *Epist. LXXXVIII.* meminerunt, sed etiam in Concilio Chalcedonensi Chorepiscopos sedisse legimus, qui Episcoporum, a quibus missi fuerant, nomine subscripserunt. Igitur Chorepiscopatus Sæculo V. adhuc vigebat, at Chorepiscoporum potestas jam imminuta erat: in antecessis enim conciliis suo ipsorum nomine subscripserunt. Verum sicuti

N 2

in

(17) Concilium Chalcedonense *Act. IV.* Reverendissimus Presbyter, & circuitor *περιόδευτης* Alexander, *Ibidem Act. X.* Valentinum ordinavit Presbyterum, & *περιόδευτην* Procuratorem. Concilium Constantinopolitanum sub *Menna*: Sergius Presbyter, & Lustrator *περιόδευτης*.

in Occidente ferius, quam in Oriente Chorepiscopi instituti sunt; ita quoque ferius in Occidente esse desierunt. Et sane in Oriente ætate Balsamonis jam exoleverant, in Occidente vero nonnisi IX. exeunte sæculo, quando ex perperam intellectis Orientalibus quibusdam Canonibus Episcopalia sibi munia vindicare usi sunt, tum per Gallicanas Synodos, tum & per ipsos R. Pontifices omnino aboli- ti sunt, quibus successisse videntur Decani, sive Archipresbyteri Rurales, de quibus in nostris Institutionibus Canonicis.

## C A P U T XVI.

## De Romano Pontifice.

I. **H**Actenus de Episcopis, eorumque origine, ac potestate generatim. Juvat modo de pluribus, iisdemque variis Episcopatus gradibus sermonem instituere. Atqui summum sive Episcopatus, sive Ecclesiasticæ Hierarchiæ culmen, ac fastigium in Apostolica S. Petri Cathedra & quidem ex Christi institutione, semper novit antiquitas. Tum R. Pontifici, qui eam tenet Cathedram, tamquam ejusdem Principis Apostolorum successori, Primatus in universa Ecclesia non dignitatis modo, & honoris, verum & potestatis, ac jurisdictionis non humano, at divino jure nunquam tributus non est. De S. Petri in urbem adventu, Romano Episcopatu, certamine cum Simone Mago, ac demum Martyrio, sui- que Corpusculi deposito jam satis Cap. III. Tum S. Petri, ejusque Successorum in Ecclesia universali Primatum ex divino Novi Fœderis Codice sat abunde demonstrant Theologi. Illud igitur duntaxat nobis reservatum peculium est; nimirum ut eundem R. Pontificem

cum

cum primatum ex antiquis adstruamus Ecclesiasticis monumentis. Age porro rem adgrediamur.

§. I. De Honorificis quibusdam Nominibus, quibus R. Pontifex antiquitus decorari, ac distingui consuevit.

II. Profecto uti Christus ad indicandam S. Petro elargitam supra reliquos Apostolos præcellentem dignitatem ipsi Simonis nomen mutatum voluit; atque adeo iussit, ut deinceps

Syriace <sup>ܐܦܬܘܠܘܣ</sup> *Chipho* nuncuparetur, græce

<sup>Πέτρος</sup> *Petros*, latine *Petra*, sive *Petrus*; ita quoque ejusdem Successor R. Pontifex pluribus, iisdemque honorificentioribus præ reliquis Orbis Christiani Episcopis nominibus semper in Ecclesia decorari, ac distingui consuevit, quibus haud obscure ejusdem in universa Catholica Ecclesia Primatus indicaretur.

III. Ac 1. dictus est *Pontifex Maximus*, & *Episcopus Episcoporum*: Tertull. Lib. de Pudic. cap. 1. in Zephyrinum stylum procaciter acuens agebat: *Pontifex Maximus, Episcopus Episcoporum dicit*: &c. Quidamvis autem his cum nominibus per sarcasum nominet, indicat tamen ita jam a Catholicis nuncupari consuevisse.

2. *Pater Patrum*, & *Apostolico culmine sublimatus*: Stephanus Episc. Carthag. in Epist. ad Damasum Papam nomine trium Conciliorum Africæ scripta; *Beatissimo Domino, & Apostolico culmine sublimato Sancto Patri Patrum Damaso Papa*.

3. *Summus omnium Præsidum Pontifex*: ibid. *Et Summo omnium Præsidum Pontifici*.

4. *Pontifex Christianorum*: Eusebius in Chronico ad an. 44.

5. *Ecclesie Petra, sive Fundamentum*: Hieronymus Epist. ad Damasum: *Super hanc Petram edificatam Ecclesiam scio.*

6. *Christi ovilis Pastor, & Custos*: Ambrosius Epist. 81. ad Siricium: *Recognovimus literis tuis boni Pastoris excubias, quam fideliter tibi commissam januam serves, & pia sollicitudine Christi ovile custodias.*

7. *Domus Dei, sive Ecclesie Rector*: idem Ambrosius in I. Timoth. 3. *Domus Dei est Ecclesia, cujus hodie Rector est Damasus.*

8. *Apostolicæ Sedis Præsul; sive Antistes*: Hilarius Papa Epist. XI. ad Episcopos Galliarum: *Ut quidquid Ecclesiis in auferendis confusionibus Apostolicæ Sedis Antistes suo pronuntiasset examine &c. & Valentinianus III. in Novell. Const. ad calcem Cod. Theodos. Pro lege sit quidquid sanxit, vel sanxerit Sedis Apostolicæ auctoritas (1).*

9. *Ad Principatum Sacerdotis super omnes erectus*: Valentinianus in Epist. ad Theodos. in Collect. Conciliorum Chalced. Concilii Actis præposita: *Beatissimus Romane Urbis Epi-*

---

(1) Haud negaverim Episcopos Antiochenum, Ephesinum, Jerosolymitanum &c. eodem aliquando titulo fuisse donatos: verum ipsis R. Pontificem triplici potissimum intuitu præstitisse contendit Bellar. de R. Pontifice Lib. II. cap. 31. nimirum 1. quod Sedes Romana  $\chi\alpha\rho\epsilon\tau\epsilon\rho\chi\eta\nu$  *Sedes Apostolicæ* dicta sit: quum reliquæ ab aliis Apostolis fundatæ Ecclesiæ Apostolicæ dictæ non sint, nisi cum addito: *Ephesina; Antiochena* &c. 2. quod R. Pontifex non Sedem duntaxat Apostolicam, verum & Sedis Apostolicæ Principatum tenere dictus sit: August. Epist. 162. al. 43. *Ecclesie Romane, in qua semper Apostolica Cathedra viguit Principatus*; 3. demum quod R. Pontifici haud semel Apostolatus absolute tributus sit: Conc. Chalced. Act. I. *Præcipere dignatus est ejus Leonis Apostolatus, ut Dioscorus non sedeat in Concilio*: & Honorius Imp. in Epist. ad Bonifacium: *Quotidianis orationibus Apostolatus tuus studium, ac votum suum circa salutem, atque imperium nostrum dignetur intendere.*

*Episcopus, cui principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit.*

10. *Caput omnium Episcoporum: Legatis Sedis Apostolicæ in Syn. Ephesina Act. II. Grati- agimus Sanctæ, venerandæque Synodo, quod litteris Sancti, Beatique Papæ nostri.... Capiti vestro sanctos cantus sanctis etiam adcla- mationibus exhibueretis.*

11. *Caput Universalis Ecclesiæ: Legati Sedis Apostolicæ in Syn. Chalced. Unde Sanctus, & Beatissimus Papa Caput universalis Eccle- siæ &c.*

12. *Beatissimus, & Apostolicus Vir: Syn. Chalced. Act. XVI. Beatissimus, & Apostolicus Vir Papa hoc nobis præcepit.*

13. *Christi Vineæ Custos: Eadem Synodus in Epist. ad Leonem: Cui Vineæ custodia a Salvatore commissa est.*

14. *Universalis Archiepiscopus, & Patriar- cha: ibid. Act. III. ubi tres ad Leonem inscri- ptæ habentur cum hac epistolæ ἐπιτομή Sanctissi- mo, ac Beatissimo Universali Archiepiscopo, & Patriarchæ Magnæ Romæ Leoni.*

15. *Princeps Sacerdotalis Coronæ: Valenti- nianus III. Novell. ad calcem Cod. Theodo- siani: Sedis Apostolicæ Primatum S. Petri me- ritum, qui Princeps est Sacerdotalis Coro- næ &c.*

16. *Præfectus totius orbis, & caput familiæ Christi: Chrysoftomus Tom. VI. pag. 282.*

17. *Pastoralis principatus dignitate illustris: Theodorus Studita Lib. I. Epist. 33. ad Leo- nem Pap.*

18. *Profanarum heresæon depositor, Princeps, & Doctor orthodoxæ, & immaculatæ fidei: Ser- gius Cypriensis Episcopus Epist. ad Theodo- rum Pontificem.*

19. *Sacerdos potissimus: Hilarius in Syn.*

Romana an. 467. Nos qui potissimi Sacerdotis administramus officia.

20. *Ecclesie Præsidens*: August. Lib. I. contra Julianum Cap. 6.

21. *Spiritualis Pater omnium, Summus Pontifex, & Venerabilis Universalis Papa*: Hincmarus Remensis in Conc. Pontig. Can. 1. *Ut honor Domino, & Spirituali Patri nostro Joanni Summo Pontifici, & venerabili universali Papæ ab omnibus conservetur.*

22. *Summus Pontifex, Vicarius Christi, omnium Christianorum Pastor, & Magister*: Græci in Synodo Florentina suam de R. Pontificis Primatu sententiam in hunc modum edidere: *Confitemur Papam esse Summum Pontificem, Vicarium Christi, omnium Christianorum Pastorem, & Magistrum cum jure administrandæ Ecclesie Dei.* Huc quoque facit insignis S. Bernardi locus, quem vide inferne (2).

23. De nomine *Papæ*, ejusque etymo, & usu in veteri Ecclesia jam satis in nostris Institutionibus: illud heic tantummodo observandum ex Bellarmino de R. Pontif. Lib. II. cap. 31. *Papæ nomen, licet ad VI. usque sæculum non Episcopis modo, verum & Abbatibus, Clericisque commune, peculiari tamen*

qua-

---

(2) S. Bernardus Lib. II. de Confid. cap. 8. *Eugenium Rom. Pontificem sic adloquitur.* Age indagemus adhuc diligentius quis sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum, tu heres Apostolorum; tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyse, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. . . Nec modo ovium, sed & Pastorum omnium tu unus Pastor. . . Alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis ardeatur limitibus, tua extenditur in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt.

quadam ratione R. Pontifici fuisse tributum : & quidem tum quod ipse solus *Universalis Ecclesie Papa* diceretur , uti ex Conc. Chalcedon. modo observavimus , tum quod *Papa* absolutæ nominato R. Pontifex semper intelligeretur ; unde , ubi reliquis tribuebatur Episcopis , eorundem nomen adjiciebatur : quod pluribus exemplis demonstravimus supra Cap. XII. n. 10. Contra vero R. Pontifex κατ' ὀνομασίαν *Papa* dici consuevit : Unde in Syn. Chalced. Act. XVI. Legati Sedis Apostolicæ : *Beatissimus* , inquit , & *Apostolicus Vir Papa* hoc nobis præcepit . Hactenus recensitis honorificis titulis & aliis reliqui etiam Episcopi aucti sunt , at non nisi peculiaribus quibusdam nominibus : verum ea ratione , qua divinus in universam Ecclesiam Primatus effertur , Romano duntaxat Pontifici tributi sunt .

§. II. *Romana quoque Ecclesia præ reliquis honorificentioribus quibusdam nominibus donata est .*

IV. Ac I. dicta est *Ecclesia Principalis* , unde unitas sacerdotalis exorta est : Cypr. Epist. 55. ad Cornelium : *Navigare audent , & ad Ecclesiam principalem , unde unitas Sacerdotalis exorta est .*

2. *Ecclesia reliquarum Matrix , & Radix* : Cypr. Ep. 42. ad eundem Cornelium de Schismaticis sic scribit : *Diversæ partis obstinata pertinacia non tantum Radicis , & Matricis complexum recusavit ; sed etiam contra Sacramentum semel traditum divinæ dispositionis , & Catholicæ unitatis &c.*

3. *Unitatis Centrum* : Irenæus adversus hæreses Lib. III. cap. 3. *Ad hanc enim Ecclesiam propter principaliorem potestatem necesse est omnem convenire Ecclesiam .*



4. *Prima de dotibus*: Optatus Milev. Lib. II. contr. Parmen.: *Cathedra unica est, que est* *Prima de dotibus... Sedit prior Petrus &c.*

5. *Ecclesia, in qua semper Apostolicæ Cathedre viguit principatus*: August. Epist. 165.

6. *Petra quam non vincunt superbæ inferorum portæ*: August. Lib. II. contr. Donatist. cap. 65.

7. *Ecclesia, unde per diversas tatus mundi regiones puritatis incorruptæ manent fidei Sacramenta salutis*: Epist. Africæ Episcoporum ex tribus Conciliis ad Theodorum R. Pontificem.

8. *Ecclesia, in qua B. Petrus vivit, & præsidet, præstatque querentibus fidei veritatem*: S. Fulgentius Epist. ad Eutychetem: Conc. Chalced. Par. I. n. 15.

9. *Mundi Cacumen*: S. Fulgentius de *Incarnatione* Cap. 2. loquens de fide Ecclesiarum Africæ circa Incarnationis Mysterium scribit: *Quod Mysterium Romana, que Mundi Cacumen est, tenet & docet Ecclesia.*

10. *Caput omnium Ecclesiarum*: Eugenius Episc. Carthag. apud Victorem Uticensem de *Persec. Vandalic.* Lib. II. *Et præcipue Ecclesia Romana, que Caput est omnium Ecclesiarum*: Et Justinianus Senior in Epist. ad Joannem II. *Vestræ innotescat Sanctitati, que Caput est omnium sanctarum Ecclesiarum.*

11. *Sedes Roma Petri, que pastoralis honoris Facta Caput mundi quidquid non possidet armis, Religione tenet*: S. Prosper in *Carmine de Ingratis.* Et in Lib. II. de *vocatione Gentium* Cap. 6. *Roma per Sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis.*

12. *Sedes B. Petri, que in universali Ecclesia adsignatum sibi a Domino tenet principatum*: Anastasius II. Epist. ad Anastasium Imper.

13. *Sedes Apostolica, unde omnis Ecclesia totius religionis sumsit exordium*: Felix IV. Epist. ad varios Episc.

14. *Sedes Apostolica, ubi Orthodoxorum Dogmatum fundamenta existunt*: Sophronius in Conc. Later. sub Martino I.

V. Istæ sane honorifica nomina, quibus Romanus Pontifex, ejusque Cathedra tum ab Græcis Latinisque Patribus, tum ab ipsis etiam Imperatoribus semper in Ecclesia perpetua traditione donata, ac distincta est; adhæc & rationes, cur tot, tantis, tamque splendidis decoratam titulis voluit antiquitas, profecto ejusdem in universali Ecclesia Primatum haud obscure indicant.

VI. Jam vero ad adstruendum divinum R. Pontificis in universa Ecclesia primatum, nullum efficacius produci posse videtur argumentum, quam quod jam inde ab ævo apostolico potestatem in universa Ecclesia exercuerit.

Ac 1. quidem sese divinus Primatus exeruit Canones condendo, Canones exsequendo, ad Canones cogendo reliquos in Episcopatu fratres.

2. Sese latius explicuit nutantes in fide confirmando, devios ad fidem revocando, pertinaces a fidei communione segregando.

3. Sese luculentius protulit unitatem commendando, ad unitatem cogendo, unitatem vindicando: Unitatis enim, uti centrum est R. Sedes, ita tutor, & vindex est R. Pontifex.

VII. Tria istæ Capita in nostris Juris Canonici Institutionibus vix indicata, heic præcipuis ex ima antiquitate petitis monumentis explicare, & adstruere pro Instituti nostri ratione satagemus.

§. III. Romanus Pontifex jure suo Canones condit, & ad Canonum observationem tum mandatis, tum exemplis reliquos cogit in Episcopatu fratres.

VIII. Profecto quum R. Pontifex ex Christi institutione Petra sit Ecclesiæ fundamentalis, ipsi profecto leges Ecclesiasticas, sive Canones condendi potestas conveniat necessum est, quibus universa ædificiæ Ecclesiæ machina veluti sustentetur. Atqui hanc potestatem jam inde ab primis sæculis R. Pontifices exercuerunt.

Et quidem 1. quum nonnulli IV. exeunte sæculo in eo versarentur errore, ut crederent baptizatos ab Arianis esse denuo ad baptismum suscipiendum redigendos, hunc errorem Liberius Papa sua auctoritate correxit, Decretaque generalia hac de re edidit per provincias evulganda: *Siricius in Decretis cap. 1. (3).*

2. Ipse Siricius in Responso ad consultationem Himerii Tarraconensis Episcopi plura constituit universalis Disciplinæ capita, quibus non Hispanienses modo, verum & omnes prorsus Catholici Orbis Ecclesiæ adstringerentur. Profecto Caput VIII. quo cavetur ne inexplorata vitæ homines ad Cleri dignitates promoverentur, in hunc modum claudit: *Quid ab universis post hæc Ecclesiis sequendum sit, quid vitandum generali pronuntiatione decernimus.* Atque adeo *ibid.* Apostolicæ Sedis Decre-

---

(3) *Siricius Epist. ad Himerium Tarracon.* Quod non licet, (scilicet baptizatos ab Arianis denuo baptizare) quum hoc fieri, & Apostolus veter, & Canones contradicant, & post castatum Ariminense Concilium missa ad Provincias a venerandæ memoriæ prædecessore meo generalia Decreta prohibeant.

creta Canonibus exæquat: *Quamquam Statuta Sedis Apostolicæ, vel Canonum venerabilia definita nulli ignorare sit licitum.*

3. Prima Ecclesiastica lex, qua Sacerdotibus, & Diaconis continentix fibula est imposita, Decretum est ejusdem Siricii *ibid. cap. 7.* Consuetudo quidem, ut alibi demonstrabimus, jam inducta erat, ut tres Superiores Ecclesiastici gradus, vel cœlibatum profiterentur, vel saltem ab usu conjugum, quas prius duxerunt, abstinerent. Verum Ecclesiastica sanctio, qua & id fuerit constitutum, & pœna adversus contumaces inflictæ, nulla occurrit Siriciana antiquior: quam sane per omnes Occidentis provincias, etiam per Macedoniam, Thessaliam, & Græciam obtinuisse pluribus demonstrat Petrus de Marca *Lib. I. cap. 8.*

4. Innocentius I. plura edidit Decreta non ad Occidentales modo Ecclesias, verum & ad Orientales spectantia; inter quæ digna est, quæ memoretur, Epistola ad Alexandrum Antiochenum Episcopum, qua duplex disciplina Ecclesiasticæ Caput statuitur. Primum: Patriarchæ Antiocheni jus esse æque Metropolitanas, ac reliquos omnes Orientalis Diœceseos Episcopos vel per se ordinare, si vicini sint, vel, si distiti, per delegatos Episcopos. Alterum: Divisis imperiali judicio provinciis, ut duæ fiant in civili politia Metropoles, non inde duos etiam Metropolitanos Episcopos esse constituendos. Qua de re Juvencialis Episcopus Jerosolymitanus in Concilio Ephesino P. II. Act. IV. professus est *ex apostolico ordine, & traditione maxime morem esse, ut Antiochena Sedes ab Romana dirigatur, & apud eandem judicetur.*

5. Iplemet Innocentius Decretum quoddam edidit de Virginibus, quæ castitatem profes-

ſæ ſint: de quo Concilium Turonicum an. 567. *Can. II.* ſic loquitur: *Quis Sacerdotum contra Decreta talia, quæ a Sede Apoſtolica proceſſerunt, agere præſumat?*

6. Cæleſtinus quoque datis Litteris ad Episcopos per provincias Viennensem, & Narbonensem tum ſpiritualem ſuam curam circa quamvis longinqua loca non deficere prædicat, ſed ſe per omnia, qua nomen Dei adnuntiatur, extendere; tum ſui muneris eſſe docet, & *quæ coercenda ſunt reſecare, & quæ obſervanda ſunt, ſancire.*

7. Poſtremo omittendum non eſt illuſtre Concilii totius Galliæ plenarii ſub Carolo Calvo Pontigone celebrati teſtimonium, ubi *Can. I.* de Apoſtolice Sedis Conſtitutionibus Patres in hunc modum locuti ſunt: *Ut honor Domino, & ſpiritali Patri noſtro Joanni Summo Pontifici, & venerabili univerſali Pape ab omnibus conſervetur, & quæ ſecundum ſacrum ſuum miniſterium auctoritate Apoſtolica decreverit, cum ſumma veneratione ab omnibus ſuſcipiantur.*

8. Quid quod & ipſi Imperatores hanc in R. Pontificibus condendorum Canonum poteſtatem agnovere? Et ſane Valentinianus Imperator Novella, quæ exſtat ad calcem Cod. Theodoſ. Tit. XXIV. de R. Pontifice ſic decernit: *Ne quid tam Episcopis Gallicanis, quam aliarum provinciarum contra conſuetudinem veterem liceat ſine viri venerabilis Pape urbis æternæ auctoritate tentare. Sed illis, omnibusque pro lege ſit, quidquid ſanxit, vel ſanxerit Apoſtolice Sedis auctoritas.*

9. Plures quoque huc facientes Conciliorum Canones adferri poſſent, quibus prærogativa illa Sedis Apoſtolice ubique agnita demonſtraretur: verum id Inſtituti noſtri ratio non ſinit. Satis igitur eſto Concilii Aurelianenſis

sis I. an. 501. *Can. I.* qui in hunc modum se habet: *De homicidis, adulteris, & furibus si ad Ecclesiam confugerint, id constituimus observandum, quod Ecclesiastici Canones decreverunt, et lex Romana constituit.*

IX. Jam vero R. Sedis, uti maxima fuit cura suis Decretis Ecclesiasticam Disciplinam moderandi, ita non minor eluxit sollicitudo, ut venerandi Ecclesiæ Canones ubique fideliter custodirentur.

Et sane 1. quidnam causæ fuit, cur R. Pontifices, ac præsertim Anicetus, & Victor, adversus Asianos in quæstione de Paschate, & Stephanus in quæstione de baptisate hæreticorum adversus Africanos, ipsosque Asianos tam strenue pugnarent, nisi ut Canones ab Apostolis Ecclesiis a se fundatis primum voce traditi, perpetua cura in Ecclesia farti, & recti haberentur? Atque adeo Romanorum Pontificum in Apostolicarum traditionum custodia tanta, tamque singularis diligentia existit, ac sedulitas, ut postea Patres Nicæni in utroque illo sanciendo Capite eorundem sententiam fuerint secuti (4).

2. Innocentius I. Epist. ad Victricium Rothomag. diserte indicat ad suam spectare sollicitudinem eos admonere, qui vel ignorantia, vel desidia non tenent Ecclesiasticam

Di-

---

(4) *Patres Nicæni in Epist. Synod. ad Eccles. Alex. apud Theodoret. Lib. I. cap. 2. in hunc modum scribunt: Quod autem ad omnium consensum de sacratissimo festo Paschatis celebrando attinet, scitote quod controversia vestris precibus de ea re suscepta prudenter, & commode sedata est: ita ut omnes fratres, qui Orientem incolunt, quique Judæorum consuetudinem antea in eo festo observando imitari solent, jam Romanos nos, & omnes vos sint deinceps secuturi. Et Facundus Hermianensis Lib. contra Mutianum: Stephani potius, quam Cypriani sententiam tenet Ecclesia, non solum de non rebaptizandis hæreticis, verum etiam de rebaptizantibus non ferendis.*

Disciplinam, & multa non præsumenda præsumunt (5).

3. Atqui Liberius jam antea idem pene dixerat, dum ad Constantium scribens sic loquitur: *Nunquam mea statuta, sed Apostolica, ut essent semper firmata, & custodita perfecti.* Adhæc, ut firma permanerent, quæ in Nicæna Synodo de voce *Ομολογίας* constituta fuerant, Synodum Ariminensem damnavit.

4. Idem Innocentius Acta Synodi ad Quercum, ubi Jo. Chrysostomus damnatus est, eo nomine rescindenda censuit, quod contra Canonum præscripta constituta essent (6). Neque vel tantulum Innocentium commovit interrupta inter Occidentis, & Orientis Ecclesias ea de causa communio.

5. Zosimus R. Pontifex *Epist. VII. ad Episcopos provincie Viennensis, & Narbonensis* de Procuro Episcopo Narbonensi, & de Simplicio Episcopo Viennensi graviter conqueritur, quod multa contra veterem formam in Episcoporum ordinationibus molirentur, atque adeo in Concilio Taurinensi subdola quadam obreptione ordinandorum Episcoporum sibi fecissent potestatem; unde ut in primigenium statum cuncta redeant, fortiter præcipit (7).

6. Ne-

(5) *Innocentius I. Epist. ad Vitric.* Propter eos igitur, qui vel ignorantia, vel desidia non tenent Ecclesiasticam Disciplinam, & multa non præsumenda præsumunt, recte postulasti . . . Non quod nostra præcepta aliqua imperentur, sed ea, quæ per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari cupiamus, quæ tamen Apostolica, & Patrum traditione constituta sunt.

(6) *Innocentius I. Epist. 29. ad Clerum, & Populum Constantinopolitanum:* Hæc contra Canonum observationem sunt. Canonibus porro obsequendum esse scribimus, qui Nicææ sunt decreti, quos solos consecrari decet Ecclesiam Catholicam.

(7) *Zosimus Epist. VII. ad Viennenses, & Narbonenses Episcopos.* Multa contra veterem formam Procuro a surpasse detectus est . . . Indecens ausus, & in ipso vestibulo

6. Neque aliunde, quam ex Canonum Nicænorum auctoritate R. Pontifices Zosimus, Bonifacius, & Cælestinus jus recipiendi adpellationes ab sententiis Conciliorum Africæ sibi vindicandum crediderunt. Verum de hac re redibit sermo, ubi de Adpellationibus agemus.

7. Quidnam causæ fuit, cur R. Pontifices, ac præsertim Leo M. & Gregorius M. tanta, tamque mirabili constantia Canonem Chalcedonensem XXVIII. reprobare non desiverint, quo Episcopo Constantinopolitano Primatus post R. Pontificem tribuebatur, nisi quia vetus Ecclesiastica Disciplina Canonibus Nicænis primum firmata penitus convelli videbatur? Unde Leo M. Epist. ad Anatolium: *Tanquam, inquit, refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo, & illa Nicænorum Canonum per S. vere Spiritum ordinata conditio in aliqua unquam sit parte solubilis.* Verum de hoc capite redibit sermo, ubi de Constantinopolitani Patriarchatus Origine, & Progressibus.

8. Postremo R. Pontifices in suis Decretalibus quam sæpissime ad Canonum urgent observantiam; atque adeo Responso ad consultationes Episcoporum haud raro vel ex Canonibus hauriunt, vel Canonibus confirmant. Quin immo ubi accideret, ut Rescriptum aliquod ederent, quod postea Canonibus contrarium noscerent, illud rescindere non dubitabant. Unde quum Auxanius Episcopus Rescriptum quoddam ab Hilario Papa impetrasset,

---

Io rescandus, hoc ab Episcopis ob certas causas Concilium agitantibus extorquere; quod contra statuta Patrum . . . concedere, vel mutare ne hujus quidem Sedis possit auctoritas. Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam. Et quia redire in ordinem suum intermissa præcipimus &c.



set, quo jura Ebredunensis Metropolitani lædebantur: ubi hoc novit Hilarius, continuo Epistola data ad Leontium, Veranum, & Victorium Episcopos, ipsis ejus rei cognitionem committens irrita, & nulla esse declarat, quæ obreptitie in præjudicium Ingenui Ebredunensis Metropolitæ Auxanius ab Apostolica Sede extorserat: *Nihil adversus Canones, nihil contra decessoris mei judicium valeat, quidquid obreptum nobis esse constiterit.*

X. Igitur R. Pontifices ut reliquos in Episcopatu fratres ad Canonum observantiam facilius, ac felicius possent cogere, ipsi primum eosdem sibi servandos, ac perpetuo custodiendos proposuerunt. Et sane, ut loquitur Gregorius M. Lib. V. Epist. 12. *Justitiæ, ac rationis ordo suadet, ut qui a Successoribus desiderat mandata servari, Decessoris sui procul dubio voluntatem, & statuta custodiat.* Plura in id congerere animus non est; sed minime prætereundus Gelasius in Epist. ad Episcopos Lucaniæ, ubi inter cetera hæc habet: *Quum nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nihil licere, & quum Sedes Apostolica superior his omnibus favente Domino, quæ paternis sunt Canonibus præfixa, pio devotoque studeat tenere proposito, satis indignum est, quemquam vel Pontificum, vel ordinum subsequentium hanc observantiam refutare quam B. Petri sedem & sequi videat, et docere.* Quibus hæc non sufficiunt antiqua Ecclesiastica monumenta, ii adeant Petrum de Marca Lib. III. cap. 8.

§. IV. *Romanus Pontifex Unitatis Custos, & Vindex.*

XI. Et sane, uti docent Hieronymus, & Optatus Milev. ea potissimum de causa S. Petro

tro a Christo Domino universalis Ecclesiæ Primatus concreditus est; licet Bono unitatis, & ut Capite constituto schismatis tolleretur occasio (8). Unde in Concilio Jerosolymitano Petrus primus omnium locutus est, ac exortam de legalium observatione controversiam suæ sententiæ gladio compescuit, cui postea reliqui Apostoli suum calculum addidere.

XII. Hanc prærogativam in Romanis Pontificibus, tamquam S. Petri successoribus, veteres Patres agnovere. Et sane I. S. Irenæus, qui Apostolica pene vixit ætate, diserte scribit ad R. Ecclesiam, tamquam unitatis centrum oportere reliquas omnes convenire, quæ sunt undique constitutæ, peculiare Ecclesias; atque adeo unius R. Ecclesiæ traditione, & adcuratione quanta maxima custodita fidei regula omnes eos confundi, qui quoquo modo inde aberrant (9).

2. S. Cyprianus, qui medio sæculo III. floruit, in *Epist. ad Cornelium*, quem ad R. Sedem canonicè provecum Novatiani agnoscere detrectabant, disertissime, uti R. Sedem centrum unitatis, ita & R. Pontificem unitatis Custodem prædicat. Nam I. Novatianos eo nomine accusat, quod quum Cornelio, tamquam Sacerdoti Dei legitime electo obtemperare renuerint, unitatem corporis Ecclesiæ, conflato schismate, violare, atque adeo scinde-

(8) S. Hieron. *Lib. I. in Jovinianum*: Unus eligitur, ut Capite constituto, schismatis tolleretur occasio.

*Optatus Milev. Lib. I. contra Parmenianum*: Bono unitatis B. Petrus . . . præferri omnibus Apostolis meruit.

(9) S. Irenæus *Lib. III. cap. 3.* Ecclesiæ a duobus Apostolis Romæ fundatæ traditionem indicantes confundimus eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam scientiam, præter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorē principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.

dere ausi sint (10). 2. Iisdem obstinatum, atque inflexibilem exprobrat pertinaciam, qua ad Cornelii complexum, tanquam ad matricis, & radicis sinum confugere renuentes, ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem redire, ejusdemque scissi corporis membra componere neglexerint; Quin potius 3. adulterum, & contrarium Caput fecerint (11). Tum 4. unitatem Cathedræ Apostolicæ supra Petrum fundatæ cum unitate Dei, cum unitate Christi, cum ipsius Ecclesiæ unitate comparat: *Deus unus est, inquit, & Christus unus, & una Ecclesia supra Petrum Domini voce fundata. Aliud Altare constitui, aut Sacerdotium novum fieri præter unum altare, & unum Sacerdotium non potest.* Ecquis heic non videt Cyprianum unitatis Ecclesiæ, unitatis Altaris, unitatis Sacerdotii uti Centrum R. Sedem, ita & Custodem R. Pontificem agnoscere? 5. Postremo Novatiani Legatus Carthaginem adventantes nulla ratione voluit recipere, immo nec audire, quod ejus essent factionis, quæ ab Cornelii communione,

---

(10) *Cyprianus Epist. ad Cornelium Lib. I. Epist. 3.* Neque aliunde hæreses abortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur. Neque dicas hic Cyprianum de singulis loqui particularium Ecclesiarum Episcopis. *Σχορὸν* enim Cypriani adversus Novatianos scribitur, qui contra Cornelium canonicè electum Novatianum R. Episcopum inordinate constituerant, profecto ejus sermonem ad Apostolicam duntaxat Sedem referendum hæud obscure prodit. Id quod & ex aliis ejusdem Cypriani producendis auctoritatibus apertius efficitur.

(11) *Cyprianus Ep. ad Cornelium Lib. II. Epist. 10.* Miserramus nuper collegas nostros, qui enterentur, & quantum possent elaborarent, ut ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem scissi corporis membra componerent, & Christianæ caritatis vinculum copularent. Sed quoniam diversa partis obstinata, & inflexibilis pertinacia non tantum radicis, & matricis sinum, atque complexum recusavit, sed etiam Episcopum sibi constituit, & contra Sacramentum semel traditum divinæ dispositionis, & Catholicæ unitatis adulterum, & contrarium Caput extra Ecclesiam fecit &c.

ne, & obedientia discesserat: *Epist.* 45. Quid plura? Scribens aduersus schismaticos æque Romanos, ac Africanos tunc temporis Ecclesiæ unitatem dilacerantes, haud semel Sedem Romanam *Ecclesiam principalem* adpellat, *Catholicæ Ecclesiæ Radicem*, & *Matricem*, aliisque similibus nominibus, quæ profecto quam evidentissime Cypriani sententiam produunt in R. Ecclesia unitatis Ecclesiasticæ centrum, custodiam, ac normam agnoscentis.

3. Aurelianus Imperator licet Ethnicus sententiam ferens aduersus Paulum Samosatenum, qui Episcopatu Antiocheno Synodali sententia depositus Domno in ejus locum canonicè electo Episcopalem domum tradere renuebat, decrevit, domum illi adjudicandam, cui *Christiani Italia*, & *Urbis Romæ Episcopi per litteras tribuendam præscriberent*. Quinam id in mentem Ethnici Imperatoris cadere poterat, nisi pervagata tunc esset opinio, communionis Catholicæ testeram ab R. Sede petendam?

4. Optatus Milevitanus *Lib. II. contra Parmenianum* Catholicæ Ecclesiæ unitatem aduersus Donatistas eo potissimum adstruit argumento, quod in Cathedra Romana, quæ *Unica est*, & *Prima de dotibus*, perpetua habeatur Episcoporum successio, *cum quibus totus orbis commercio formatarum, in una communionis societate concordat*.

5. Idem quoque argumentum aduersus Hunericum Regem Vandalorum urfit Eugenius Episcopus Carthaginensis, teste Victore Uticensi de *Persecut. Vandal.* *Lib. II. si nostram fidem, que una, & vera est, potestas Regis cognoscere desiderat, mittat ad amicos suos. Scribam & ego Fratribus meis, ut veniant Coepiscopi mei, qui vobis nobiscum communem fidem*

va-

valeant demonstrare, & præsertim Ecclesia Romana, quæ Caput est omnium Ecclesiarum &c.

XIII. Jam vero R. Pontifex Unitatis Ecclesiasticæ non Custos modo est, verum & Vindex. Et sane 1. in utraque illa de Paschate, & de hæreticorum baptismo controversia, nonne ut ad unitatem cogere reliquos in Episcopatus fratres tam strenue R. Pontifices concertarunt?

2. Quum Cæcilianus variorum delictorum nomine falso a Donatistis accusaretur, non alibi ejus innocentia plene adserta est, quam Romæ Concilio habito ab Papa Melchiade, ubi ab ipfomet Melchiade sententia pro Cæciliano in hunc modum prolata est: *Quum constiterit Cæcilianum ab iis, qui cum Donato venerunt juxta professionem suam non accusari; nec a Donato convictum esse in aliqua parte constiterit, suæ communioni Ecclesiasticæ integro statu retinendum merito esse censeo.* Tum Donato solo, ut loquitur August. Epist. 43. quem totius mali principem invenerat, maxime culpato, sanitatis recuperandæ optionem liberam veteris fecit, paratus communicatorias litteras mittere etiam iis, quos a Majorino ordinatos esse constaret. . . . *O virum optimum, o filium Christianæ pacis, & patrem Christianæ plebis!*

3. Liberius Papa videns in Syn. Mediolanensi, S. Athanasio præcipiti judicio Ariano-  
rum fraudibus damnato, unitatis Ecclesiasticæ vinculum violatum, ac veluti discissum, non modo Synodi Acta rescidit, verum & Litteras dedit amoris plenas ad Eusebium Vercellensem Episcopum, ad Luciferum Calaritanum, aliosque Catholicos Episcopos pro fide Nicæna exilio, aliisque calamitatibus afflictatos, quibus eorum animos simul & solatus est,

est, & ad unitatis Ecclesiasticæ vinculum sustentandum cohortatus (12).

4. Quum in Ariana Antiochena Synodo Episcopi Ὁρθόδοξοὶ ἄποιοι magis orthodoxi per vim damnati essent, atque adeo calamitatibus opprimerentur, non alio se conferendos putarunt, quam Romam: *Socrates Lib. III. cap. 8.*

4. Porro jus Romanæ Sedis unitatem Ecclesiæ vindicandæ manifestius elucet in Julio I. qui medio Sæculo IV. Ecclesia præsertim Orientali Arianorum æque erroribus, ac fraudibus exagitata, sese tamquam murum æneum, & columnam ferream hæreticis opposuit, atque Athanasium, aliosque Catholicos Episcopos in Synodo Tyria damnatos in communionem recipiens, unitatem Ecclesiæ pro virili restituerè conatus est. Tum in Epistola, quam ad Orientales scripsit, eosdem graviter objurgat, quod quum de Episcopis Ecclesiarum Apostolicarum ageretur, aliquid moliri ausi sint inconsulta Sede Apostolica: tum consuetudinem opponit, qua in gravioribus hisce causis Sedis Apostolicæ consensus exspectandus esset, ut quod justum est, definiri posset (13). Et

fa-

---

(12) Inter Episcopos ob repudiatam Sirmiensem formulam exilio adfectos haud postremo loco recensendus S. Maximus Episcopus Neap., de quo *Acta sincera apud Sirmundum hæc habent*: Maximus quoque de Neapoli Campaniæ eo quod esset inhabili stomacho, & corpore delicatior, primum quidem ut caderet, diu afflictus injuriis, deinde, ubi ob animi constantiam, fideique virtutem, carnis infirmitate non vincitur, ductus est in exilium, atque illic Martyr in Domini pace requievit.

(13) *Julius I. Epist. ad Orient.* Episcopi erant, & non vulgares Ecclesiæ, quæ ista patiebantur, sed quas ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerunt. Cur igitur, & in primis de Alexandrina Civitate, nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut postea, quod justum est, definiri possit? Quapropter si illic hujusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit.

sane quum Ecclesiarum Apostolicarum, ac præsertim Romanæ maxima semper in Ecclesia fuerit dignatio, ita ut cum iisdem communicatio, ac præsertim cum Romana, uti haud semel observavimus, sinceræ fidei professionis tessera per ea tempora haberetur; hinc in eorundem Ecclesiarum Episcopos sententiam dicere periculosum oppido erat, ac unitati Ecclesiasticæ scindendæ viam sternebat, nisi R. Pontifex, qui præ illis eminebat, prius consuleretur. In hoc sane capite, quæ hic de Alexandrina Sede adnotamus, cum iis consonant, quæ nuper de Ecclesia Antiochena ex Innocentio I. & ex Actis Concilii Ephesini observavimus.

6. Postremo, ut cetera omittam, eandem R. Pontificis prærogativam indicare videtur antiquissima semper in Ecclesia servata consuetudo, scilicet ut Romani Pontifices etiam in dissitis regionibus Episcoporum electionibus aliquando intercederent ad schismata vitanda, unitatemque Ecclesiasticam factam tectam servandam: præsertim ubi Clerus, & plebs impacato dissidio inter duos competitores fluctuarent, vel ubi Metropolita electionem a plebe, & Clero legitime peractam ob diversarum partium studia confirmare renueret, vel ubi Episcopus legitime electus, quominus consecraretur, inexpugnabiles quidam opponerentur obices, vel alias ob causas, unde periculum esset, ne schisma aliquod oboriretur. At de hoc capite sermo redibit, ubi de *Electiõne*.

§. V. R. Pontifex jure suo fidem tuetur, devios ad fidem revocat, pertinaces a Fidei communione segregat.

XIV. Ac I. Stephanus Papa, ut fidem, quam ab divina, & apostolica traditione acceperat, tueretur, tanta, tamque mirabili fortitudine pro baptisinate in hæresi suscepto pugnavit adversus Cyprianum, ejusque adleclas, ut nihil supra. Unde Eusebius *Lib. VII. cap. 3.* summopere Stephanum commendat, quod nihil adversus traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissime id tulit. Et disertius Vincentius Lirinensis in Commonitorio Stephani sapientiam, & fortitudinem in tuenda fide, quam a Patribus susceperat, summis laudibus effert (14).

2. Stephani vestigia secutus Liberius ejusdem traditionis vindicem se præstitit acerrimum, dum contra pravam a nonnullis inductam abusionem, baptizatos ab Arianis haud denuo baptizandos edixit: *Siricus in Decretis cap. 1.*

3. Quum Pentapolitani Dionysium Alexandrinum veluti læsæ fidei nomine apud Dionysium Romanum Pontificem accusassent: *Euf. Lib. VII. cap. 26.* hic sui muneris partes esse censuit, statim Romæ Concilium cogere, ut sic puritati fidei, quæ in Alexandrina Sede periclitari videbatur, consuleret. Unde Synodi

Tom. I.

O

di-

(14) *Vincentius Lirinensis Commonit. Lib. I. cap. 9.* Intelligebat vir sanctus, & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi omnia, quæ fide a Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur, nosque Religionem, non quæ vellemus docere, sed potius quæ illa docuerit sequi oportere. Idque esse proprium Christianæ modestiæ, & gravitatis, non sua posteris tradere, sed a majoribus accepta servare.



dicam misit ad Dionysium Alex. Epistolam, imperavitque ut suam de argumento, circa quod ipsi lis intentata fuerat, sententiam aperiret. Scripsit iste ad Dionysium R. Apologiam, qua calumnias omnes sibi a delatoribus impactas plene depulit.

4. Idem Dionysius Alex. requisitus de baptisate, quod apud hæreticos fidelis haud pravo animo acceperat, quum dubius hæretet, quodnam jus ea in quæstione ipsi dicendum esset, nonnisi ad Sixtum R. Pontificem scribendum duxit epistola data, qua diserte se animi pendentem fatetur, & suo oraculo indigentem: Euf. Lib. VII. cap. 7. *Nam profecto opus habeo, Frater, consilio tuo, & sententiam tuam expeto, ne forte ipse hallucinet.* Tum altera ad eundem Pontificem data Epistola ipsum recens exortæ Sabellianæ hæresis certiozem reddit, ut sic suæ adversus Sabellianos prolatae sententiæ ab Apostolica Sede robur accederet: Eusebius *Lib. VII. cap. 5.*

5. Medio Sæculo III. quum persecutio supra modum in Africa fureret, & Cyprianus in Carthaginiense suburbanum secessisset, Sedes Apostolica per clerum R. (extremum enim diem obierat Fabianus) datis Litteris ad ipsum Cyprianum, & ad Clericos Carthaginienses eisdem maximorationum pondere hortatur ad fidem tuendam, ac plebem suo in munere continendam, ne superstitione scædetur: *Apud Cypr. Ep. 8.*

6. S. Soter antiquum Rom. Pontificum morem non servavit modo, verum & adauxit: scilicet damnatis ad metalla fidelibus, vel in exsilium ejectis, necessaria usibus humanis submittendi, & per Epistolas in fide confirmandi: Dionys. Corint. Epist. ad Dionys. Rom. apud Euseb. *Lib. IV. cap. 23.*

7. Lucius Rex Britannorum per Legatos ab Eleutero Rom. Pontifice viros Apostolicos petiit, qui Britannos Christi præceptis erudirent: Beda de Gestis Anglorum *Lib. IV. cap. 4.* & in *Lib. de Sex Ætatibus.*

8. In gravi illa tempestate, qua Ecclesia in Synodo Ariminensi jactata est, quisnam fidei Catholicæ Nicænæ patrocinium suscepit, nisi Liberius, qui non modo Ariminensem damnavit perfidiam, verum & libenter mandato Imperatoris, Valente Episcopo Ariano agente, ab Ecclesia exturbatus, & Roma exire coactus in Cœmeteriis suburbanis ad Constantii usque obitum latitavit? Ammianus Marcell. *Lib. XV. cap. 12. Id ille Athanasio semper infestus licet sciret impletum,* ( Athanasii damnationem ) *tamen auctoritate quoque, qua potiuntur æternæ Urbis Episcopi, firmari, desiderio nitobatur ardenti:* Sozomenus *Lib. IV. cap. 17. Baronius ad annum 359.*

9. Ecclesia Orientali in duas factiones diuturno schismate divisa, aliis unam, aliis vero tres in divinis hypostases agnoscendas contententibus, S. Hier. ad R. Sedem confugiendum censuit, ut inde, quid eo in capite tenendum esset, edisceret: quinimmo luculenter profitetur se non alium, quam R. Pontificem Petri successorem agnoscere, cum quo communionem sociatus in Ecclesiæ consistere unitate tuto posset. Auream hac de re Hieronymi sententiam lege inferne, ubi S. Doctor fidei Catholicæ tutelam R. Pontifici satis manifesto adlerit, vindicatque (15).

O 2

10. Hæ-

(15) *S. Hier. Epist. ad Damasum.* Cum Successore Piteatoris, & discipulo Crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudinis tuæ, idest Cathedralæ Petri communionem contemtor: super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. . . Non novi Vitalem, Melcium

10. Hæresis Apollinaristarum, ubi primum damnata est, nisi in Romana Synodo ab Papa Damaso an. 374. celebrata? Unde Sozom. Lib. VI. cap. 25. scribit. *Primus Damasus Episcopus Urbis Romæ, & una cum illo Petrus Alexandrinus Antistes, quum hanc hæresim latius serpere intellexissent, Concilio Romæ congregato, eam ab Ecclesia Catholica alienam esse decreverunt.* Tum idem Damasus altero coacto Concilio Macedonianos, aliaque Arianæ hæreseos mala germina suæ potestatis falce recidit: *Syn. VI. Act. XVIII.*

11. Jovinianus primum Romæ a Papa Siricio damnatus est: Siricius *Epist. II.* uti quoque adversus Helvidium Joviniani præcurso-rem libellum jam antea Damasus ipse conscripserat: *Hier. Epist. 22.* Idem Siricius, uti loquitur Auctor Pontificalis, *contra Manichæos, Priscillianistas, imo & contra omnes hæreses pugnavit.*

XV. Plura addi possent; verum hætenus producta ex quatuor prioribus sæculis deprompta monumenta satis videntur ad plene adferendum, ac vindicandum R. Pontifici jus tuendi fidem. Verum non minor eluxit R. Pontificum cura in deviis ad fidem revocandis. Hujusce curæ etiam in hætenus dictis emicant icintillæ; verum perpauca quædam evidentiora proferre monumenta abs re non erit.

XVI.

---

tium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit. . . Discernite, si placet, obsecro: non timebo tres hypostasas dicere: si iuberis. . . Ego interim clamito, si quis Cathedræ Petri conjungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærete se dicunt. Possem credere, si hoc unus adfereret: nunc aut duo mentiantur, aut omnes. Idcirco obtestor Beatitudinem tuam per crucifixum mundi salutem, omouision Trinitatem, ut mihi epistolis tuis sive tacendarum, sive dicendarum hypostasicon decur auctoritas.

XVI. Ac I. Deciana Persecutione furente, quum plures fideles æque clerici, ac laici lapsi in idololatriam essent, S. Cornelius Papa Concilium Romæ habuit, ubi tum Canones constituit ad eosdem facilius ad fidem, & pœnitentiam juxta revocandos (16); tum & impiam Novatiani doctrinam damnavit, qui lapsos ab pœnitentia, & ab Ecclesiæ communionem omnino, ac perpetuo arcendos contendebat. Adhæc quum nonnulli Novatiani sectatores in Ecclesiæ communionem reditum cogitarent, cum his benigne agendum duxit, ac rigorem disciplinæ tantisper remittendum, ut reliqui inde ad redeundum in Ecclesiam incitarentur.

2. Liberius quoque plurimum laboravit, ut Episcopi, qui Arianorum fraudibus decepti, in Synodo Ariminensi Nicænam fidem, veluti prodiderant, in Ecclesiæ Catholicæ complementum redirent; quidquid contra obstreperent Luciferiani. Unde in Epistola ad Orientales de eorundem in Ecclesiæ communionem reditu gloriatus: *Omnes, inquit, illi fere episcopi, qui Arimini convenerant, quique vel fallacibus inescati illecebris, vel vi compulsi, a fidem quidem desciverant, nunc tamen ad sanam mentem reversi, fidei formulæ ab Episcopis Arimini convocatis editæ anathema denuntiaverunt, & fidei catholicæ, & Apostolicæ Nicææ confirmatæ subscripserunt, & nobiscum jam una communicant.* Id quod Damasus quoque curavit Concilio Romæ habito.

3. Siricius quoque Manichæorum in Ecclesiam

O 3

siam

(16) De Cornelio, ejusque Successore Lucio sic scribit Cyp. Ep. 67. Illi pleni Spiritu S. & in glorioso martyrio constituti dandam esse lapsis pacem censuerunt, & pœnitentia & fructum communicationis, & pacis negandum non esse literis suis signaverunt.

siam reditum curavit; tum ex his multos ad Ecclesiam redeuntes, ne sociorum conversatione denuo polluerentur, iussit in monasteria tradi, ibique toto vitæ spatio pœnitentiam agere: Auctor Pontif. in *Siricio*.

XVII. Jam vero R. Pontifices, uti devios ad fidem revocandi, ita quoque pertinaces a fidei communione segregandi jus sibi tribuerunt.

XVIII. Ita I. Sæculo H. S. Hyginus Papa ab Ecclesia ejecit Cerdonem erroris Marcionitarum auctorem. S. Irenæus *Lib. I. cap. 12.* & Cyprianus *Epist. 74.*

2. S. Pius I. Marcionem ab Patre suo Episcopo pulsum ex Ecclesia, ac Romam se conferentem, omni prorsus Ecclesiastica communione privavit: *Epiph. Her. XLII. §. 1.*

3. Victor Papa Asianos Decreto a se promulgato de die celebrandi Pascha obtemperare detrectantes, jam anathematizandi consilium inierat; quod tamen hortatur, & suasionem Irenæi abiecit: *Euseb. Lib. V. cap. 24.* Idem R. Pontifex habitis Romæ Conciliis Theodorum, Ebionem, & Artemonem, Sabellium quoque, & Noetum, tum & Valentinum abdicavit: *Hier. de Viris Illustr. XXXIV.*

XIX. Sæculo III. I. Zephirinus P. Proclum pertinacissimum Montani sectatorem a Cajo viro in primis diserto, & pio disceptationibus convictum damnavit: *Euseb. Lib. V. cap. 28. & Lib. VI. cap. 14. & 20.*

2. Fabianus sententiæ adversus Privatam veterem hæreticam in Africano Concilio jam latæ apostolicam addidit robur: *Cypr. Epist. LV.*

3. S. Cornelius tum Novatianum, ejusque sectatores, tum & Felicissimum anathemate perculit: *Cyprian. Epist. LV.*

XX. Sæculo IV. I. Damasus Papa primum

Ur-

Ursacium, & Valentem excommunicavit, dein & Auxentium, ejusque sectatores deposuit, Ecclesiasticaque excommunicatione multavit: Synodi Rom. ann. 367. & anni 372. apud Athanatum *Epist. ad Africanos*, & apud Socratem *Lib. VI. Cap. 23.*

2. Innocentius I. hæresi Pelagianam primum ex Pontificibus Apostolico mucrone percussit; tum & Novatianos Romæ degentes persecutus est, multasque eis Ecclesias ademit: Socrates *Lib. VII. cap. 9.* Cassiodorus *Hist. Tripart. Lib. XI. Cap. 9.*

3. Anastasius I. tum impia *τρεῖς ἀρχῶν* volumina proscripsit, tum & eorundem auctorem Origenem anathematizavit: Hier. *Ep. 130. Lib. XVIII.* & *Epist. 127. Lib. XVI.*

4. Siricius Papa Jovinianum, aliosque damnavit hæreticos. Unde Ambrosius in Relcripto ad Siricium: *Itaque Jovinianum, Auxentium, Germinatorem &c. quos Sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundum judicium tuum esse damnatos.*

XXI. Jam vero ex hæctenus constitutis, explicatisque Sedis Apostolicæ juribus, tanquam ex jactis fundamentis tres præcipue ejusdem Sedis oriuntur prærogativæ; nimirum I. Ad R. Sedem oppressorum omnium ex universo Orbe perfugium, ac recursus.

2. R. Sedis in dubiis sive doctrinæ sive disciplinæ communis gravioribus consultatio.

3. Ad R. Sedem graviorum Causarum sive post, sive etiam ante institutum in Provinciis judicium relatio: nihilque finitum in quaque Ecclesia unquam habitum, nisi calculus R. Pontificis accessisset.

§. VI. *Ad Romanam Sedem oppressorum omnium ex universo orbe perfugium, ac recursus.*

XXII. Ac 1. ex universo Christiano orbe ad Sedem R. confugere, qui se gravatos in provinciis putabant. Sæculo II. Marcion ab Episcopo suo excommunicatus ad Pium I. Romanam contendit, ut absolutionem acciperet. Epiph. *Hæres. XLII.*

XXIII. Sæculo III. 1. Fortunatus, & Felix a Cypriano communionem privati ad Cornelium P. provocarunt; Cypr. *Lib. I. Epist. 3.*

2. Nec ita multo post Stephano Romanam Sedem habente Basilides in Hispania depositus ad Stephanum supplex accessit; Cypr. *ibid. Ep. IV.*

3. S. Dionysius Alex. hæresis nomine a Pentapolitanis falso accusatus ad Dionysium R. Pontificem Apologeticam pro sua doctrina dedit epistolam, a quo Catholicus declaratus est, & in communionem receptus: S. Athanasius in *Epist. de sent. Dionysii*; Baronius *ad ann. 261. n. 4.*

XXIV. Sæculo IV. 1. Athanasius ab Orientalibus depositus ad Julium I. sese recepit, ut restitueretur: Sozom. *Lib. III. cap. 2.* Paucis post annis Conc. Sardicense Episcopis permisit, ut in Synodis provinciæ depositi ad R. Sedem adpellare possent; *Can. V.*

2. Maximus Episcop. Constantinopolitanus in Concilio Constantinopolitano depositus ad R. Sedem adpellavit, ut, Nectario reprobato, Constantinopolitanam Sedem retinere posset. Confer Valesium in *Notis ad Sozom. pag. 151.*

3. Eustathius Episcopus Sebastenus in Concilio Melitino ab Arianis depositus ad Liberium Papam contendit, a quo litteras obtinuit, quorum auctoritate in suam sedem resti-

stitueretur: Unde, ut loquitur Basilius, *Epist. LXXIV. Liberii Epistolam adtulit, per quam restitueretur. Eam ubi Tyanensi Synodo exhibuit, in suum locum restitutus est.*

4. Eutyches a Flaviano Episcopo Constantinopolitano damnatus ad Leonem Papam confugit, a quo tamen susceptus non est: S. Leo *Epist. ad Flavianum.* Unde Flavianus in Respons. ad Leonem sic loquitur: *Quia idem Eutyches libellos direxit vobis plenos omni fallacia, & calliditate, dicens iudicii tempore libellos se dedisse adpellationis.*

5. Ad Leonem ipsum adpellavit Flavianus in Pseudo-synodo Ephesina, tradito Legatis Sedis Apostolicæ libello: *Epist. Valentiniani ad Theodosium, & Epist. Leonis ad Theodosium,* ubi Leo sic scribit. *Et nostri in Pseudo-synodo Ephesina fideliter reclamaverunt, & eisdem libellum adpellationis Flavianus Episcopus dedit.*

6. Theodoretus, quod Nestorio favere videretur, in Concilio Ephesino damnatus, ad Leonem quoque adpellavit, a quo in communionem receptus est: unde Act. II. Conc. Chalced. *Ingrediatur & Reverendissimus Episcopus Theodoretus, ut sit particeps Synodi, quia restituit ei Episcopatum SS. Archiepiscopus Leo.*

7. S. Jo: Chrysostrmus ab Episcopis Ægyptiis exagitatus, immo & depositus, ad Innocentium I. confugit, qui & sanctissimum Episcopum in communionem adseivit, & litteras dedit ad Clerum, & Populum Constantinopolitanum, in quibus scribit indignum, & intolerabile prorsus videri facinus illud, scilicet dejectum per vim Episcopum non servato iudicii specimine, & adversus Canones: *Epist. Innocentii ad Joannem Chrysostr.*

8. Joannes Patriarcha Alex. ab Petro Mog-



go hæretico, urgente Imperatore Zenone, Episcopatu deturbatus ad Simplicium Papam adpellavit: Liberatus in Breviario Cap. XVIII. *Joannes ingressus est ad Calendionem Patriarcham, & sumtis ab eo intercessionis Synodicis Litteris R. Pontificem adpellavit.*

9. Maximus Episcopus Valentinus, quem Clerici ejus accusaverant, adpellavit ad Bonifacium: Bonifacius quidem inhærens auctoritati Canonum Sardicensium cognitionem causæ remisit ad Synodum Provinciæ; at simul juri Sedis suæ per eosdem Canones quæsito prospexit; nimirum ut si Maximus læsum esse existimaret, ac Sedis Apostolicæ auxilium imploraret, in potestate Papæ esset, aut primum judicium confirmare, aut revisionem decernere: *Quidquid autem, scribit, vestra caritas de hac causa decernendum esse duxerit, quum ad nos relatum fuerit, nostra, ut conducet, necesse est auctoritate firmetur: Bonifacius Epist. II. ad Episcopos Gallie (17.).*

XXV. Plura heic adferri possent: similibus adpellationum exempla; verum hætenus producta satis videntur pro vindicando R. Pontifici jure recipiendi adpellationes ab sententiis Episcoporum: quod & R. Imperatores etiam agnovere, uti patet ex pluribus eorundem Legibus, ac præsertim Gratiani Rescripto, cujus præcipua Capita inferne reperiens (18).

§. VII.

(17) Quod spectat exempla adpellationum a nobis producta illud hic obiter duntaxat animadvertendum, ex sententiâ Petri de Marca, aliorumque Canonistarum, illas non veri nominis adpellationes fuisse, sed mera confusio, sive provocaciones. Verum de hoc Capite fusius Lib. III. ubi Petri de Marca sententiam expendemus ac de Adpellationibus ex professoagemus.

(18) Rescriptum Gratiani Imperatoris apud Sirmondum in Appendice Codicis Theodosiani: Volumus autem, ut qui-

§. VII. *Romane Sedis in dubiis sive doctrinae, sive discipline communis consultatio.*

XXVI. Ac 1. in ipsis nascentis Ecclesiae exordiis occurrit Epistola Corinthiorum ad S. Clementem Rom. Episcopum, in qua post expositam discordiae apud ipsos obortae causam, opem, & consilium implorabant.

XXVII. Saeculo II. 1. S. Polycarpus Romam contendit ad Papam Anicetum, ut cum eo de die Paschatis ageret.

2. Martyres Lugdunenses S. Irenaeum ejusdem Ecclesiae tunc Presbyterum ad Eleuterium misere ob quasdam Ecclesiae quaestiones: Beda *Hist. Anglor. Lib. I. cap. 4.*

XXVIII. Saeculo III. 1. In quaestione de Lapsis S. Cyprianus R. Sedem consuluit, quam tum morte Fabiani R. Clerus moderabatur: S. Cyprianus *Epist. ad Fabianum, & ad Clerum Romanum.*

2. Ad Stephanum Dionysius Alex. primam earum, quae de baptismo conscriptae sunt, epistolam exaravit, quum per id temporis non mediocri controversia exorta esset, utrum

Q 6

eos,

---

quicumque judicio Damasi, quod ille cum consilio quinque, vel septem habuerit Episcoporum, vel eorum, qui catholici sunt, judicio, vel consilio condemnatus fuerit, si injuste voluerit Ecclesiam retentare . . . auctoritate adhibita, ad Episcopale judicium remittatur, ut ad urbem Romam sub prosecutione perveniat. Aut si in longinquioribus partibus alicujus ferocitas talis emerferit, omnis ejus causae dictio ad Metropolitanam in eadem provincia Episcopi deducatur examen. Vel si ipse Metropolitanus est; Romam necessario, vel ad eos, quos Romanus Episcopus Judices dederit, sine dilatione contendat . . . Quod si vel Metropolitanus Episcopus, vel cujuscumque sacerdotis iniquitas est suspecta, aut gratia, ad Romanum Episcopum, vel ad Concilium quindecim finitimorum Episcoporum liceat provocare.

eos, qui ex qualibet hæresi convertuntur, baptismo purgari oporteret: Eusebius *Lib. VI. cap. 2.*

3. Idem Dionysius Sixtum II. de Sabellianis hæreticis, utpote qui tunc temporis increfcebant, certiozem fecit: Euseb. *ibid. cap. 6.* Tum & in quæstione de baptismo hæreticorum sub Stephano discoptari cœpta, demisso sermone consuluit: *Nam profecto opus habeo, inquit, frater consilio tuo, & sententiam tuam expeto, ne forte ipse halluciner:* Euseb. *ibid. cap. 5. & 9.*

XXIX. Sæculum IV. quod spectat 1. Hieronymus *Epist. ad Ageruchiam* diserte scribit se apud Damasum ad respondendum Synodicis consultationibus, quæ ex Oriente, & Occidente ad R. Sedem mittebantur, operam navasse (19).

2. Ipsemet Hieronymus in quæstione num una in Deo, an tres hypostases dicendæ sint, aperte fatetur se tres hypostases dicturum, si Damasus dici jubeat: Hieron. *Epist. ad Damasum.*

3. Quum Himerius Tarraconensis Episcopus Siricium de quibusdam communis disciplinæ capitibus consulisset, respondens Siricius Himerii consultationi sic loquitur: *Ad R. Ecclesiam, utpote ad Caput tui corporis, retulisti.*

4. Jam ab Sæculi IV. initio Episcopi Concilii Arelatensis Epistolam ad Silvestrum R. Pontificem dederunt, ipsum rogantes, ut decreta Concilii confirmaret, & toti Ecclesiæ servanda proponeret.

XXX.

---

(19) Hieron. *Epist. XI.* Quum in Chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ Urbis Episcopum, & Orientis, atque Occidentis synodicis consultationibus responderem.

XXX. Sæculo V. i. Damnata hæresi Pelagiana Synodi Milevitana, & Cartaginienſis ad Innocentium L. retulerunt, ut Synodicæ definitioni Apoſtolicæ Sedis adjungeretur auctoritas: *Epist. Conc. Milev. ad Innoc.* Quia de re Auguſtinus Serm. XI. de verbis Apoſtoli: *Jam de hac re, inquit, duo Concilia ad R. Sedem miſſa ſunt, inde reſcripta venerunt, cauſa finita eſt.*

2. Innocentius I. *Epist. ad Synod. Milevit.* pluribus oſtendit antiquam eſſe Eccleſiæ conſuetudinem, ut in rebus dubiis, præſertim ſi de fide agatur, ex omnibus provinciis ad R. Sedem referatur (20).

3. Ge-

---

(20) *Innocentius Pava Ep. ad Concilium Milevitanum, quæ eſt XCI. inter Ep. Aug.* Diligenter & congrue Apoſtolicæ conſultiis honoris arcana ( honoris inquam illius, quem præter illa, quæ ſunt extrinſecus, ſollicitudo manet omnium Eccleſiarum ) ſuper anxiis rebus, quæ ſit tenenda ſententia, antiquam ſcilicet regulam ſecuti, quam toto ſemper ab Orbe mecum noſtris eſſe ſervatam. Neque enim hoc veſtram credo latere prudentiam, Qui id etiam aſſertione firmatiſti, niſi ſcientes, quod per omnes Provincias de Apoſtolicæ fonte petentibus Reſponſa ſemper emanent. Præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres & Coepiſcopos noſtros, non niſi ad Petrum, id eſt ſui nominis & honoris auctorem referre debere, veluti nunc retulit dilectio veſtra, quod per totum mundum poſſit Eccleſiis omnibus prodeſſe. *Et Epist. ad Conc. Carth. Patrum inſtituta Sacerdotali officio cultodientes non cenſetis eſſe calcanda, quod illi non humana, ſed divina dè credere ſententia; ut quidquid, quamvis de diſjunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, niſi ad Sedis hujuſmodi noticiam perveniret, ut tota hujuſmodi auctoritate, juſta quæ fuerit pronuntiatio firmetur. Poſtremo iſthæ indefinita verba ad materiam, de qua agitur coerceri debere atque reſtringi juxta vulgatam juris definitionem, ſcilicet quum de rebus dubiis & anxiis quaritur, ut idem Innocentius ſuperiori epiſtola adnotavit, obſervat Petrus de Marca Conc. Sac. & Imp. Lib. I. Cap. 10. qui & ibidem ſcribit non violata iſtæ conſuetudine Synodorum Provincialium jura, quibus liberum erat cauſarum judicandarum arbitrium, ſi res aperte eſſent, & liquidæ. Sed ſi res quædam dubiæ, & dignæ vin-*  
dica.

3. Gelasius P. in Commonitorio ad Faustum scripsit principalem auctoritatem deberi juxta Canones auctoritati Sedis Apostolicæ: *Quantum ad religionem pertinet, non nisi Apostolicæ Sedi, juxta Canones, debetur summa judicii totius.*

4. Cyrillus Alexandrinus comperta Nestorii hæresi officii sui partes esse duxit, ut rem tanti momenti cum Pontifice Romano communicaret, alioqui se a culpa immunem non esse censebat (21).

5. Tum Cælestinus Nestorium hærescos auctorem sacerdotio privat, & Cyrillo dat in mandatis, ut Romanæ Sedis auctoritate adscita sententiam istam exsequatur, & Constantinopolitanæ Ecclesiæ prospiciat. Hoc Cælestini Judicium in Synodo Ephesina probatum est. Quum enim Patres in Nestorium damnationis sententiam proferunt, *ad id coactos se fatentur, & a Sacris Canonibus, & ab Epistola Sanctissimi Cælestini.*

6. Ephesina Synodus in sua ad eum Papam Epistola, eum primo laudat, quod in sublimi culmine positus omnium Ecclesiarum negotiis provideat juxta ac si sua essent, Capituli officio recte functus, cujus est ceterorum corporis membrorum sanitati providere: *Quia mos*

dice nodus incideret, relatione a Synodo facta, Seles Apostolica consulebatur. Quod vicem adpellationis subibat, sed formulis legum, & disceptationum forensium angustiis reos non atterebat.

(21) Si silere, & non pietatem tuam de omnibus, quæ moventur, litteris certiorum facere extra culpam, ac sinistra suspensionis metum liceret, præsertim in rebus adeo necessariis, ubi Fides periclitatur, in memetipso diceretur; *Bonum, & periculi expers est silentium.* . . . Sed quoniam Deus hisce in rebus vigilantiam nostram exigit, & *longa consuetudo Ecclesiarum* suadet, ut hujusmodi res cum sanctitate tua communicateur, scribo plane necessitate adactus: *Cælestinus Epist. VIII. num. 1.*

mos est, inquit, vobis ita magnis existantibus in omnibus bene probare, & omnia studia ecclesiarum vestra propria facere. Quoniam oportebat omnia ad scientiam tuam sanctitatis referre: Cælestinus Ep. XXX, num. 1.

7. Concilii Chalcedonenſis Patres S. Leonis retulerunt se viginti supra quingentos convenisse; tum deinde subnectunt: Quibus tu velut caput membris præeras: Apud S. Leonem Epist. XC. num. 1.

8. Justinianus Imperator de quodam christianæ doctrinæ capite quum Joannem II. consulisset, hanc petitionis suæ rationem adfert: Nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum, & indubitatum sit, ut non vestræ innotescat sanctitati; quia Caput est omnium sanctarum ecclesiarum: Joannes II. Epist. III. num. 3.

9. Idem Imperator non minus perspicue hunc animi sui sensum aperit in Epist. ad Regiæ Civitatis Episcopum: Nec enim patimur, inquit, ut quidquam eorum, quæ ad Ecclesiasticum spectant statum, non etiam ad ejusdem referatur Beatitudinem: quum ea sit caput omnium sanctissimorum Dei Sacerdotum: vel eo maxime, quod, quoties in eis locis hæretici pulularunt, & sententia, & recto judicio illius venerabilis sedis coerciti sint.

10. Bonifacius I. in causa Maximi Episcopi Valentini, qui ad ipsum adpellaverat a judicio Episcoporum Gallicanorum, in Epistola ad ipsos Galliarum Episcopos sic scribit: Quidquid autem vestra caritas de hac causa decernendum esse duxerit, quum ad nos relatum fuerit, nostra, ut condecet, necesse est auctoritate firmetur.

11. Leo M. in Epist. ad Episcopos provincie Viennensis sic scribit: Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem,  
pro

*pro sui reverentia a vestrae etiam provinciae Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam.*

§. VIII. *Graviorum Causarum iudicium  
R. Sedi reservatum.*

XXXI. Innocentius I. tum in Epistola ad Victricium Episcopum Rothomagensem, tum in Epist. ad Concilium Milevitanum contendit, Causas graviores spectantes vel ad fidem, vel ad communem, universalemque disciplinam R. Sedi esse reservatas: hanc autem Sedi Apostolicæ prærogativam arcessit tum ex *veteri consuetudine*, tum ex *Synodo*, & ex *Canonibus* (22). Jam vero *Synodi*, & *Canonum* nomine dubio procul non Canones Sardicenses intelligit, quibus nihil prorsus de relationibus ad R. Sedem statutum fuerat, sed verosimilius Canonem VI. Nicænam, quo antiqua Sedi Apostolicæ privilegia firmata sunt. Unde *Canon* Nicæno, quo causæ Clericorum Conciliis provincialibus definiendæ committuntur, hanc clausulam adponit ipse Innocentius: *Sine præiudicio tamen Ecclesiæ Romanæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri*: scilicet in causis gravioribus fidem spectantibus, disciplinam communem, Episcoporum, ac præcipue Metropolitanorum, & Patriarcharum depositionem, aliisque ejus generis.

XXXII. Unde I. S. Cyprianus Epist. 13. Lib. III. ad Stephanum Papam ipsum rogat, ut

---

(22) *In Epist. ad Victricium*: Si autem majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit, post Episcopale iudicium, referantur. *Et in Epist. ad Syn. Milevitanam eandem prærogativam Sedi Apostolicæ tribuit juxta Canones.*

ut ad plebem Arelate consistentem litteras dirigat, quibus abſtento Marciano alius in locum ejus ſubſtituatur.

2. Cauſſa Eufſtathii Diaconi, quem tanquam ſuſpectum de hæreſi Epifcopi Macedoniæ damnaverant, ad Liberium relata eſt, qui ipſum gradu ſuo dejicere noluit, quod hæreticum minime judicaſſet: Baſilius *Epifſt. LIV.*

3. Leo I. ad Anaſtaſiam Epifcopum Theſſalonicenſem ſcribens, Epifcoporum cauſſas, ſi quid in ipſis admodum difficile inciderit, ad Sedem Apoſtolicam referendas admonet: *Si forte inter ipſos, qui præſunt, de majoribus (quod abſit) peccatis cauſſa naſcatur, quæ provinciali nequeat examine deſiniri, fraternitatem tuam de totius negotii qualitate Metropolitanum curabit inſtruere: & ſi coram poſitis partibus, nec tuo fuerit res ſopita judicio, ad noſtram cognitionem, quicquid illud eſt, transferatur.*

4. Eandem prærogativam R. Sedis agnoverunt Patres Sardicenſes, dum in Epifſt. Synodica ad Julium I. ſic ſcribunt: *Hoc enim optimum, & valde congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad Caput, id eſt ad Petri Apoſtoli Sedem de ſingulis quibuſque provinciis Domini referant Sacerdotes.*

5. Cauſſa Bubalii, & Tauriani in Synodo Macedoniæ jam cognita ad Innocentium I. devoluta eſt, & ab eodem retractata; quoniam de Epifcoporum agebatur deſiſtione; Innocentius I. *Epifſt. ad Epifcopos per Macedoniam conſtitutos.*

6. Cauſſa Proculi Epifcopi Maſſilienſis, qui in Synodo Tauritanenſi per obreptionem juſ Metropolitanum obtinuerat, ad Zoſimum R. Pontificem devoluta eſt, & quidem id rogante ipſo Patroclo Epifc. Arelatenſi: *Epifſt. Zoſimi ad Epifc. Gallie.*

7. Cauſſa



7. Causam Danielis Episcopi Gallicani, qui, quum adhuc Clericus esset, plura gravissima in Oriente commiserat delicta, cognovit Cælestinus, & quidem ipsis Orientalibus deferentibus: *Missa Relatione ex Orientalibus ad nos partibus*; uti loquitur ipse Cælestinus in *Epistola ad Episcopos per Vienn. & Narbon. Prov. constitutos*.

8. Leo I. ad Episc. Viennenses scribit a Sede Apostolica *per diversarum*, quemadmodum *vetus consuetudo poscebat*, *adpellationem causarum*, *aut retraciata*, *aut confirmata fuisse judicia*.

9. Unde ipse Leo I. cognovit causas Hilarii Arelatenfis Metropolitanis, & Celidonii Metropolitanis Vefontionensis, quorum primus ob multas contra Canones peractas ordinationes Romam fuerat evocatus; alter ab ipso Hilario depositus ad Leonem adpellaverat. Et sane S. Leo contendit causas Metropolitanorum in provinciis sine conscientia R. Pontificis terminari non posse. Unde in Epist. ad Anastasium Episc. Thessalonicensem: *An forte*, scribit, *aliquod tibi facinus innotuerat, & Metropolitanum Episcopum novi apud te criminis pondus urgebat? ... Sed etiamsi quid grave intolerandum gessisset, nostra erat exspectanda censura*. Loquitur hic Pontifex de Attico Epiri Metropolitanis.

XXXIII. Quod spectat postremo ad Episcoporum, ac præcipue Patriarcharum depositiones 1. Dioscorus Alex. Ecclesiæ Episcopus in Syn. Chalcedonensi auctoritate præcipue Sedis Apostolicæ depositus est: Conc. Chalced. Act. II.

2. Flavianus Patriarcha Antiochenus a Damaso Papa depositus est: Theodor. *Lib. V. Cap. 23*.

3. Nicolaus I. in *Epist. ad Michaelem Imper-*

*pe-*

peratorem octo recenset Patriarchas ab R. Pontificibus depositos.

4. Ipsemet Damascus Apollinarem Episcopum Laodicenum, ejusque discipulum Timotheum Episc. Alexandrinum deposuit: Sozomenus *Lib. III. cap. 25.*

5. Sixtus III. Polychronium Episcopum Jerosolymitanum deposuit missio hac de causa in Jerusalem S. Leone Archidiacono, qui postea fuit Papa: *Acta Sixti III. in Collect. Conciliorum.*

XXXIV. Uti jus deponendi, ita quoque & jus suis sedibus restituendi Episcopos, ac præcipue Patriarchas R. Pontifex semper exercuit. S. Athanasius Alex., Marcellus Ancyranus, & Paulus Constantinopolitanus a Synodo Orientali depositi a Julio I. suis Sedibus sunt restituti: Gelasius *in Epist. ad Episcopos Dardanie.* Unde Sozom. *Lib. III. Cap. 7. Quum propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit... Athanasius, & Paulus ad suas Sedes revertuntur, litterasque Julii Episcopis Orientis mittunt.*

§. IX. Romani Pontifices in Synodo saltem Diocesana graviora expediebant negotia.

XXXV. Jam vero fuit in more positum, institutoque Pontificum, nonnisi in Synodo, saltem Diocesana Romæ coacta, graviora expedire negotia, publicasque edere Decretales Epistolas: id quod pluribus evincitur.

XXXVI. Ac I. prior S. Clementis ad Corinth. conscripta Epistola *Ecclesie Romane* nomine prænotatur: quod sane indicat eam consultatius sua Romanorum Ecclesia sanctissimum Pontificem conscripsisse. Unde ab aliis *Clementis*, ab aliis *Romanorum Epistola* nuncupatur.

2. Zephyrinus Natalem hæreticum ad communionem non admisit, nisi postquam præsentium *non clericorum modo, verum & laicorum* vestigiis provolutus misericordis Christi misericordem Ecclesiam fletibus suis commovit: Antiqui Scriptoris Liber adversus Artemonem hæreticum.

3. Pius I. Epist. II. ad Justum Viennensem Clerum Romanum Christi Senatum adpellat: *Salutat te Senatus pauper Christi apud Romam constitutus.* Atqui prioribus sæculis ea ratione Clerus *Senatus Ecclesiæ* dictus est, quod Presbyteri consiliarii essent Episcopi in gravioribus expediendis Ecclesiæ suæ negotiis.

4. Pontianus, Hieronymo teste apud Rufin. Lib. II. *Invectiv. Senatum*, id est Clerum suum convocat adversus Origenem.

5. Cornelius de Confessorum a Novatiano seductorum poenitentia certior factus, *contrahit presbyterium* ( *adfuere etiam Episcopi quinque* ) ut firmato consilio quid circa personam eorum observari deberet, consensu omnium statueretur: Cornelius Epist. VI. num. 2. Deinde & quod in Cleri cœtu actum erat, populo insinuandum duxit: *Convocatus igitur populus est una cum clero, & prædictis Episcopis; atque altero illo in cœtu, Confessores, ejurato schismate, Cornelius cum ingenti populi suffragio recepit.*

6. Cornelius ipse Epist. IX. num. 6. enarrat, quo pacto ad ordinandum Novatianum Cleri, ac populi consensum expetierit Fabianus: *Intercedebat omnis clerus, & multi ex laicis. . . Verum rogavit Episcopus Fabianus, ut eum unum ordinare sibi permitteretur.*

7. Cornelius ipse lapsorum causam una cum plurimis Episcopis cognovit: *Collatione consiliorum cum Episcopis, presbyteris, diaconibus, confessoribus pariter, ac stantibus laicis facta*

*Lapsorum tractare negotium &c.* Cornelius Epist.  
X. num. 5.

8. Cornelius ipse Trophimum redeuntem ad Ecclesiam excepit tractatu cum collegis plurimis habito; *Explorasse autem collegas nostros scias... Eos demum, quorum causa audita, & innocentia comprobata est, conjunxisse nobiscum.* Ibidem num. 10.

9. Dionysii Romani Litteræ ad Dionysium Alex. scriptæ sunt ex synodi sententia; hoc est ex judicio, placitoque Synodi Romanæ, in qua Præsulis ejusdem Alex. causam recognoverat: Athanasius *Lib. de Synodis num. 43.*

10. Julius Papa explorata prius, & probe cognita omnium Italiæ præsulum sententia Eusebianis rescripsit: *Omnium Episcoporum, qui in Italia sunt, & qui in his partibus degunt, esse illam sententiam:* Julius Papa Epist. I. num. 8.

11. Apud ipsum Romanum Pontificem Ursicus, & Valens cunctis presbyteris præsentibus palam confessi falsas esse, quas in Athanasium constarant criminationes, erroris veniam flagitarunt: *Profitemur apud Sanctitatem tuam cunctis præsentibus presbyteris fratribus nostris, omnia &c.* Julius ipse Ep. V.

12. Julii successor Liberius Athanasii acerrimus vindex non fuit, quamdiu e clero suo consilium, more majorum, non cœpit. Quas enim & ab Ægyptiis pro Athanasio, & contra eundem ab Orientalibus litteras accepit, *legisse se Ecclesiæ, legisse concilio, indeque Episcopis Orientalibus respondisse* ipsemet testatur Epist. IV. num. 3.

13. Tum Liberius ipse suscepta Lampfacenæ Ecclesiæ Legatione nonnisi post habitam Italiæ, Occidentisque Episcoporum synodum inde Episcopis Orientalibus rescripsit: Epist. XV.

14. Decretales Damasi Papæ Epistolæ ple-  
ral-

ratque in Synodis Romæ ab ipso Damaso habitis conscriptas fuisse perquam manifestum est.

15. Siricius Himerii Tarraconensis relationem ad decessorem suum Damasum directam accepit, & in conventu fratrum curavit recitari; dehinc audita cujusque sententia ad quæsitam respondit: *Quam quum in conventu fratrum legeremus, tanta invenimus &c.* Siricius *Epist. I. num. 1.*

16. Eiusdem Siricii *Epist. V.* in fratrum apud S. Petri reliquias coacto Concilio conscripta est: *Quum in unum plurimi fratres convenissemus ad Sancti Apostoli Petri reliquias... placuit propter emergentes plurimas causas &c.*

17. Septima eiusdem Rom. Pontificis Epistola, cui occasionem dedit honorifica Joviniani scriptio, ex eodem Cleri conventu prodit: *Tum enim factò, inquit sanctissimus Pontifex, presbyterio, (23) eam constitit (Joviniani scriptio) doctrine nostræ, id est Christianæ legi esse contrariam. Unde Apostoli secuti præceptum, quia aliter, quam quod accepimus, adnuntiabant, omnium nostrum tam presbyterorum, & diaconorum, quam etiam totius Cleri, unam scitote fuisse sententiam, ut . . . qui incentores novæ hæresis, & blasphemie inventi sunt, divina sententia, & nostro iudicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent.*

18. Anastasius I. rogatus ab Africanis, an Donatistæ suis in honoribus recipiendi forent, hoc est, an ipsis esset in Ecclesia Catholica servandus is Cleri gradus, quem in Donati parte obtinebant, ex Synodi sententia respondit

---

(23) Presbyterii nomine Siricius totius Cleri cæterum a nobilitate parte designat: mox enim sequitur: Tam Presbyterorum, & Diaconorum, quam etiam totius Cleri unam scitote fuisse sententiam.

dit non servandum: *Placuit, ut litteræ mittantur ad Fratres, & Coepiscopos nostros, & maxime ad Sedem Apostolicam, in qua præstet memoratus venerabilis frater, & collega noster Anastasius . . . Non ut Concilium, quod in transmarinis partibus de hac re factum est, dissolvatur &c. Codex Can. Eccles. Afric. Can. LXVIII.*

19. Hilarius Episcopus, & Elpidius Presbyter ex Hispania Romam venientes, Innocentio I. Cathedram Apostolicam tenente, ambo turbatam Ecclesiæ Hispaniæ pacem, violatos canones, neglecta majorum instituta conquerrantur. Porro Innocentius pro suo sacrarum legum studio utrumque *in confesso presbyterii* audiri, actis mandari expostulationes præcipit, ac re diligentius maturiusque perpensa eas ad Toletanam Synodum litteras scribit, quibus suam disciplinæ vim, suum splendorem restituit: *Violatam intra provinciam pacem, disciplina rationem confusam . . . cum dolore, & gemitu profecuti sunt: quæ in confesso presbyterii ( id est Cleri Romani, ut nuper num. 17. not. 23 observavimus ) actorum confectioe retinentur, & possunt vobis lectione monstrari.*

20. Eiusdem Innocentii I. *Epistola XIX.* ad Alexandrum Præsulem Antiochenum in Concilio Romano conscripta est, atque adeo viginti Episcoporum subscriptionibus munita.

21. Idem Innocentius generatim inter varias Apostolicæ Sedis occupationes hanc præcipuam esse notat *Epist. XXX. num. 1.* quod *diversorum consulta fidei, ac medica DISCEPTATIONE*, sive ut loquitur *Epist. VI. num. 1. COLLATIONE tradere* cogeretur. Neque diffidetur modestissimus Pontifex ex his, quæ frequentissima dabat ad Ecclesiarum consulta, ref-

responsis, fieri se in dies Ecclesiasticæ doctrinæ peritiorē (24).

22. Decessorum suorum vestigiis insistens Zolimus Cælestium in cœtu Sedis Apostolicæ benigne audiit : *Die cognitionis resedimus in S. Clementis basilicam . . . Harum recitatio publica fuit, omnia quidem paria, & eodem sensu, sententiisque firmata &c.* Epist. II. num. 2. & Epist. III. num. 2. Tum ab Afris de fraudulenta illius fide admonitus, rursus vocato Cleri cœtu, causaque de integro discussa, eundem anathemate confixit : *Pelagius, qui illa ipsa damnavit in iudicio orientali, quæ iste in Sedis Apostolicæ cœtu conatur adstruere :* Epist. VIII. num. 3. (25).

23. Bonifacius universis presbyterio litteras prælegit, quibus Thessaloniceniam Episcopum in vicaria Sedis Apostolicæ delegatione confirmat : *Quam ad rem faciendam memorato*  
Epi-

(24) Mihi quoque ipsi, scribit indicata Epist. VI. num. 1. de collatione docilitas accedit, dum perscrutatis rationibus ad proposita respondere compellor, eoque fit, ut aliquid semper addiscat, qui postulatur, ut doceat. Tum doctissimus P. D. Petrus Constantius Præf. ad Epist. Decret. Rom. Pontificum (unde plerique ejusmodi veterum Rom. Pontificum morem spectantia monumenta pane αὐτολόγῳ hausimus) ad rem observat eandem docilitatem, sive in doctrina ecclesiastica profectum experiri quoque debuisse Presbyteros, Diaconosque Romanos, qui, quum a Pontifice implicatissimis quibusque dogmatum, ac discipline solvendis nodis adhiberentur, mutuam sibi imperiebant juvencem, uberrimasque doctrinæ opes comparabant. Inde & Summorum etiam Pontificum in tractandis tot negotiis solertia, auctoritas, fides, quippe & ipsi eodem in Clero prius consenuerant, quam ad moderandas Orbis Christiani habenas evocarentur.

(25) Romanis conventibus, ubi Cælestii causa audita est, præter Sacerdotes, qui e diversis regionibus aderant, interfuit & Romanus Clerus. Quamobrem Pelagiani apud Augustinum Lib. II. ad Bonifacium cap. 3. ipso Augustino consentiente, id Romanis Clericis adtribuunt, quod in his conventibus actum est.

*Episcopo mea directa secunda protinus, quæ presbyterio universo complacuit, auctoritate mandavi &c. Epist. XV. num. 3. (26).*

24. Cælestinus ex Synodo sententiam adversus Nestorium dixit: Cyrillus *Epist. ad Joannem Antiochenum*. Unde Epistola Cælestini, qua Nestorius damnatur, a Cyrillo Romanæ Synodo, ab aliis Cælestino tribuitur. Equidem Epistolas, quas Romani Pontifices habita prius Synodo scribebant, ipsi Synodo tribuere licebat, quamvis eas ipsis Pontificibus vulgo adscribendi mos, & usus obtinuerit.

25. His addi possent plura Concilia Romæ sub Melchiade, sub Julio, sub Damaso, sub aliis Romanis Pontificibus identidem habita, quo graviora expedirentur Ecclesiastica negotia, & decreta Ecclesiastica vel fidem, vel disciplinam universalem spectantia constituerentur. Profecto S. Leo M. *Epist. XVI. n. 7.* diserte scribit Rom. Pontifices per singulos annos Episcoporum cœtus celebrare consuevisse, in quibus graviora *in commune* agerentur negotia, ut hoc pacto Romanæ Sedis Constituta ab omnibus custodirentur (27).

XXXVII. Tum Decreta Romanorum Pontificum

Tom. I.

P

ficum

(26) *Hic rursus observat idem doctissimus Constantius in indicatam Bonifacii Epist. Nota 3.* Unde magis, ac magis adparet Romanos Pontifices nihil illis temporibus præter conscientiam Cleri sui in hujusmodi negotiis egisse. Rursum vero initio num. 9. ubi legimus: *Auctoritas nostra communitione solita vacare non debet.*

(27) *Quia saluberrime, scribit S. Leo indicata Epist. a Sanctis Patribus constitutum est, binos in annis singulis Episcoporum debere esse conventus, terni semper ex vobis ad diem 3. Kalendas Octobris Romam fraterno Concilio sociandi indissimulante occurrant: quoniam adjuvante gratia Dei facilius poterit provideri, ut in Ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, quum coram beatissimo Apostolo Petro id semper in commune tractandum fuerit, ut omnia ipsius Constituta, Canonumque Decreta apud omnes Domini Sacerdotes inviolata permanent.*



ficum in majoribus negotiis ex eo potissimum agnoscebantur, quod essent *Synodaliter* probata, & edita. Id evincitur ex fidei professione, quam novus electus Pontifex ante suam ordinationem emittebat, exstatque in Lib. Diurno Rom. Pontificum *Cap. II. Tit. 8.* In hac enim, dum Constituta & Decreta a Romanis Pontificibus Decessoribus suis se observare profitetur, eam adhibet clausulam: *quæ Synodaliter statuerunt.*

XXXVIII. Quid vero quod & ipse doctissimus Card. Bellarminus *Lib. I. de Clericis cap. 16.* dilerte scribit: *Primis sexcentis, & octingentis annis Summi Pontifices ad graviora negotia dijudicanda cogebant Concilia Nationalia Episcoporum Italiae, quibus Conciliis intererant Cardinales Presbyteri, sed tamen primus locus Episcoporum erat.*

XXXIX. Postremo idipsum observavit Clarissimus Lucas Holstenius in notis ad Concilium Romanum sub Bonifacio II. ann. 531. monens, quod dum Pontifices consulere de negotiis majoris momenti, *Synodus Episcoporum cogere, ut de negotiis his tractaretur, & resolutio fieret.*

XL. Neque negotium facessat, quod in Pontificiis Constitutionibus nulla Synodi injiciatur mentio. Id enim probabili, & justa causa factum est, fortasse ob Sedis Romanæ amplitudinem. Ad rem Julius I. nuper indic. Ep. ad Orient. *Quod si illud vos commovit, quod solus scripserim.... in hoc quoque adest probabile, & justa causa, Dilectissimi. Attamen necessum est vobis significare, quod etiamsi solus scripserim, non ideo mei solius esse illam sententiam, sed & omnium, qui in Italia sunt, & qui in his partibus degunt Episcoporum.... Ad præfinitum tempus Episcopi convenere, & ejusdem sententiæ fuerunt.*

XLI. Cur autem vel ipsi Rom. Pontifices, nisi in Synodo, operosiora non expedierint negotia, satis aptis rationibus docent Patres Synodi Constantinopolitanæ II. Coll. VIII. Licet Spiritus S. gratia, inquiunt, circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea, quæ agenda erant: non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque dicta sua confirmarent.... in communibus disceptationibus, quum proponuntur, quæ ex utraque parte discutienda sunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacii. Nec enim potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari, quum unusquisque proximi adjutorio indigeat.... ipse Dominus dicit. Si duo ex vobis convenerint super terram, de omni re, quamcunque petierint, continget illis a Patre meo, qui in caelis est. Ubicunque enim fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum in medio ipsorum.

## E X C U R S U S.

*De Vicariis, sive Delegatis Sedis Apostolicæ.*

I. **P**rimatus Romani Pontificis, ut B. Petri successoris, in Ecclesiam Universam evincitur quoque a *Vicariis*, sive *Delegatis*, quos jam inde a primis Sæculis per varias Christiani Orbis regiones constituere Romani Pontifices consueverunt.

II. Et sane Innocentius I. suorum exemplis Decessorum insistens Anicium Thessalonicensem Episcopum Vicarium, sive Delegatum suum constituit, cui cognitionem mandat causarum omnium, quæ per totum Illyricum

possent oriri. Hæc sunt illius verba: Cui etiam anteriores tanti ac tales viri prædecessores mei Episcopi, id est sanctæ memoriæ Damasus, Siricius, atque supra memoratus vir (Anastasius) ita detulerunt, ut omnia, quæ in iis partibus gererentur, sanctitati tuæ, quæ plena justitiæ est, traderent cognoscenda; meam quoque parvitatem hoc tenere iudicium, eandemque habere voluntatem te decet recognoscere.

III. Huiusmodi delegationem, causarumque inquisitionem idem ipse Pontifex Rufo in Thessalonicensi Sede Anicii successori confirmat; ac simul regiones recenset, ad quas illa delegatio extendatur: Prudentiæ gravitæque tuæ committendam curam, causasque, si quæ exoriantur per Achajæ, Thessaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, & Crætæ, Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripensis, Mæsiæ, Dardaniæ, ac Prævali Ecclesias, Christo Domino annuente censeam.

IV. Præterea nonnullæ Bonifacii Papæ litteræ circumferuntur, quarum alias datas novimus Rufo ipsi, alias vero Episcopis Illyrici, ex quibus illud idem manifeste edicitur: quod apertius colligere datur ab epistolis Cælestini & Sixti III. ad Episcopos quoque Illyrici conscriptis (1).

V. Ex hætenus productis indicatisque litte-

(1) *Cælestinus Epistola III. Illyrici Episcopos sic adloquitur: Sunt culpæ aliquantæ non leves, quæ illis innate Provinciis ad nos, cum finis longius, non possunt pervenire, aut jam semotis omnibus, non ita ut sunt acta, interposito temporis spatio perferuntur; quas omnes nos intercessione fratris, & Coepiscopi nostri Rufi, . . . volumus rescari, cui vicem nostram per vestram Provinciam moveritis esse commissam; ita ut ad eum, fratres carissimi, quidquid de causis agitur referatis. Sixtus III. Epist. VIII. num. 3. Nos fratri & Coepiscopo nostro Thessalonicensi Anastasio tantum tribuimus, quantum decessoribus ipsius a majoribus nostris adtributum. Ad Thessalonicensem majores causæ referantur Antistitem.*

teris constat 1. Romanos Pontifices hisce suis Vicariis causas etiam majores delegasse, quarum cognitio sui juris esset; illasque sibi tantum reservasse, quæ ita dubiæ essent ac difficiles, quas explicare Legatus, ac decernere minime posset. Qua de re Sixtus ipse Ep. X. num. 3. scribit: *Si quid forsitan, aut inter fratres natum fuerit, aut fratri cuiquam aliqua actio, qua pulsetur, illata, aut illic fratre, & Coepiscopo nostro Anastasio iudice veniens negotium terminetur, qui vices Apostolicæ Sedis agere, ut beatæ memoriæ Rufus decessor ipsius ex nostra voluntate cognoscitur; aut ad nos, si illic finiri non potuerit, eodem tamen suis litteris causam omnem, quæ vertitur, prosequente, veniat examen.*

Constat 2. Vetitum non fuisse Episcopis & Presbyteris, quorum causæ a Legatis agebantur, quin ab istorum sententiis ad Romanum Pontificem adpellarent, qui juxta præscriptum *Can. V. Sardicensis* vel rem maturius Romæ discutiebat, sententiamque dicebat, vel ad Illyricum mittebat, qui suis sancti vicibus litem componerent. Qua de re Sixtus ipse *Epist. VII. num. 1.* Perigenem Corinthiorum Episcopum sic adloquitur. *Nunc aliqua te incitare cognovimus: sed hæc, quum res per nostrorum sententiam, quos vice nostra ad eas partes propter has causas direxerimus, sopite sint, præterimus.* Et Leo M. *Epist. V. ad Anastasium num. 5.* loquens de quibusdam etiam majoribus Illyrici causis hæc scribit: *Si qua causa major evenerit, quæ a tua fraternitate illic præsidente non potuerit desiniri, relatio tua missa nos consulat.... ut cognitioni nostræ, pro traditione veteris instituti, & debita Apostolicæ Sedis reverentia, nostro examine vindicemus. Ut enim auctoritatem tuam vice nostra exercere te volumus; ita nobis, quæ*

*illic componi non potuerint, vel qui vocem appellationis emiserit, reservamus.*

Constat 3. Legatos Theſſalonicenſes, licet tantam ipsis auctoritatem Romani Pontifices credidissent, causas tamen examinare, ac definire haud potuisse, nisi in Concilio Provinciali juxta regulas Ecclesiasticas Canonesque discussæ antea fuissent, & judicatæ. Cum vero adeo difficiliores erant & obscuræ, ut a Provinciali Concilio definiri nequirent, tunc quidem ad Legatum, seu Vicarium referebantur, qui in alia quoque Synodo, cui ipse præerat, eas perficere satagebat. Sin autem Vicarium ipsam spes componendi causam falleret, ad Romanum Pontificem, cujus sententiæ omnino standum, deveniendum tunc demum erat. Unde S. Leo M. *Epist. XIII. num. 1. ad Episcopos Illyrici* scribit: *Si quæ majores inter Episcopos causæ sunt, quæ in Provinciis suis nequeant terminari, ad ejus Anastasii Theſſalonicensis notitiam perferantur, & eodem arbitrio sub divini timore judicantur: scilicet in Synodis, uti observat doctissimus P. Constantius Præf. ad Collect. Epist. Roman. Pontif.* Unde S. Leo *ibid. num. 3.* ut ad ejusmodi Synodos se conferant, Episcopos hortatur: *Invitati fratres in causis maximis, & quæ intra provincias suas finiri nequeunt, terminandis, si nulla gravi necessitate retinentur, fraterno se studio non denegent.*

VI. Neque in Illyrico tantum Theſſalonicensis, verum & in Gallia Arelatensis Episcopus Apostolicæ Sedis Vicarius sive Delegatus erat, cui majorum etiam causarum cognitio præscribatur, illis tantum exceptis, quas ipse difficilioribus implicatas ambagibus definire sua sententia non posset. Manifesto id elucet ex Epistolis Zosimi Papæ ad Episcopos Galliarum, in quibus diserte scribit,

se

se Arelatensi Episcopo in dijudicandis causis, quæ per Gallias exoriri possent, vices suas demandasse: *Ad cuius*, scribit Zosimus Epist. I. num. 3. *notitiam si quid illic negotiorum emerferit, referri censuimus, nisi magnitudo causæ nostrum requirat examen.*

VII. Testantur id ipsum Epist. Hilarii Papæ ad Gallicanos quoque Episcopos datæ, quibus eos commonet se Leontium Arelatensem Episcopum Delegatum suum per Galliarum Provincias constituisse: *In dirimendis sane*, sunt verba Hilarii Epist. VIII. num. 4. *gravioribus causis, & que illic non potuerint terminari, Apostolicæ Sedis sententia consulatur.* In istis Zolimi, & Hilarii litteris videt quisquis causarum genu omne Arelatensi Episcopo univèrse demandari: exceptis tantum illis, quæ ob difficultatem, & perplexitatem Sedis Apostolicæ iudicio indigerent.

VIII. Porro id apertius innotescit ex Epistolis tum Symmachi Papæ ad Cæsarium Arelatensem Episcopum, tum Vigilii ad Auxanium Cæsarii, & ad Aurelianum Auxanii in eadem Ecclesia successores, tum demum Pelagii I. ad Sapaudum Arelatensem. Profecto ex his omnibus Epistolis, quarum fragmenta vide inferne (2), duo educuntur: I. Causas

P 4

etiam

---

(2) *Symmachus Papa Epist. XVII. num. 10.* Decernimus, ut circa ea, quæ tam in Gallia, quam in Hispania Provinciis de causa Religionis emerferint, solertia tuæ fraternitatis invigilet; & si ratio poposcerit præsentiam Sacerdotum, servata consuetudine, unusquisque tuæ dilectionis admonitus auctoritate conveniat: & si Dei adiutorio controversia incidens amputari potuerit, ipsius hoc meritis adplicemus: alioquin existentis negotii qualitas ad Sedem Apostolicam te referente perveniat. *Vigilius Epist. VI. ad Auxanium num. 12.* Si quæ ergo inter fratres & Coepiscopos nostros in locis tuæ caritati præsentis auctoritate commissis . . . dissensiones emerferint, adhibitis vobiscum sacerdotibus numero competenti, causas Canonica, & Apostolica æquitate discutite, eas modis omnibus

etiam majores Episcopis Arelatensibus fuisse delegatas, quemadmodum Thessalonicensibus commissas jam observavimus; ex quibus tantum tum illæ excipiebantur, quæ ad fidem pertinebant, tum illæ perplexiores, quæ decreto Sedis Apostolicæ erant definiendæ.

2. Arelatensi Episcopo, ut & Thessalonicensi, plurium Episcoporum Synodum indicendam fuisse, quorum suffragio causas ad jus suum spectantes componeret, & definiret. Utrumque disertius docet S. Leo M. Epist. ad Virgilium Episcopum Arelatensem (3).

## IX.

bus proloquio judicio finituri. Si qua vero certamina, aut de Religione, quod absit, aut de quolibet negotio, quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit, totius veneratis Indagine diligenti ratione discussa, relationis ad nos seriem destinantes, Apostolicæ Sedi terminanda servare. *Et in Epistola IX. ad Aurelianum Auxanii successorem.* Si quam inter fratres Diabolus zizaniam semina-verit, aut de aliena Sacerdotum fraternitati tuæ, servatis majorum per omnia constitutis, fuerit querela deposita; adhibitis tibi fratribus secundum qualitatem negotii numero competenti, causam Canonica, & Apostolica ordinatione discutiens, ea sententia defines, quæ & decessorum nostrorum conveniat statutis, & Deo sit grata. *Tum Vicilius ipsum Aurelianum admonet,* ut relationis serie destinata ad ipsius Sedis consultationem potius remittat, si quod de religione fuerit certamen exortum, aut tale negotium emergerit, quod pro sui magnitudine ibidem nequeat terminari.

*Pelagius I. Epist. ad Sapaudum Episcopum Arelatensem:* Majorum nostrorum cupiens inharere vestigiis, caritati tuæ per universam Galliam sanctæ Sedis Apostolicæ, cui divina gratia præsidemus, vices injungimus: hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc Romana Ecclesiæ testantur scripta . . . Hinc est, quod & nos fraternitati tuæ hujusmodi curas injungimus, ut Sedis nostræ Vicarius institutus ad instar nostrum in Galliarum partibus primi Sacerdotis locum obtineas &c.

(3) *S. Leo M. Lib. V. Epist. 52. ad Vicilium Episcopum Arelatensem:* Si inter fratres sacerdotisque nostros venerit forte contentio, auctoritatis suæ vigore, vicibus nempe Sedis Apostolicæ functus, discreta moderatione compescat, aut si quarundam causarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præsentia opus sit, congregatis sibi in numero competenti fratribus, & coepiscopis

IX. Si tantam antiquitatem Theſſalonicenſis, & Arelatenſis Vicarii præſerunt, eadem profecto deſtituuntur Vicarii Hiſpaniarum, & Siciliæ, qui ſerius tanto munere decorati videntur: præſertim ſi obſervabimus, Symmachum Papam, qui exeunte Sæculo V. Petri Sedem occupavit, in *Epift. ad Cæſarium Arelatenſem*, cujus fragmentum produximus, hunc per Gallias ſimul, & per Hiſpanias Vicarium ſuum delegaſſe.

X. Vetuſtiora monumenta, quæ Vicariorum in Hiſpaniis Apoſtolicorum mentionem faciunt, ſunt Episto-læ Pontificum Simplicii ad Zenonem, & Hormiſdæ ad Salluſtium Episcopos Hiſpalenſes, quibus vices ſuas per Bæticam & Luſitaniam Pontifices illi committunt (4).

XI. Quod vero ad Vicarios Apoſtolicos per Siciliæ Provincias attinet primum & antiquiſſimum monumentum colligitur ex Episto-la S. Gregorii M. ad Maximianum Episcopum

P 5

pum

pis noſtris, ſalubriter hoc ſervata æquitate diſcutiat, & canonica æquitate deſinat. Si quam vero contentionem de fidei cauſſa evenire contigerit, aut negotiorum emerſerit, cujus vehemens ſit fortaſſe dubietas, & pro ſui magnitudine judicio Sedis Apoſtolice indigeat, relatione ſua ad noſtram ſtudeat perducere notionem, quatenus a nobis valeat congrua ſine dubio ſententia terminari.

(4) *Simplicius Papa Episto-la XX. ad Zenonem Episcopum Hiſpalenſem*: Talibus gloriantes indiis, congruum duximus, Vicaria Sedis noſtræ te auctoritate fulciri, cujus vigore munitus, Apoſtolice inſtitutionis decreta, vel ſanctorum terminos Patrum, nullo modo tranſcendi permittas: quoniam digna honoris remuneratione cumulandus eſt, per quem in his regionibus divinus eſſe innotuit cultus.

*Hormiſda Episto-la ad Salluſtium*: Suffragantibus tibi tot meritis piæ ſollicitudinis & laboris, certe jam delecta injungere quæ ad noſtri curam conſtat officii pertinere, ut Provinciis tanta longinquitate diſjunctis & noſtram poſſis exhibere perſonam, & Patrum regulis adhibere cuſtodiam. Vices igitur noſtras per Bæticam, Luſitaniamque Provincias . . . committimus.



pum Syracosium, qua Vicarium suum per Siciliam eum designat (5). Itaque & Sallustius Hispalensis, & Maximianus Syracusarum hac donantur prærogativa; illis tamen adjectis conditionibus, quæ Vicariis Thessalonicensi, & Arelatensi impositæ sunt; nimirum quod in Synodo Episcoporum exagitare deberent, & componere lites; at si difficiliores, gravioresque occurrerent causæ, ad Religionem præsertim spectantes, eas omnes Apostolicæ Sedis dijudicandas remitterent. Unde Hormisda statim subnectit: *Salvis privilegiis, quæ Metropolitanis Episcopis decrevit antiquitas... quoties universum poscit religionis causa concilium, te cuncti fratres evocante conveniant.* Et Gregorius indicata Epistola: *Sed si qua forte difficilia existunt, quæ fraternitatis tuæ iudicio dirimi nequaquam possunt, hæc solummodo iudicium nostrum flagitant.*

XII. Videtur sane constituti etiam fuisse Apostolicæ Sedis Vicarii I. S. Cyrillus Alexandrinus, qui Romæ Synodi sententiam contra Nestorium executioni mandaret, ut ex litteris Cælestini ad Cyrillum manifesto evincitur: *Auctoritate tecum nostræ Sedis adscita, nostra vice usus, hanc exsequens districto vigore sententiam, ut aut intra decem dies prævas prædicationes suas scripta professione condemnat, aut nisi hoc fecerit, mox sanctitas tua illi Ecclesiæ Constantinopolitanæ provisura &c.* Cælestinus Epist. ad Cyrillum Episc. Alexandr.

2. Pontianus Episcopus, cui S. Leo curæ suæ vices commisit, ut in Africam properaret,

---

(5) S. Gregorius M. Lib. II. Epist. 10. ad Maximianum Episc. Syracusarum: Super cunctas Siciliæ Ecclesias te Reverendissimum virum Maximianum fratrem, & Coepiscopum meum vicem Sedis Apostolicæ ministrare decernimus, ut quisquis illic religionis habitu censetur, fraternitati tuæ ex nostra auctoritate subiaceat.

ret, ibique sententiam diceret de quibusdam Episcopis, qui præter Leges electi fuerant: S. Leo *Epist. I. num. 1.*

3. Acacius Constantinopolitanus, cui S. Simplicius Ecclesias totius Orientis commendavit; eamque ipsi curam commisit, ut ad ea, quæ in Orientis partibus gererentur intentus, nota itidem ipsi faceret, *quæ ad Catholicæ veritatis custodiam pertinebant*: *Epist. XVIII. num. 1.* Et sane Acacius statim ad Romanam Sedem retulit flagitia, & errores Petri Mongi: etsi postea quum obstinatio esset in tuendis ipsius Mongi partibus, anathema sibi a Rom. Pontifice meruerit.

4. Julianus Episcopus Coæ eodem Vicariatus per Ecclesias Orientis munere a S. Leone exornatus fuit, postquam Anatolium propter negligentiam, ac supinitatem ea dignitate spoliaverat (6).

XIII. Atque heic nihilominus advertere juvat, Episcopos Thessalonicensem, Arelatensem, & Hispalensem, dicendos esse perpetuos Sedis Apostolicæ Vicarios; quippe qui frequentibus, ac continuis legationibus, veluti hereditarium sibi fecerint Vicariatum, sive Legationem: quum contra S. Cyrillus, Pontianus, Acacius, & Julianus videantur potius

P 6

Vi-

---

(6) S. Leo *Epist. CIV. num. 2.* Hanc specialem *vice mea* functus assumas, ne hæresis, vel Nestoriana, vel Eutychiana in aliqua parte revirescat: quia in Episcopo Constantinopolitano catholicus vigor non est, nec multum aut pro Sacramento salutis humanæ, aut pro sua estimatione sollicitus. *Idem significat Epistola CII. num. 3. ad Marcianum Imperatorem*: De fidei ejus sinceritate confidens, *vicem ipsi meam* contra temporis nostri hæreticos delegavi, atque propter Ecclesiarum pacisque custodiam, ut a Comitatu vestro non abesset, exegi. Cuius suggestiones pro concordia Catholicæ unitatis *tamquam meas* audire dignemini. *Profecto hujusmodi Vicariarum, qui primum Apocriarii, tum Responsales, ac postmodum Nuntii Apostolici nuncupati sunt, origo ad Leonem refertur. Confer nostras Institutiones Canonicas Lib. I. Titulo XI.*

Vicarii temporanei: quippe peculiaria illis tantum negotia commissa sunt.

XIV. Præterea nulla istis caussarum cognitio demandatur, sed sola vel sententiæ alicujus Romanæ Sedis executio, vel sollicitudo invigilandi, quo fides caste, sancteque servetur. At vero Vicariis Thessalonicensi, Arelateni, & Hispalensi auctoritatem satis amplam, caussas etiam majores dijudicandi, delegatam jam vidimus.

XV. Accedit quoque, quod Zosimus Papa Arelateni Episcopo prærogativam contulit, qua nullus sive Episcopus, sive clericus quisque *in quolibet Ecclesiastico gradu, ex qualibet Galliarum parte Romam, aut alio terrarum contendere poterat, nisi prius ab ipso litteras sic dictas Formatas accepisset.* Hac autem prærogativa duntaxat quoad Episcopos Illyrici donatus fuit Episcopus Thessalonicensis. Unde Sixtus II. *Epistola IX. ad Proclum*, hæc habet: *Si quis harum Provinciarum, quæ ad Thessalonicensis urbis Antistitem pertinent, Sacerdos adveniat . . . sine ejus Epistolis, atque Formata venire tentaverit, tamquam disciplinae Ecclesiasticæ despector, & contemptor Canonum habeatur.* Hinc sane videtur hac de causa Episcopus Arelateni majoris quid auctoritatis præ Thessalonicensi obtinuisse: siquidem iste solis Sacerdotibus, sive Episcopis *Formatas* litteras dabat, quas alii Clerici ex Canonum præscripto a suo Episcopo expectabant; illius vero potestas in *Formatis* litteris consignandis Presbyteros etiam, & Clericos quosque complectebatur.

XVI. Adhæc Siricius Papa Episcopo Thessalonicensi prærogativam contulit, *ut nulli licentia esset sine consensu illius in Illyrico Episcopos ordinandi.* *Epistola IV. num. 10.* Quæ prærogativa Episcopus Arelateni non frue-  
ba-

batur per Galliarum Provincias, in quibus ipsius Vicariatus locum obtinebat. Zosimus quidem Papa præcipuas ei partes contulit in electione & consecratione Episcoporum Viennæ, & Narbonæ: at vero ejusmodi auctoritate, ut illorum Metropolita pollebat, minime vero tamquam Vicarius Sedis Apostolicæ. Atque hi profecto Episcopi undeviginti numerabantur, ut constat ex *Epistola S. Leonis LVIII.* ad eosdem Episcopos rescripta, qui & se & antecessores suos ab Arelatensi Episcopo tamquam metropolitano suo ordinatos, contestati fuerant. Quamobrem Vigilius in *Epistola VII.* ad Episcopos Galliæ, in qua certiores eos facit, se vices suas Auxanio Arelatensi commisisse, hunc titulum præfigit: *Dilectissimis fratribus Universis Episcopis omnium Provinciarum per Gallias, qui sub regno, vel potestate gloriosissimi filii nostri Childeberti Regis Francorum constituti sunt, sed & iis, qui ex antiqua consuetudine ab Arelatensi consecrati sunt, vel consecrantur Episcopi.* Ubi Vigilius aperte Episcopos Auxanio tamquam Pontificis Vicario subjectos sejungit ab illis, qui ipsi tamquam Metropolitano subduntur.

XVII. Denique quamvis Episcopi Thessalonicensis, Arelatensis, & Hispalensis sibi Romanum Vicariatum tamquam suæ Sedi adnexum vindicarunt; non ita tamen quod ad alios Vicarios se res habuit. Quapropter S. Gregorius M. quum Maximiano Syracularum Episcopo vices suas concedit, statim subnectit: *Quas videlicet vices non loco, sed persone tribuimus.*

XVIII. Ex hætenus dictis satis adparet, tantam fuisse Vicariorum potestatem, quantum ipsis profecto Pontifices tribuerunt. Hujusmodi vero Vicarii ætate progrediente *Primates* dicti sunt, ut in nostris Canonis In-

stitutionibus *Lib. I. Titulo XII.* observavimus. Itaque Primatis nomen, quod Metropolitanis quoque commune erat, ut *Capite XVIII.* videbitur, tractu temporis solis Vicariis, sive Legatis Sedis Apostolicæ concessum est.

## C A P U T XVII.

De Patriarchis, Eorumque Origine,  
& Juribus.

§. I. De Nomine Patriarchæ, ejusque in  
Ecclesia usu.

I. **A**C primo in vocis etymon paucis inquiremus; quæ sane id potissimum significare videtur, nimirum *Principem Familie, Cognationis, vel Tribus: Ἀρχοντα πατριῶν* Apud Hesychium *πατριαι* idem sonant ac *φυλαι*: & apud Suidam in voce *πατριαί*: *πατριαὶ χῶραι, φυλαι, ποπαρχιαί*; idest *πατριαί Regiones Tribus, locorum Praefecturae*. Primus alicujus familiae auctor, unde alii descenderint, *Patriarcha* dictus est: Suidas *ibid.*

II. Binghamus censet Christianos Patriarchas a Patriarchis Judaicis, quorum ab antiquis Ecclesiasticis Scriptoribus crebra injicitur mentio, nomen fuisse mutuatos (1). Verum meadun-

---

(1) *Patriarcha Judaicis certi quidam inter Judæos Gubernatores fuisse paulo post Jerosolymorum devastationem constituti; quorum alter Tiberiade, alter Babylone residit, qui inter Judæos per Imperium Romanum, & Persicum rei gerendæ fuerunt Capita. Ingens eorum potestas, & dignitas ad finem usque Saeculi IV. perdurasse videtur. Theodoretus enim Dial. I. & Theodosius Jun. Lib. XVI. Cod. Theod. Tit. VIII. Leg. ult. ante suam aetatem serum gubernationem jam abolitam indicant. Eorundem quoque meminere Epiph. Har. XXX. n. 4. Cyrill. Jeros. Catech. XII. n. 7. Origenes *περὶ ἀρχῶν* lV. 1. ac præ-*

duntaxat sententia res non adeo certa est, uti Binghamo videtur. Fortassis ex eo, quod novas condere Ecclesias, eisdemque primos constituere Episcopos ad ipsos spectarit, inde Patriarchæ (2) dicti sunt. Namque per hoc novæ alicujus Christianæ familiæ veluti Duces, & Patres habebantur: quod in primis, uti modo vidimus, Patriarchæ vocabulum exhibet.

III. Quamvis Socrates, qui Historiam suam edidit an. CCCCXL. primus Episcopis Christianis, qui pluribus Provinciis præessent, Patriarchæ nomen dederit: *Lib. V. Cap. 8.* at publica Ecclesiæ auctoritate nonnisi in Syn. Chalcedonenfi *Act. III.* primum hoc nomine donati sunt. Prorsus enim fallitur Salmasius *Primat. Cap. IV. pag. 43.* ubi contendit jam inde ab Hadriani tempore hoc nomine fuisse adpellatos, eo quod Imperator in Epist. quadam Vopisco memorata de Alexandrino Patriarcha loquatur. Fallitur, inquam, Salmasius: namque Patriarcha, de quo Hadrianus lo-

---

*cipue Hier. qui in locum Isaia III. Effeminati dominabuntur eorum sic scribit.* Consideremus Patriarchas Judæorum effeminatos, ac deliciis adfluentes, & impletam esse Prophetiam cernemus.

(2) Eutychius in Chronico Alexandrino, quod latine redditum, ac notis illustratum primus divulgavit Seldenus, tradit ad exiens usque Seculum II. Alexandrinum Episcopum universam rexisse Aegyptum: at vero Demetrium undecimum ab Marco an. CXXXVIII. Alexandria constitutum Patriarcham tres ordinasse Episcopos; his postea ab Hiracla Demetrii successore alios viginti fuisse adjunctos. Tum ibid. scribit Aegyptios, qui primum Episcopum Alexandrinum Patrem nominabant, dein novis constitutis Episcopis Avum nuncupare consuevisse. Jam vero, uti recte observat Thomass. P. I. L. 1. Cap. 7. n. 6. licet procul esse a vero, aut veri saltem similitudine videatur tandem Episcopis caruisse Aegyptum, ex Eutychii tamen testimonio illud duntaxat colli cre licet per Aegypti regionès primum ab Episcopo Alexandrino Episcopo fuisse constitutos, qui & æquissimo jure ipsinet subesseus a quo ortum habuerant.

loquitur, Christianus aliquis Episcopus non est, sed Patriarcha Judaicus: uti ex Hadriani verbis, & caractere, quem ei adpingit, facile perspicitur (3).

IV. Qui serius Patriarchæ dicti sunt, antiquitus *Archiepiscopi*, & *Exarchi Diœceseos* vocabantur. Etsi enim nunc unum idemque sint Archiepiscopus, & Metropolitanus, attamen prioribus Ecclesiæ sæculis nomen *Archiepiscopi* multo amplioris erat significationis, & vix ulli dabatur Episcopo, nisi cujus jurisdictio super totam aliquam Imperii *Diœcesim* se extenderet (4): uti Episcopo Alexandrino, Antiocheno, Ephesino &c. hinc Syn. Chalced. *Act. XVI.* haud semel Episcopos Romanum, & Constantinopolitanum *Archiepiscopos* nominat: & Justinianus Episcopatum Justinianæ Primæ in Sedem Patriarchalem erigens sanxit: *Volimus, ut non solum Metropolitanus, sed etiam Archiepiscopus fiat.*

## V. Exar-

(3) *Hadrianus Epist. apud Vopiscum in Vita Saturnini*: Ille ipse Patriarcha, quum Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christum s. quod sane in Judaicum quandam Patriarcham optime quadrat, cui æque ab Serapidis, ac ab Christi adoratione abhærendum erat. At ab Christiano Episcopo alienum prorsus est; quippe qui licet ad Serapidis cultum compelli potuisset, libenti tamen animo, & sponte sua Christum adorasset. Adhæc Patriarcha, de quo loquitur Imperator, hæc, vel illa duntaxat occasione quandoque Ægyptum veniebat: id quod de Episcopo Alex. fixam illic Sedem habente dici nequit.

(4) Uti nomen Archiepiscopi, ita & Diœcesis vocabulum multo erat antiquitus amplioris significationis. Ad rem Theodorus Balsamon in Can. IX. Chalcedon. *Διοικήσεως δὲ ἐστὶ ἡ πόλις καὶ ἐπαρχίας ἕκαστα ἐν ἑαυτῇ*; Diœcesis autem est, quæ multas sub se habet Provincias. Rufinus in suo Breviario de Macedonia hæc habet. Et in Diœcesi Macedoniae Provinciae sunt septem: Macedonia, Thessalia &c. *Videsis Leg. 4. Tit. IV. Lib. VI. Cod. Theod. Epistolam Constantini apud Eusebium in Vit. Constantini Lib. III. Cap. 19. Synodicam Conc. Arelatensis, Notitiam Utriusque Imperii Part. I. &c.*

V. Exarchi quoque Diœcesews dicebantur ad distinguendum eos ab Εξάρχαις ἢς ἰσαρχίας ab Exarchis unius cujusdam provincie. Ita Dominus Episcopus Antiochenus Orientalis Diœcesews Exarchus in Conciliis Antiocheno, & Chalcedonensi adpellatus est: Conc. Antioch. in Act. XIV. Concilii Chalcedonensis.

§. II. De Patriarcharum Origine.

VI. Patriarcharum Originem quod spectat, plures, diversæ, eademque gravibus ex æquo innixæ rationum momentis circumferuntur eruditorum sententiæ. Sunt qui Patriarchicam potestatem primum in Ecclesia cognitam autumant Conc. Constantinopolitani I. tempore: ita Basnagius, Beveregius, & Caveus (5). Alii ejus institutionem Concilio Nicæno tribuunt: istæc opinio Hieronymo adscribitur, recentioribusque Græcis probatur (6). Tertia opinio est Spalatensis, & Binghami, qui Patriarchas post ætatem Apostolorum paulo ante Synodum Nicænam in Ecclesiam primum inductos statuunt (7). Alii demum eam altius arcessunt, ac ipsi S. Petro adfigunt, cui æque Romanæ, Alexandrinæ, atque Antiochenæ Ecclesiæ fundatio communiter tribuitur, ita Baronius, Marca, Thomassinus, Pagius, Valesius (8) &c. In re adeo obscura, ac tantopere inter viros doctos controversa proprium

da.

(5) Basnagius *Exerc. Histor. pag. 307.* Beveregius *Not. in Can. II. Conc. Constantinopolit. pag. 95.* Caveus *Anc. Ch. Gov. Cap. 2. & 4.*

(6) Hier. *Epist. LXL.* Balsamon *in Can. VI. Conc. Nicæni.*

(7) Spalatensis *de Republ. P. I. Lib. III. Cap. 12. n. 21.* Bingham, *Lib. II. Cap. 17. §. 8.*

(8) Baronius *ad ann. 39. n. 16.* Marca *Lib. I. Cap. 3. n. 5.* Thomass. *P. I. Lib. I. Cap. 7.* Pagius *Critic. ad ann. 37. n. 9.* Valesius *Observ. Eccles. Lib. III.*



dare judicium periculosa plenum opus alex  
existimo, in quo quidquid senseris acerrimos  
ubique patieris adversarios. Illud satius es-  
set, & magis conducere, si plures illae, ac  
diversae eruditorum sententiae inter se aliqua  
ratione conciliarentur; quod sane praestare  
tentabo. Aliquot igitur Propositiones, ceu to-  
tidem Theoremata liceat constituere, quibus  
veluti jactis fundamentis res omnis facilius,  
felicifque conficietur.

### PROPOSITIO I.

*In Synodo Constantinopolitana Patriarchae pri-  
mum instituti non sunt; at duntaxat eorun-  
dem potestatis limites distinctius, exactiusque  
praescripti.*

VII. Quamvis Socrates de Patribus Constans-  
tinopolitanis scribat: *Patriarchas constituerunt  
Provinciarum divisione facta*: attamen Constans-  
tinopolitanus Canon ubi accuratius perpenda-  
tur, novam institutionem haud praeferre pa-  
tebit. En ejus verba: *Επίσκοποι ὑπὲρ Διοικήσεως*  
*ultra Dioecesim ad Ecclesias, quae extra suos  
limites sunt, ne accedant . . . sed secundum  
Canones κατὰ Κανόνας Episcopus Alexandriae  
Aegyptum regat.* Profecto his verbis κατὰ  
Κανόνας Patres Constantinopolitani vel Cano-  
nem VI. Nicænum respexere, vel *Antiquas  
Consuetudines*, de quibus eodem Nicæno Ca-  
none dicitur: *Antiqui mores servantur.* At po-  
tius Canonem Nicænum praec oculis habuere:  
quum antiquas consuetudines Canonum nomi-  
ne decoratas adfirmari quidem possit, at pro-  
bari non possit. Quum igitur eam potestatem  
Episcopis Alexandrino, Antiocheno, aliarum-  
que Orientalium Dioeceseon Exarchis adsi-  
gnent, quae κατὰ Κανόνας, & quidem jam du-  
dum

dum in Ecclesia servatos ad ipsos pertinebat (9), inde evidenter efficitur Patriarchicam potestatem Constantinopolitano Canone primum institutum non fuisse.

VIII. Fuerunt vero ejusdem potestatis limites distinctius, exactiusque præscripti. Etenim cur Canon ille ederetur, illud potissimum in causa fuit, quod plures Episcopi *Philadelphias* memores, necessitate id postulante, extra proprium territorium Episcopali potestate usi fuerint. Petrus Alexandrinus aliquot Episcopos Constantinopolim miserat, ut ibi Maximum Cynicum Episcopum consecrarent: Gregorius Presbyter *in Vit. Gregor. Nanz.* Luciferus Calaritanus Paulinum Antiochenum Episcopum ordinaverat: Hier. *in Chronic. an. 363.* Meletius Antiochenus in ipsa imperiali urbe plures Episcopalis potestatis actus exercuerat: Theodoret. *Lib. V. Cap. 6. & 7.* Fortassis Patres Constantinopolitani Athanasium quoque, & Eusebium Samosatensem præ oculis habuere, qui uti Cap. XIII. §. 8. vidimus, ex exilio reduces in diversis civitatibus, quas peragrarunt, licet ad proprias ipsorum Diæceses non pertinerent, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos ordinarunt. Illuc igitur Constantinopolitanos Patres eo Canone oculos intendisse omnino dicendum est, ut nimirum nimie Episcoporum confidentiæ, ac libertati fræna injcerent, ne extra propriæ Diæceseos limites Episcopali potestate uti vellent. Quod quidem ex altera Canonis parte, sive Canone III. manifestius elucet, ubi hæc

---

(9) *Sequitur enim Canon:* Orientis Episcopi Orientem tantum gubernent servatis privilegiis, quæ Nicænis Canonibus Ecclesiæ Antiochenæ tributa sunt. Asiæ quoque Diæceseos Episcopi ea solum, quæ sunt in Asiæ Diæcesi, dispensent: necnon & Ponti Episcopi ea tantum, quæ sunt in Ponto, & Thraciarum, quæ in Thraciis sunt, gubernent.

hæc habentur. Non vocati autem Episcopi, ultra suam Diocesim non accedant propter ordinationes faciendas, vel propter alias dispensationes Ecclesiasticas. Tum Can. III. vel IV. de Maximo Cynico in hunc modum sancitur: De Maximo Cynico, & ejus inordinata constitutione, quæ Constantinopoli facta est, placuit, neque Maximum Episcopum esse, vel fuisse, nec eos, qui ab ipso in quolibet gradu Clerici sunt ordinati. Igitur in Synodo Constantinopolitana Patriarchæ primum instituti non sunt, at duntaxat eorundem potestas certis limitibus fuit distinctius, exactiusque circumscripta.

## P R O P O S I T I O II.

*Potestas Patriarchica Synodo Nicæna antiquior est, Canone VI. Nicæno tantummodo firmata fuit, non primum constituta.*

IX. Et sane constat diu ante Concilium Nicænam Episcopum Alexandrinum plures suæ potestati subjectas rexisse Provincias. Istuc probat Canon ipse Nicænus, quo statuitur: *Antiqui mores servantur, qui sunt in Ægypto, Libya, Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quandoque & Episcopo Romano hoc est consuetum. Similiter & in Antiochia, & in aliis Provinciis sua privilegia, ac sue dignitates, ac auctoritates Ecclesiis servantur.* Profecto illud *Antiqui mores τὰ παλαιὰ ἔδει* non recentem, at vero antiquam, sin minus institutionem, inductam saltem in Ecclesiam consuetudinem insinuat.

X. Idem quoque indicant plura, quæ adferri possent, antiquissima Ecclesiastica monumenta, ex quibus manifesto evincitur ea potestate diu ante Synodi Nicænæ tempora Episcopos Alexandrinum, & Antiochenum reve-

ra fuisse usos. Unum, aut alterum proferre liceat. Epiphanius de Meletio Schismatis Meletiani ante Concilium Nicænum auctore loquens Hæres. LXIX. n. 3. *Is ipse Meletius, inquit, Archiepiscopus in Ægypto, & Alexandro subjectus rem omnem (de Ario) ad Alexandri Episcopi aures detulit.* Et de eodem Meletio Hæres. LXVIII. n. 1. scribit. *Ille quidem (Meletius) ceteris Ægypti Episcopis antecellens (10), secundum a Petro dignitatis locum obtinebat, utpote illius adjutor, sed eadem tamen subjectus, & ad ipsum de causis Ecclesiasticis referens: hic enim mos est Alexandrinorum Episcoporum, ut per totam Ægyptum, & Thebaidem, Mareotidem, & Pentapolim administrarent Ecclesiastica negotia.* Medio Sæculo III. quum aliquot Episcopi Libyæ superioris Sabelliano Ἰσδὸγματι adhæssissent, nonne ab hæresi recesserunt, Dionysio potissimum Alexandrino agente, ad cuius curam, uti scribit Athanasius de Sent. Dion. Ecclesie illæ pertinebant? Et ille ipse Meletius nonne a Petro Episcopo Alexandrino in Synodo Diocesana Alexandrina damnatus fuerat? Athanasius, *Apolog. contr. Arianos.* Igitur Patriarchica potestas Synodo Nicæna antiquior est.

XI. Tum Canone VI. Nicæno firmata tantummodo fuit. Et sane verba illa *Antiqui mores*

---

(10) Hæc observandum Meletium ab Epiphanio dici Ægypti Archiepiscopum, ac ceteris Ægypti Episcopis antecellentem. Synodus quoque Epist. LXVI. ad Theophilum Ptolemaidis Ecclesiam Metropolitanam vocat. Igitur singulis Ægypti provinciis singuli præerant Metropolitæ, qui, uti eorum quisque suæ ipsius provincie Episcopis præerat, ita Episcopo Alexandrino subiecti erant. Quam ob rem Episcopus Alexandrinus non Metropolitanam modo, quod Espenius contendit, verum & Patriarchicam in omnes Ægypti Provincias, etiam ante Synodum Nicænam, potestatem exercebat, quum Archiepiscopos, sive Metropolitanas suæ ditioni habuerit subiectos.

*res servantur . . . sua privilegia, ac suæ dignitates, & auctoritates Ecclesiis servantur: Quid, inquam, verba istæ exhibent, nisi ut Episcopis Alexandrino, & Antiochæno novo Oecumenicæ Synodi decreto ea jura firmentur, quibus jandiu ex antiquis moribus fruebantur?*

### PROPOSITIO III.

*Patriarcharum potestas non integra, quæ postea late patuit, & omni ex parte, at vero pedetentim in Ecclesiam inducta est.*

XII. Ut planius hujus Propositionis demonstratio procedat in Patriarcharum jura, & privilegia inquirere abs re non erit: quæ sane non eadem prorsus ubique fuere, sed diversa pro diversis temporum, & regionum consuetudinibus: id quod ex sequentibus patebit.

*Primum Patriarcharum privilegium erat omnes suæ Dioceseos Metropolitans ordinare.*

XIII. Profecto ubi primum in Sedem Patriarchicam Ecclesia Constantinopolitana erecta est, continuo Episcopus Constantinopolitanus jus sibi vindicavit omnes Metropolitanos sibi subiectos ordinandi: *Novell. VII. Cap. 1.* Eandem prærogativam Episcopus quoque Justinianæ Pirmæ consecutus est, quando Patriarchatum obtinuit: *Novell. CXXXI. Cap. 3.* Idem quoque datur dignosci ex *Canone XXXVI.* inter sic dictos Canones Arabicos, quos sub nomine Canonum Nicænorum primus divulgavit P. Turrianus. Etenim de Catholico in Æthiopia Episcopo, qui non erat Patriarcha, sed Patriarchæ Alexandrino parebat, in hunc modum decernit: *Non jus habeat constituendi*

*Archiepiscopus, ut habet Patriarcha: siquidem non habet Patriarchæ honorem, & potestatem (11).*

*Alterum Patriarcharum Privilegium erat convocare Synodos Diœcesanas, & in illis præsidere.*

XIV. Istoc jure jam inde ab altero Ecclesiæ Sæculo usi videntur. Polycrates enim ad discutiendam de Paschatis celebratione contro-

ver-

(11) Verum in hoc peculiari quadam prerogativa Episcopus Alexandrinus fruebatur; cujusmodi erat jus eunctorum per omnes Diœceses sue provincias Episcoporum electiones confirmandi, eosdemque consecrandi. Lucet hoc ex Meletii Lycopolitani Episcopi audacia adtentata adversus S. Petrum Alexandrinum Patriarcham, & per Synodum Nicenam damnata, que fuit in eoposita, quod provinciarum Aegypti, ac præcipue Thebaidos, cui ipse jure metropolitico præerat, Episcoporum ordinationes ad Episcopum Alexandrinum pertinentes sibi vindicaverit: Athanasius Apolog. II. Epiphanius Hæres. LXVIII. n. 3. Sozomenus Lib. I. Cap. 24. Epistola Synodica Concilii Nicæni apud Theodoretum Lib. I. Cap. 9. Quum igitur Nicæne Synodi Can. VI. id Episcopo Alexandrino restitutum sit, quod ipse Meletius inique abstulerat, siquet profecto ad Episcopum Alexandrinum omnium per Aegypti provincias Episcoporum confirmationes, & consecrationes jure antiquissimo spectasse. Tum ejusdem Concilii Epistola Synodica sancitum reperimus, per easdem Aegypti provincias eum ceu legitimum habendum Episcopum, quem populus elegerit, suffragante nihilominus, plebisque judicium confirmante Alexandrinæ urbis Episcopo. Demum Synesius Ep. LXI. ad Theophilum Alexandrinum de Siderio creato Palebiscæ Episcopo sic loquitur. Unum illum, & solum Palebiscæ Episcopum creatum, sed neque legitimum ipsum, contra vero jura omnia, quantum de senioribus accepi, quum neque sit Alexandria constitutus, neque a tribus hic, quamvis illinc ordinandi esset facta potestas. Postremo idem Synesius Epist. LXXVI. ad eundem Theophilum cujusdam Antonii jam comuni omnium suffragio electi Olbiatis exigua Pentapoleos civitatis Episcopi ordinationem Episcopo Alexandrino tribuit. Unum adhuc superest, Sacra tua scilicet manus. Quod de Pelusiensi Ecclesia etiam testatur Isidorus Pelusiota Epist. CXXVII. ad Cyrillum Alexandr.

versiam Episcoporum totius Asiæ Concilium convocavit: ita Eusebius Lib. V. Cap. 24. *Episcopis in Asia coactis præfuit Polycrates*. Eadem de causâ Concilium quoque Episcoporum Palæstinæ celebratum est, cui præfuit Theophilus: Eusebius *ibid.* Cap. 23. Tum Dionysius Alexandr. medio Sæculo III. propter gliscentem Sabellii hæresim Episcoporum Ægypti Synodum convocavit: Athanasius *de Sentent. Dionysi.* Id quod adversus Arii *Id. d. cymæ* præstitit quoque S. Alexander Episc. Alexandrinus. Tandem Theodoretus *Episc. LXXXI.* scribit se ad Diœcesanam sui Antiocheni Patriarchæ Synodum ire, *ut Ecclesiastico Canoni obsequeretur, qui reum haberi jubet eum, qui ad Synodum vocatus adesse noluerit.*

*Tertium Patriarcharum Privilegium erat Appellationes a Metropolitanarum judiciis accipere.*

XV. Hujus prærogativæ monumenta antiquiora non exstant Concilio Chalcedonenfi, cujus *Canon IX.* sic habet: *Si quis cum ipsius Provinciæ Metropolitanæ Episcopus, vel Clericus controversiam habeat, Diœcesanus Exarchum adeat.* Idem quoque statuitur *Can. XVII.* Hi Canones in Civile jus adoptati, & Imperatorum sanctionibus confirmati sunt: *Lib. I. Cod. Justin. Tit. IV. Leg. 29. & Novell. CXXIII. Cap. 22.* Jam vero ex monumentis etiam III. & IV. Sæculi ejusdem Patriarchæ potestatis scintillæ emicant: uti mox videbimus.

*Quartum Privilegium erat in Metropolitanarum administrationem inquirere, in eosque censura Ecclesiastica uti.*

XVI. Hujus potestatis intuitu S. Petrus Alexandrinus Meletium deposuit: Athanasius *Apolog. II.* Socrates *Lib. II. Cap. 3.* Chryostomus Gerontium Metropolitanum Nicomediensem abdicavit: Sozom. *Lib. VIII. Cap. 6.* & Atticus controversiam inter Theodosium, & Agapetum exortam de Episcopatu Synodorum Metropolis Phrygiæ Pacatianæ diremit: Socrates *Lib. VII. Cap. 5.*

XVII. Quinimmo & in ipsos Metropolitanorum suffraganeos eo jure utebantur Patriarchæ, quum Metropolitæ negligentibus esse intelligerent in inculcanda suis Episcopis Legum ecclesiasticarum observantia. Hinc Sozomenus *Lib. VIII. Cap. 6.* de Chryostomo memoriæ prodidit, eum, quum aliquando Ephesum visendi causa venisset, tredecim Episcopos, (vel saltem sex, uti censet Valesius *Not. in locum*) partim in Lycia, & Phrygia, partim in ipsa Asia propter vendita ab eis Sacerdotia Ecclesiis expulisse.

*Quintum Privilegium erat, quod ab suis Metropolitanis in rebus magni momenti consulendi essent.*

XVIII. Ex Actis Concilii Chalcedonenfis habemus, quod, quum Leonis Papæ Epistolæ contra Eutychen ab omnibus subscriberentur Episcopis, Episcopi Ægypti id tum facere detrectantes hæc purgationis causa protulerint: *In Ægyptiaca Diœcesi hanc esse consuetudinem, ut præter voluntatem, & mandatum Episcoporum Alexandrini nihil tale faciant, & petunt con-*



cedi sibi dilationem usque ad ordinationem futuri magnæ civitatis Alexandrinorum Archiepiscopi &c. Eandem Patriarcharum prærogativam indicare quoque videntur Canones Apostolici, inter quos Canon, qui est XXXIII. in hunc modum decernit: *Episcopos gentium singularum scire convenit quis inter eos Primus Πρῶτος habeatur, quem veluti Caput Κεφαλή existiment, & nihil amplius præter ejus conscientiam gerant.*

*Sextum Privilegium erat jus Metropolitanos suos Legatos constituendi.*

XIX. Id sane moris in Ægyptiaca saltem Diœcesi obtinebat: Synesius enim Ep. LVII. scribit se a Theophilo Alexandrino duram accepisse provinciam, ut scilicet per regiones hostilibus armis interclusas ad vicos Libyæ vicinos Palæbiscum, & Hydracem accederet, quo Episcopatus ibi erigeret; tum subdit: *Sed mihi imposita necessitas est pro lege id habendi, quidquid thronus ille Alexandrinus stauerit.*

*Septimum Privilegium: Leges Imperiales Ecclesiæ regimen spectantes, atque Ecclesiasticæ ab Patriarchis suis Metropolitanis communicabantur; a quibus rursus easdem Episcopi accipiebant.*

XX. Profecto Justinianus Novell. XLII. Mennam Patriarcham Constantinopolitanum post exposita præcipua Synodorum Ecclesiæ decreta, quibus Imperatores civile etiam robur addidere, sic adloquitur: *Custodiat itaque Beatitudo tua, que recte adnotata sunt, & mittat ipsa per suas Deo dilectas litteras omni-*

nibus sanctissimis Metropolitibus sub ipsa existentibus, quorum cuilibet cura erit ipsa manifesta facere sanctissimis Ecclesiis sub ipsis ordinatis, ut neminem ex omnibus lateant, quæ Sacerdotio visa sunt, & ab Imperio confirmata. Idem sancitum occurrit ab eodem Justiniano Epilogo ad Novellam VI. Sanctissimi Patriarchæ uniuscujusque Diœceseos hæc proponant in Ecclesiis sub se constitutis, & manifesta faciant Deo amabilibus Metropolitibus, quæ a nobis constituta sunt.

*Octavum Privilegium: Enormium criminum absolutionem aliquando Patriarchæ per universam Diœcesim sibi reservabant.*

XXI. Hujusce prærogativæ vestigium quoddam elucet in sæpius indicata Synesii *Epist. LXVII.* ubi de Lamponiano quodam presbytero loquens, in quem injuriarum in Jasonem Compresbyterum nomine accusatum, atque adeo convictum, censura Ecclesiastica animadverterat, sic loquitur: *Quamquam ex animi pœnitentia lacrymas fudit, & supplex eum populus condonari sibi petiit; ego tamen in iis perseveravi, quæ semel decreveram: solvendi porro jus, & auctoritatem ad Pontificiam sedem rejeci. Unum hoc ergo mihi sumsi: Si Lamponiano fatalis necessitas immineret, & præstituta mortis dies adesse videretur, tum omnibus, qui eo tempore adessent, presbyteris concessi, ut eum communioni restituerent. Nemo enim, quantum in me erit, Ecclesiasticis vinculis obstrictus moriatur. Si convalescit, rursus iisdem pœnis teneatur, atque a divina, humanissimaque anima tua indulgentiæ tesseram expectet.*

XXII. Ex hætenus productis antiquis Ecclesiasticis monumentis, illud, ni fallor, ma-

nifesto evincitur, Patriarchicam potestatem, non integram simul, & omni ex parte, at vero pedetentim in Ecclesiam fuisse inductam.

P R O P O S I T I O IV.

*Quod S. Petrus Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam Ecclesiam fundaverit, plurimum id contulit ad earundem Ecclesiarum Patriarchica jura constituenda.*

XXIII. Istac nonnisi ex *Pseudo* Decretalibus veterum R. Pontificum demonstrari posse contendunt Salmasius, Binghamus, aliique præsertim ex heterodoxis. At contra contendimus non deesse genuina antiquissima Ecclesiastica monumenta, ex quibus idem adstrui posse videtur. Eusebius, Chrysofomus, Theodoretus, aliique veteres in eo potissimum Ecclesiarum Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ dignitatem, & splendorem adnoscunt, quod a S. Petro fundatæ sint.

Ac I. Eusebius Præp. Evang. Lib. III. pag. 138. *Dum potentiam, inquit, Verbi respicio, ut ab agrestibus Jesu Discipulis . . . . Ecclesie constitute sint non in quibusdam obscuris locis, sed in clarissimis civitatibus: in ipsa, inquam, aliarum urbium Regina Romana urbe, in Alexandrina, in Antiochensi; cogor fateri non aliter audax adeo facinus obtinuisse, quam diviniore quadam, ac longe humanam superante potentia. Et alibi Hist. Eccles. Lib. II. Cap. 14. Clementissima Dei providentia fortissimum, ac maximum inter Apostolos Petrum . . . Romanam perducit.*

2. Tum Chrysofomus de Ecclesia Antiochena Tom. I. Hom. 42. hæc scribit: *Hæc est una nostræ civitatis prærogativa, quod Principem Apostolorum ab initio doctorem accepit: æquum enim erat,*

erat, ut ea, quæ nomine Christianorum ante universum orbem terrarum ornata fuit, Primum Apostolorum Pastorem acciperet.

3. Ad hæc Theodoretus in ea, quam ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum scripsit, Epistola, graviter exostulans præfractam Dioscori Alexandrini audaciam, qua Nicænos Canones contemnebat, scribit: *Hic vero legibus istis adquiescere non vult, sed sursum, ac deorsum B. Marci sedem obtendit, idque quum liquido intelligat, Megalopolim Antiochiam Magni Petri sedem habere.* Similia legere est apud Nazianzenum, Innocentium I. Pelagium, Leonem M. aliosque, quorum simul collecta testimonia habes apud Thomassinum P. I. Lib. I. Cap. 7. & 8.

4. Postremo diligentiam suam, ut alibi vidimus, eo potissimum commendavit Eusebius, quod seriem Episcoporum perpetuam contexuerit illarum maxime trium Apostolicarum Sedium. Hæc igitur videtur fuisse Ecclesiæ æque Orientalis, ac Occidentalis consensio, ac traditio, tres illas maximas Sedes dignitatis, ac potestatis honore eo nomine ceteris præfulsisse, quod a S. Petro constitutæ fuerint.

5. At præterire piaculum duxerim aureum Leonis P. *Epist. LIII.* testimonium, qui eminentiorem Sedem Alexandrinæ, & Antiochenæ dignitatem, & auctoritatem a S. Petro effluxisse diserte scribit: *Nihil Alexandrinæ Sedis ejus, quam per S. Marcum Evangelistam B. Petri discipulum meruit, pereat dignitatis: nec Dioscoro impietatis suæ pertinacia corruente, splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque Ecclesia, in qua primum prædicante Apostolo Petro Christianum nomen exortum est, in paternæ Constitutionis ordine perseveret.* Paucis rem omnem complectitur Hincmarus Rem. Tom. II. pag. 402.

*Sedes Ecclesiarum Romane, Alexandrinæ, & Antiochenæ idcirco speciales Sedes dici... quoniam sedes sunt, quin potius una sedes Magni Petri Apostolorum Principis. Igitur quod S. Petrus Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam Ecclesiam fundaverit, plurimum id contulit ad earundem Ecclesiarum Patriarchica jura statuenda.*

## P R O P O S I T I O V.

*Ad Patriarchicæ Potestatis institutionem videtur quoque aliqua ratione contulisse Civilis Politicæ ordo.*

XXIV. Ubi ad civilem Orientis Politiam oculos conjiciemus, præsertim ut in Notitia Utriusque Imperii describitur ( 12 ); & simul fra-

( 12 ) Imperium Romanum jam inde ab Augusti temporibus in varias Provincias tributum erat. Dein primum Hadrianus, & postea Constantinus adæquatiorem tantummodo fecerunt imperii distributionem, universumque Romanum orbem quatuor *Præfectis Prætorio* commiserunt, quum antea duo tantum fuerint totius Imperii Præfecti, auctore Zosimo *Lib. II.* Porro Præfectis Vicarii suberant, vel Proconsules, & iterum sub istis Præsides & Correctores Provincias administrabant.

In Vicariatu Romæ decem erant Provinciæ, 1. Campania, 2. Hetruria, & Umbria, 3. Picenum suburbicarium, 4. Sicilia, 5. Apulia & Calabria, 6. Lucania, & Brutia, 7. Samnium, 8. Sardinia, 9. Corsica, 10. Valeria.

Prima Diœcesis, quæ Præfecto Orientis parebat, erat Diœcesis Ægypti, cujus caput Alexandria: in ea tres primum fuere Provinciæ, Ægyptus Æthiæ, Pentapolis, & Libya, quibus addit Athan. in *Apolog. II.* Thebaidem, & Ammianus *Lib. II.* Augustamniam. His adjecta demum est Arcadia. Tandem tota Ægypti Diœcesis in decem provincias, totidemque Metropoles urbes distributa est, ut constat ex Epist. Imper. ad Dioscorum Act. I. Conc. Chalced. in qua jubet Dioscorum *Ephesum venire cum decem reverendissimis Metropolitibus Episcopis ejus Diœceseos.*

In Diœcesi Orientis, cujus caput erat Antiochia, decem numerabantur Provinciæ: Palæstina, Syria, Phœnicæ,

fragmenta, quæ in veterum Conciliorum Actis, & Subscriptionibus supersunt, cum hac Imperii Notitiâ contulerimus, manifesto patebit Ecclesiam in Diœceses, & Provincias eodem ferme ordine, ac Imperium, fuisse partitam; habuisse scilicet Exarchos, sive Patriarchas, qui pluribus ejusdem Diœceseos Metropolitibus præessent, & Metropolitibus in unaquaque Provincia, qui ejusdem curam gererent. Et sane Diœceseos nomen æque in usu fuit ad designandam Imperii Romani, ac Ecclesiastici Regiminis divisionem. Adhæc ii duntaxat Episcopi, Archiepiscopi, Diœceseon Exarchi, & Patriarchæ dicti sunt, qui eas civitates regerant, quibus haud quidem Præsides, aut Proconsules, at Vicarius, vel Præfectus Augustalis præesset. Plura huc spectantia exempla, & auctoritates adferri possent.

Ac I. Sedes Antiochena tertia erat ordine post Romanam, & Alexandrinam, licet Antiochenam per se, Alexandrinam tantummodo per discipulum suum S. Marcum D. Petrus fundaverit: At in Civilis Politicæ ordine Alexandria Antiochiæ præstabat.

2. Ecclesia Constantinopolitana tunc primum in Patriarchicam Sedem evasit, quum Sedes Imperii facta est. Concilium Constantinopolit.

Q 4

Cap.

ce, Arabia, Cilicia, Isauria, Mesopotamia, Osroena, Euphratensis, & Cypria. Sed hic numerus postea crevit, nam Palestina in tres divisa est, quarum metropoles erunt Casarea, Scythopolis, & Jerusalem; Syria in duas, quarum Metropoles erant Apamea, & Antiochia; Cilicia itidem in duas, quarum metropoles Tarsus, & Anazarbus. Demum Phœnicia quoque in duas, quarum metropoles fuerunt Tyrus, & Damascus. Præter has metropoles dignitatem in eadem Provincia occupare conatus est Berytensis Episcopus; sed ejus conatus ab Imperatore Marciano, & Episcopis in Concilio Chalcedonensi *ACT. IV.* repressus est. Confer Dupinium de Antiqua Ecclesie Disciplina Dissert. 1. §. 8.

Can. III. *Constantinopolitanus Episcopus habeat primatus honorem post Romanum Episcopum, eo quod sit ipsa nova Roma.*

3. Canon IX. Concilii Antiocheni sic præcipit: *Omnes Episcopos, qui sunt in unaquaque Provincia, nosse oportet Episcopum, qui præest Metropoli, curam totius Provinciae gere- re. Propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant. Unde placuit eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum ceteros Episcopos agere secundum antiquam a Patribus nostris Regulam constitutam (scilicet Can. Apostolicum XXXV. quo idem sancitur) nisi ea tantum, quæ ad suam Diæcesim pertinent . . . Amplius autem nihil agere tentet præter Antistitem Metropolitanum (13). Justinianus Episcopatum Justinianæ I. in Patriarchatum erectum voluit, quod Romana Præfectura, quæ primum Firmi constituta erat, de Firmitana civitate in Thessalonicæam transierat, ibique sua Imperiali sanctione fuerat collocata: id quod ratum habuit Vigilius Papa; atque adeo Justinianopolitanum tunc primum consecratum Patriarcham Delegatum quoque Sedis Apostolicæ constituit: *Novell. XI. & CXXXI. Cap. 4.**

XXV. Quum vero interdum accideret, ut Episcopi metropolitana jura ambientes Imperatores adirent, a quibus obtenta Metropolæas in Urbis suæ gratiam dignitate, ecclesiastica quoque jura, & Provinciarum ordinationes invaderent: hinc ejusmodi Episcoporum ambitionem, salva Principum auctoritate distribu-

---

(13) *Fateor quidem Canones Apostolicum, & Antiochenum de Metropolitanis sanxisse: verum Κερωὺν Regulæ qua utuntur ad ejusmodi constituendas sanctiones, ad Patriarchas quoque spectat. Et sane, uti modo vidimus, non aliunde honoris primatus post Rom. Pontificem in Synodis Constantinopolitana, & Chalcedonenſi Episcopo Constantinopolitano adſertus est.*

buendi unam provinciam in plures, improbarunt, ac refrænarunt tum R. Pontifices (14), tum & eadem Synodus Chalcedonenfis (15). Unde Phœnicia a Theodosio Jun. bifecata, atque secundæ Phœnicix Beryto Metropoli designata, quum Eustathius Beryti Episcopus metropolitana jura exercere adgressus esset, de eo Photius Tyri Universæ Phœnicix Metropoleos Episcopus primum in Synodo Constantinopolitana sub Anatolio, dein & in Syn. Chalcedonenfi conquestus est: atque in hac Synodo Photio metropolitana in universa Phœnicia dignitas restituta est, significante etiam Imperatore, velle se res Ecclesiasticas non legibus decidi, sed Canonibus: *Act. IV.* Tum Nicæna Civitate Rescriptis Imperialibus inter Metropoles relata, antiquo Metropolitanò ejus Provinciæ Episcopo Nicomediensi in eadem Synodo sua jurisdictio illibata, integra adserta est in ipsum etiam Episcopum Nicænum *Act. XIII.* Similia exempla occurrunt in ejusdem Concilii Actis, aliisque secutis temporibus celebratis Synodis. Videfis Thomasi. *Part. I. Lib.*

Q 5

I. Cap.

(14) *S. Leo Ep. LIV.* Alia est ratio rerum divinarum, alia humanarum. *Gelasius Ep. ad Episc. Dara.* Risimus, quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia Episcopus fuit regix Urbis. Nunquid apud Romanos, Mediolanum, Sirmium apud Treviros multis temporibus non constitit Imperator? *Et Innocentius I. Epist. XVIII. ad Antiochenum Episcopum:* Nam quod seiscitaris, utrum divisis imperiali judicio provinciis, ut duæ Metropoles fiant, sic duo Metropolitanì debeant nominari: non vere visum est ad mobilitatem necessitatum humanarum Dei Ecclesiam commutari, honoresque, aut divisiones perperiti, quas pro suis causis faciendas duxerit Imperator.

(15) *Conc. Chalced. Can. XII.* Pervenit ad nos, quod quidam præter Ecclesiasticos ordines adfectantes potentiam per pragmaticam formam unam provinciam in duas dividant, ita ut ex hoc inveniantur duo Metropolitanì Episcopi in una eademque esse provincia. Statuit ergo S. Synodus, deinceps nihil tale adtentari a quolibet Episcopo; eos vero, qui tale aliquid adtentarint, proprio gradu cadere.



I. *Cap. 40.* Qua de re Canon Chalced. XVII. quo sancitur: *Si qua Civitas auctoritate imperiali novata est, aut si protinus innovetur, civiles dispositiones, & publicas Ecclesiasticarum quoque Parochiarum ordo subsequatur*: haud ita intelligendus, quasi novas erigendi etiam in ordine ecclesiastico Metropoles Imperatori facultas tributa esset: quod Zonaræ, & Balsamoni in interpretando eo Canone in mentem venit: sed potius ea esse videtur sententia, ut si Imperator Civitatem innovet, vel a fundamentis excitet, eique oppida, vicusque adtribuat a territorio circumjacentium Episcopatum avulsos, in hos quoque novus Episcopus suam exporrigat jurisdictionem. Ita nec Imperatori Metropoleon creandarum potestas adfigitur, quam ille, uti modo vidimus, repudiaverat.

XXVI. Verum Græci nunquam ab ea regula recessisse videntur, moderandi scilicet politiam Ecclesiasticam juxta formam politiae civilis; uti patet ex Concilii Constantinopolitani III. *Can. XXXIII.* ex Concilii Trullani *Can. XXXVIII.* ex Zonara in *dictum Canonem*, ex Balsamone in *Can. XVI. Conc. Carthaginensis*, aliisque, quorum collecta testimonia reperies apud Ildephonsum Clementem de Arostegui in sua Concordia Pastoralis *Lib. I. Cap. 2.* Id quod Græcorum schismatis præcipua videtur fuisse causa.

XXVII. Ex statutis Propositionibus, veluti ex totidem jactis fundamentis, sic nostrum de Patriarcharum origine videtur construi posse Systema. Ac primo, ut recte in Patriarcharum originem inquiramus, omnino distinguendum reor inter dignitatem patriarchicam ex una parte, & potestatem ex altera. Jam vero Ecclesiarum Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ dignitatem, ac splendorem ex eo proflu-

fluxisse, quod a S. Petro fundatæ sint, *Prop. IV.* jam demonstravimus. Porro ex Sedium dignitate, ac splendore earundem auctoritas, & potestas effluxit. Nanque quum ex Roma, Antiochia, & Alexandria vicinis, & circumjacentibus regionibus Evangelicæ prædicationis lux refulserit; hinc factum est, ut ipsæ ceterarum veluti Parentes agnoscerentur, & Matrices. Igitur ubi in earundem Regionum civitatibus Episcopos constitui oportuit, hoc jus nonnisi ad Ecclesiæ Matricis Episcopum spectare visum est, a quo ipsa fidei plantatio, & Ecclesiarum institutio profecta videbatur. Hujus auctoritatis veluti specimen dedit S. Paulus, qui, uti *Capite XIX.* videbimus, Titum Cretæ reliquit, ut constitueret per civitates Presbyteros, idest Episcopos; & supra ex Chronico Alexandrino Eutychii jam vidimus primos per Ægypti provincias ab Episcopo Alexandrino fuisse constitutos Episcopos.

XXVIII. Præterea quum identidem hæreses, & schismata erumperent, ac inter Episcopos controversiæ oborirentur; quidnam fidei tuendæ, ac paci Ecclesiarum fovendæ conducibilius videri poterat, quam ad illius Sedis Episcopum confugere, ad quem veluti jure paternitatis spectaret earundem Ecclesiarum curam agere? Faciunt huc prærogativæ, quibus ab apostolico usque ævo Episcopus Alexandrinus fruebatur, uti demonstravimus *Propositione III.* Simili profecto ratione Exarchi Diocæsus, sive Primatis dignitate Episcopum Ephesinum præfuisse constat, eo quod, uti tradit Irenæus apud Eusebium Lib. III. Cap. 23. *Ephesina Ecclesia, & a Paulo quidem fundata sit, & Joannem usque ad Trajani tempora habuerit Præsidentem.* Ecclesia Carthaginensis inter reliquas Africanas semper primatum obtinuit, quia inde fidei rudimenta Africanæ Re-

giones primum hauserunt : Augustinus *Epist. CLXII.* Tum ad adstruendum antiquum Ecclesiæ Arelatensis primatum Episcopi provinciæ eandem regulam urserunt in Libello Leoni Papæ oblato , quem refert Sirmondus *Tom. I. Conc. pag. 89. ad ann. 450.* Similiter & in Anglia Cantuariæ primatus refulsit, quia illic Augustinus ad fidem disseminandam a S. Gregorio missus ibi Episcopalem sedem fixit. Plura hac spectantia exempla vide apud Arostegui *ibid.* Igitur ut ad rem nostram redeamus, a gloria Conditoris, & a jure Paternitatis Sedium Patriarchalium primum dignitas, & splendor, dein potestas, & auctoritas profluxit.

XXIX. At inquires ; quæ tanta Hierarchiæ Ecclesiasticæ cum civili politia adfinitas ? Ea quidem de causâ, quod quum Apostoli orbem universum ita inter se divisissent, ut singulis singulæ adsignarentur nationes ; profecto nihil ipsis ad Christianam religionem facilius, feliciusque propagandam opportunius visum est, quam ut in civitate principe, sive metropoli fidei semina ingererentur ; ut quum ibi, Deo incrementum dante, radices egissent, sic paulatim, veluti ex stirpe palmites producantur, & gemmæ erumpunt, vicina quoque oppida, & circumjectæ gentes inde fidei lumen participarent. Ad rem Chrysof. *Hom. XXXVII. in Cap. XXVII. Actor. Ad majores aguntur civitates Apostoli sermone inde quasi ex aliquo fonte ad vicinos emanaturo.*

XXX. Hinc S. Petrus, cui, ut Apostolorum principi, præcipuæ Orbis obvenerant Diœceses, Romana scilicet, Ægyptiaca, & Orientalis, profecto sapienter id egit, ut Roma primum, Alexandria, & Antiochia fidei lucem adspicerent. Namque Idololatria ibi everfa, ac prostrata, ubi magis dominabatur, haud difficile futurum erat eandem in oppidis, &  
in

in exiguis, ac minus præstantibus civitatibus deicere. Unde S. Leo Serm. LXXX. Cap. 3. *Beatissimus Petrus princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet.* Atque eo intuitu civilis Imperii politia ad patriarchicæ dignitatis institutionem contulisse videtur. Patet igitur primum ab Civilis politicæ ordine, at remotius; dein ab S. Petri dignitate, & quidem proxime patriarchalium Ecclesiarum splendorem, tum & potestatem profluxisse. At vero quod Sedes Antiochena tertia esset ordine post Romanam, id nonnisi politicæ civili tribui posse jam supra observavimus; uti etiam eandem imperii politiam præ oculis habuisse videntur, primum Nicæni, dein & Constantinopolitani Patres, quum eandem Sedium potestati, & canonicum adjicere robur, & limites statuere oportuit.

XXXI. Præterea quum aliquando non constaret quænam ex pluribus ejusdem provincicæ civitatibus prior fidei prædicationem suscepit, tunc quoque civilis politicæ ordo respiciendus fuit; licet enim inde non certo eruatur Ecclesiam esse Apostolicam, haud leve tamen inde habetur argumentum, ubi de exordio, & origine non constat. Apostoli enim, uti modo observavimus, plerumque magnis urbibus Prædicationis Evangelicæ semina mandavere. Atque hinc patet quemadmodum ad Metropolitanam Episcopi alicujus constituendam dignitatem Civilis politicæ ordo aliquando contulerit; quod Synodi Antiochenæ *Propos. V. num. XXIV.* productus Canon exhibere videtur. Tandem Patriarchica Potestas antiquis duntaxat moribus in Ecclesiam inducta in Synodo Nicæna primum sanctione Ecclesia-

fiastica firmata est; uti *Prop. II.* demonstravimus. Cujus tamen limites in Synodo Constantinopolitana distinctius, exactiusque præscripti sunt; uti statuimus *Prop. I.*

XXXII. Atque hoc sane pacto ad Patriarchicam Dignitatem, & Potestatem constituendam simul conspirarunt Civilis Imperii Politia, Gloria Conditoris, Antiqui sensim in Ecclesiam inducti mores, Canon VI. Nicænus, ac demum Can. II. Constantinopolitanus.

## C A P U T X V I I I.

### De Exarchis & Primatibus.

#### §. I. De Exarchis Asiatico, Pontico, & Heracleensi.

I. **E**ξάρχος *Exarchus* vox græca apud veteres æque profanos, ac sacros Scriptores adhibita potissimum occurrit ad significandum eum, qui cantum incipiebat, sive cantus auspiciem. Sic apud Homerum *Iliad. XVII. vers. 605.* Μπολῆς ἐξάρχοντες *Cantum incipientes.* Philo *de Vita contempl.* eum, qui inter Hæsenos laudes incipiebat, vocat ἡγαμόνα, καὶ ἔναρχον *Ducem, & Auspicem.* Et Gregorius Nanz. ἐξάρχον ἑστῆς festi auspiciem vocat eum, qui primum festum aliquem diem celebrat.

II. Tum eodem vocabulo Veteres Ecclesiæ Patres usi sunt, & in malam partem. Scilicet vel ad significandos criminis alicujus capitalis, vel etiam rebellionis auctores, unde hæresiarchæ haud raro αἰρέσεως ἐξάρχος nuncupati occurrunt, vel ad indicandos primæ alicujus Sedis Episcopus (1). Unde Canones Con-

(1) Hac notione etiam Plutarchus in *Numa Summo Sacerdote* vocat ἑρέων ἐξάρχον. Et Concilli Ephesini II. sive

ciliorum non raro injiciunt mentionem *αὐτῶν Διοικήσεως*, & *ἑξάρχου αὐτῆς ἐπαρχίας*: nimirum *Exarchi*, sive *Patriarchæ*, cui integra *Diœcesis* erat adtributa, & *Exarchi*, sive *Metropolitæ*, cui una tantummodo suberat provincia. Igitur inter *Patriarcham*, & *Exarchum αὐτῆς Διοικήσεως Diœcesews* vix aliquid discriminis invenias. *Patriarchæ* enim dicti sunt *Episcopi Romanus*, cui *Provincia suburbicariæ*, *Alexandrinus*, cui *provincia Ægypti*, & *Antiochenus*, cui *Orientis* suberant *provinciae*: uti *Capite superiori* vidimus. Atqui etiam *Exarchis* integræ parebant *Diœceses*, scilicet *Episcopo Ephesino* *provincia Asiæ*, *Cæsareensi* *provincia Ponti*, & *Heracleensi* *Thraciæ* subiciebantur *provinciae* (2). Unius igitur  
no-

II. sive potius *Latrocinii Ephesini Præses ἑξάρχος* vocatur *Dioscorus*: de quo *Eva. r. us* Lib. I. Cap. 10. Cujus præses *ἑξάρχος* erat constitutus *Dioscorus*. Verum *Synodô Carthag.* III. *Patres* ut qui eam præcipue vitandam esse ducebant *titulorum superbiam*, caverunt, ne primus inter *Episcopos* *provincia Princeps Sacerdotum*, aut *Summus Sacerdos* diceretur. Sic enim habet *Canon XXXIX*. Ut primæ *Cathedræ* *Episcopus* non adpelleretur *Princeps Sacerdotum*, *ἑξάρχος τῶν ἱερέων*, aut *Summus Sacerdos*, aut aliud ejusmodi.

(2) In *Diœcesi Asiatica* novem erant *Provinciae*, quarum una erat *Provincia Proconsularis Asia*, cujus *Metropolis*, totiusque *Asiaticæ Diœceseos* caput est *Ephesus*. Ceteræ octo *Vicario Asiæ* parebant, *Hellepontus* scilicet, *Pamphylia*, *Lydia*, *Pisidia*, *Lyconia*, *Lycia*, *Charia*, & *Phrygia*: quæ deinde in *Salutarem*, & *Pagatianam*, itemque *Pamphylia* in duas divisa sunt. Præterea unus erat in *Rhodo*, alter in *Lesbo Insulis* *Metropolitanus*.

*Diœcesis Ponti*, cujus *Metropolis* est *Cæsarea Cappadocia*, in sex primum divisa *Provinciae*, *Cappadociam*, *Galatiam*, *Armeniam*, *Pontum*, *Paphlagoniam*, & *Bithyniam*. Quæ omnes, excepta *Bithynia*, in duas postea divisa sunt. Præterea fuit in eadem *Diœcesi* *Metropolis*, & *civilis*, & *Ecclesiastica* *Nicæa*; sed nomine tantum, & honore, ut a nobis alibi observabitur.

*Diœcesis Thraciæ*, cujus olim caput erat *Heraclea*, deinde vero *Constantinopolis*, quinque complectebatur *Provinciae*, nimirum *Thraciam*, *Rhodopem*, *Hæminontum*, *Mæsiam*, & *Scythiam*. Confer *Dupinium de Antiqua Eccles. Disciplina Dissert. I. §. XI.*

nominis varietate discriminabantur *Patriarchæ* a sic proprie dictis *Exarchis*.

III. In Exarchorum originem inquirere si velimus, profecto licet eorundem primum meminerit Concilium Constantinopolitanum I. ubi diserte post Alexandrinum, & Antiochenum Episcopos nominantur; cave tamen inde colligas in hac Synodo primum fuisse institutos. Quum enim ipsis præscribatur, ne ultra suarum Dioceseon fines, quarum singulæ pluribus constabant provinciis, jurisdictionem suam protenderent, nullus profecto dubitationis locus relinquitur, quin jam antea iidem inva- luerint. Tum *Can. VI. Nicæno*, ubi post firmatas Episcopo Alex. antiquas prærogativas sancitur: *Similiter quoslibet apud Antiochiam, & ceteras provincias suis privilegia servantur Ecclesiis*; Exarchos Ephesinum, Heracleensem, & Cæsareensem fuisse indicatos oppido est verisimile; præsertim quum *Can. Constantinopolitano*, quo Canon Nicænus explicatur, ac sua Ecclesiis antiqua privilegia disertius firmantur, simulque limitibus circumscribuntur, ex æquo Dioceseon administratio ipsis, ac Episcopis Alex. & Antiocheno tribuatur: *Alexandrinus Antistes, quæ sunt in Ægypto regat solummodo*; & *Orientis Episcopi Orientem tantum gubernent, servatis privilegiis, quæ Nicænis Canonibus Ecclesiæ Antiochene tributa sunt. Asiaticæ quoque Dioceseos Episcopi ea solum, quæ sunt in Asiatica Diocesi dispensent*; necnon & *Ponti Episcopi ea tantum, quæ sunt in Ponto, & Thraciarum, quæ in Thraciis sunt, dispensent.*

IV. Jam vero hac in re tria potissimum observanda: 1. Exarchorum Sedes Ephesum in Asia fuisse, Cæsaream Cappadociæ in Ponto, & Heracleam in Thracia. Atqui hæc erant Dioceseon Capita, ubi Vicarii Sedem figebant.

2. Dioc-

2. Diœceseon civili umpartitionem jam ante Constantini M. tempora obtinuisse; uti colligere datur ex Epist. ejusdem Imperatoris ad Episcopos scripta post Concilium Nicænum apud Eusebium & Theodor. (3). Quinimmo etiam Cicero Diœceseon, & speciatim Asiaticarum meminit: Epist. Famil. Lib. XIII. Epist. 67. (4).

3. Tres illas civitates Ephesum, Cæsaream, & Heracleam singularibus prærogativis supra reliquas jam inde ab Apostolorum ævo refulsisse testatur Eusebius Lib. III. Cap. 1. *Joanni Asia obvenit, qui plurimum in ea commoratus, Ephesi tandem diem obiit . . . Timotheus Ephesinæ Ecclesiæ Episcopatum primus accepisse dicitur.* Et ibid. Cap. 27. illud Irenæi profert: *Sed & Ephesiana Ecclesia, quæ a Paulo quidem fundata est, Joannem vero usque ad Trajani tempora habuit præsentem, testis locupletissima est Apostolica traditionis.* Ephesina Synodus commendari se voluit, quod in ea urbe & Servatoris Mater, & Joannes diutius essent commorati: *Act. I. in Epist. ad Clerum.* Tum eodem Eusebio teste toti Asiæ præerat Polycrates, cujus etiam mandato tempore Victoris Papæ ad finiendam de Paschate controversiam omnium Asiæ Episcoporum Concilium

ce-

(3) *Eusebius Vit. Constant. Lib. IV. Cap. 19.* Æquum rectumque esse omnes judicaverunt, quod & vobis placiturum esse spondi, ut scilicet, quod in urbe Roma, perque omnem Italiam, Africam, Ægyptum, per Hispaniam, Gallias, Britannias, Libyam, & universam Achajam, per Asiam, & Ponticam Diœceses . . . sanctissimi Paschæ festivitas uno eodemque die celebraretur. *Eandem Constantini Epistolam iisdem pæne verbis refert Theodoretus Lib. I. Cap. 10.*

(4) *Cicero indicato loco.* Ex provincia mea Ciliciensi, cui scis tres Diœceses adtriburas esse. *Et Lib. III. Epist. 9.* Quid enim erat . . . ut me omnium illarum Diœcesum, quæ cis Taurum sunt &c.



celebratum est (5). Eadem de causa Theophilus Cæsareæ Episcopus Synodum coegit Episcoporum Ponticæ Diœceseos, cujus etiam nomine Synodicam ad eundem Victorem scripsit Epistolam. Id testantur Eusebius, S. Hieronymus, aliique veteres (6). Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus quum in causa baptismatis hæreticorum Stephano Papæ obstitit, ac circumjacentium regionum Episcopos in Synodum coegit, quos & in suas partes pertraxit, profecto suam in circumpositas provincias potestatem sat luculenter expressit (7). Neque obscurius ejusdem potestatis argumentum est, quod quum Rex Armeniæ cum regno suo Christianam religionem est amplexatus, Gregorium suæ gentis futurum Episcopum ad Leontium Cæsareæ Archiepiscopum misit, ut ab eo ordinaretur (8). Ex quo quidem tempore mos invaluit, ut ab Cæsareensi Archiepiscopo Armeniæ Antistites peterentur: *Thomas. Part. I. Lib. I. Cap. 18.*

De-

---

(5) *Eusebius Lib. V. Cap. 24.* Episcopis in Asia coactis præstitit Polycrates. Qui in ea Epistola, quam ad Victorem, & Ecclesiam Romanam scripsit &c.

(6) *Eusebius ibid. Cap. 25.* Decretum Episcoporum, qui tum erant in Palæstina convocati, ad hanc usque ætatem scriptis custoditum est. In quorum Synodo Theophilus Cæsareensis Ecclesiæ Episcopus, & Narcissus Episcopus Jerosolymorum Præsides fuerunt.

S. *Hieronymus Catal. Script. Eccles.* Theophilus Cæsareæ Episcopus sub Severo Principe aduersus eos, qui Luna XIV. cum Judæis Pascha faciébant, cum ceteris Episcopis Synodicam valde utilem composuit Epistolam.

(7) *Firmilianus Epist. ad S. Cyprianum, quæ inter Cyprianicas exstat ordine LXXV.* Nos jampridem in Iconio, qui Phrygiæ locus est, collecti in unum convenientibus ex Galatia, & Cilicia, & ceteris proximis regionibus, confirmavimus, &c.

(8) S. *Nicon Episc. Epist. ad Enclystium apud Baronium ad an. 311.* Quum Magnus Gregorius, qui fuit Magnæ Armeniæ Episcopus cavisset, Armeniæ Episcopum a nullo alio esse ordinandum, quam ab illius temporis Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopo &c.

Demum si vetustissima Ecclesiarum politia ad nostra usque tempora pervenisset, profecto Heraclea Thraciæ princeps civitas plurimum quoque circumjacentium Ecclesiarum antiquissimæ Matris titulo cohonestaretur.

V. Jam vero, si tria hæc adcurate perpendamus, profecto liquebit ad Exarchorum constituendam potestatem ex æquo aliquid contulisse, & servatum ab Apostolis in Evangelii propagatione ordinem, & antiquos paulatim in Ecclesiam inductos mores, ac demum Conciliorum, præcipueque Constantinopolitani, Canones. Neque opus est, ut in percensendis Exarchorum muniis, ac juribus vel tantulum immoremur: tum quod, si peculiaris quædam jura Patriarchis Romano præcipue, & Alexandrino quæsitæ excipias, eadem pæne fuerint, ac illa Patriarcharum; uti ex producto Constantinopolitano Canone perquam manifestum est: tum vero potissimum quod Exarchiæ illæ quum vix Sæculo IV. exeunte primum plenæ constitutæ adparuerint, medio Sæculo V. maxima ex parte desierint. Constat enim ipsas in Synodo Chalcedonensi fuisse pæne abolitas, atque ad constituendam Constantinopolitani Patriarchatus amplitudinem abrogatas, reservata earundem Episcopis nominis duntaxat, & confessus prærogativa; scilicet ut præ Metropolitanis Exarchi Dioceseon adpellarentur; utque honoratiore loco post quinque primos Patriarchas sederent in Conciliis. Scribit quidem Evagrius *Lib. III. Cap. 6.* redditum a Timotheo Constantinopolitano Episcopo Ephesino jus Patriarchatus, quod Concilium Chalcedonense ei ademerat: quod etiam suo Edicto firmavit Tyrannus Basiliscus. At constat non diu post iterum fuisse æterno insepultum silentio Edicto Zenonis: Thomassinus *P. I. Lib. I. Cap. 17. n. 16.* Con-

cer-

certationes Episcoporum Constantinopolitanorum cum tribus Exarchis, & quas de his illi in Synodo Chalcedonenſi victorias reportarint, *Cap. ſequenti* proſequemur.

§. II. *De Primate Carthaginienſi.*

VI. Episcopum Carthaginienſem jam inde ab ultima antiquitate Primatem fuiſſe totius Africae, ac in omnes Africanas Eccleſias poteſtatem exercuiſſe res eſt adeo in promptu, ut diſputatione non egeat. Profecto Agrippinus Episcopus Carthaginienſis, qui ineunte ſæculo III. vixit, in cauſa de baptiſmate hæreticorum Concilium habuit totius Africae plenarium, cui ipſe præfuit. Teſtatur id Cyprianus Epist. ad Quirinum: *Agrippinus cum Coepiscopis ſuis, qui in illo tempore in Provincia Africa, & Numidia Eccleſiam Domini gubernabant, ſtatuit &c.* Cyprianus ipſe in eadem cauſa, quæ hæreticorum baptiſma reſpiciebat, Concilium etiam totius Africae plenarium celebravit, in quo ipſe primas habuit: *Quum Episcopi plurimi conveniſſent ex Provincia Africa, Numidia, & Mauritania.* Epist. XLV. Videtur heic Cyprianus indicare ſuam Provinciam Africanam complexam fuiſſe etiam Numidiam, & Mauritanias duas: *Quoniam, ſubnectit, latius fuſa eſt Provincia noſtra; habet enim Numidiam, & Mauritanias duas ſibi coherentes.* Hæ ſunt, ut obſervat doctiſſimus Thomaffinus *Part. I. Lib. I. cap. 20. num. 4.* Mauritania Tingitana, & Cæſareenſis, vel potius Sitifenſis, uti placet Dupinio *De Antiq. Eccleſ. Diſcipl. Diſſert. I. §. 9.* Ex his tribus provinciis Legati ad Synodum Arelatenſem miſſi ſunt, cui etiam interfuere.

VII. Jam vero imperante Constantino Africa univerſa in plures provincias partita eſt

est (9). Ex quo tempore singulæ Africanæ Provincie suos habere cœperunt Metropolitæ, quæ nullum prius agnoverant, nisi Carthaginensem. Porro constitutis Metropolitæ suam in omnes Africanæ Ecclesias potestatem retinuit Episcopus Carthaginensis; eidem enim reservatum est jus ordinandi omnes Africanarum Ecclesiarum Antistites, convocandi Concilium Diœcesanum totius Africanæ, invisendi omnes Africanas Ecclesias, ac earundem curam agendi: tum etiam ad ipsum graviores, difficilioresque causæ referebantur; haud secus ac Episcopis Alexandrino, & Antiocheno potestas in Ægypti, & Orientis Diœceses servata est etiam postquam hæ in provincias speciali quadam ratione sub Constantino divisæ sunt, iisdemque Metropolitæ præpositi. Id consentire etiam videtur *Canoni VI. Nicæno*, quo sancitum: *Similiter autem, & apud Antiochiam, ceterasque Provincias suis privilegiis Ecclesiis serventur*. Quod de Episcoporum præcipue ordinatione Patres Nicænos intellexisse perquam manifestum est. Profecto, uti observat Thomassinus *ibidem num. 5.* post Patriarchas Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum nullus alius Episcopus quiverat potiore jure sibi vindicare in plures Provincias, vel Ecclesias principatum, quam Carthaginensis.

VIII. Et sane r. Gratus Episcopus Carthaginensis anno 349. Concilium habuit totius Africanæ plenarium, in quo *una cum collegiis suis confedit, & qui ex diversis provinciis Africanis ad Carthaginem convenerunt* &c. Huic Concilio inter reliquos adfuit Abundantius  
Epi-

---

(9) Sub Constantino Africa in sex, aut septem Provincias divisa est: nimirum Africam sic proprie dictam, Numidiam, Mauritanias Casareensem, & Sitifensem, Tingitanam, Bibucenam, & Tripolitanam; *Dupinius ibid.*

Episcopus Adiumetinus ex Provincia Byzace-  
na, qui proferens Decretum sui Provincialis  
Concilii de interdicenda Clericis ulura, pe-  
tiit, ut illud a Grato, ejusque plenaria Sy-  
nodo confirmaretur: *In nostro Concilio statu-  
tum est, ut non liceat Clericis fœnerari. Quod  
si & Sanctitati tue, & presenti Concilio vi-  
deatur, presenti placito designetur.* Hinc li-  
quet medio Sæculo IV. Ecclesias Africanas  
jam tum suos habuisse Metropolitans, hos au-  
tem sua habere Concilia consuevisse. Sub  
Agrippino, Cypriano, & Cæciliano nullum  
occurrit alicujus peculiaris Africanæ Provin-  
ciæ Concilium, quod *Plenario*, sive *Univer-  
sali* Carthaginiensi totius Africæ Concilio sub-  
sit. Igitur Episcopus Carthaginiensis, qui pri-  
mum totius Africæ nonnisi Metropolitans erat,  
Sæculo IV. Primas constitutus est; æque ac  
Episcopus Alexandrinus totius Ægyptiæ  
Diœceseos Patriarcha.

2. Concilio Carthaginiensi II. totius Afri-  
cæ plenario præfuit Genedius Episcopus Car-  
thaginiensis: *Quum Genedius Episcopus una  
cum Victore Abziritano, & ceteris coepiscopis  
suis provinciarum diversarum consedisset, Ge-  
nedius Episcopus dixit &c.*

3. Tum Conciliis Carthaginiensibus III. IV.  
& V. totius quoque Africæ plenariis præfuit  
Aurelius Chartaginiensis: *Quum Aurelius Epi-  
scopus una cum Coepiscopis consedisset &c.* Idem  
constat de ceteris Conciliis Africanis, quæ  
deinceps habita sunt, quibus Episcopi semper  
Cartaginienses, tanquam totius Africæ Pri-  
mates, præfuerunt.

4. Episcopus Carthaginiensis omnium quo-  
quoque Africæ Ecclesiarum sollicitudinem ge-  
rebat, ut Episcopus Alexandrinus Ecclesiarum  
Ægypti. Quamobrem Aurelius in Concilio  
Carthaginiensi III. dixit: *Ego cunctarum Ec-  
cle-*

*clesiarum, dignatione Dei, ut scitis Fratres, sollicitudinem gero.* Profecto Dispensationes majoris paullo momenti Episcopo Carthaginiensi reservatæ erant. Unde Valerius Hipponensis Episcopus Aurelium Carthaginiensem rogavit, ut S. Augustinum Coadjutorem sibi adiungere, ac successorem designare per ipsum liceret. Id testatur Possidius *Vit. Augustini*. Præterea quum Africanis Patribus opportunum visum fuerit Mauritanix Sitifensi proprium designare Primatem, sive Metropolitanum, Carthaginiensis in primis Episcopi consensu opus fuit (10).

5. Postremo Episcopo Carthaginiensi jus erat visendi Ecclesias omnium Africæ Provinciarum: unde in Concilio III. Carthaginiensi Episcopi Provinciæ Mauritanix Aurelium Primatem Carthaginiensem rogant, ut suas Ecclesias ex more, & ex Canonum præscripto invisere velit (11). Eadem prærogativa frue-

ba-

---

(10) *Codex Canonum Eccles. Africanæ Can. XVII.* Primatem proprium quum Mauritanix Sitifensis Episcopi postulerent, omne concilium Episcoporum Numidix, consentientibus omnibus Primatibus, vel universis Episcopis omnium Africanarum Ecclesiarum, propter longi itineris novitatem habere permisit. Cum consensu Carthaginiensis Ecclesiæ factum est. *Cap. XIX. observabimus apud Africanos Provinciarum Præsides plerumque non Metropolitanos, at vero vel Primates, vel Senes fuisse dictos, quod tum honor, tum jura sic dicta Metropolitana antiquitati Episcopatus tribuebantur, haud vero Ecclesiæ, cui præerant, dignitati.*

(11) *Codex Canonum Ecclesiæ Afric. Can. LII.* Honoratus, & Urbanus Episcopi dixerunt: Et illud nobis verbo mandatum est, ut quia constitutum est in Concilio Hipponensi singulas Provincias tempore Concilii visitare. Hæc illi respondit: Dignemini etiam, quod hoc anno facere distulistis, vel alio anno Mauritaniam Provinciam visitare. Aurelius Episcopus dixit: Tunc de Provincia Mauritaniam, propterea quod in finibus Africæ posita sit, nihil statuimus: siquidem vicinæ sunt Barbarico. Sed præstet Deus, ut ex abundanti non pollicentes venire possimus ad vestram Provinciam. Cogitare enim debetis, fratres, quia hoc sibi & Tripolitani, Arzugitani fratres poterant exire, si ratio pateretur.

datur Episcopus Alexandrinus per omnes Ægypti provincias, uti constat ex Athanasii *Apolog. II.*

§. III. *De Primate Cypri.*

IX. Primas, five Exarchus Ecclesiarum Insulæ Cypri merito dici potest Episcopus Constantiæ in ea Insula Metropolitanus. Quamvis enim nullos habuerit Metropolitans, quibus præflet, nulli tamen suberat Patriarchæ, vel Exarcho; & ab suis Episcopis inconsulto quovis Patriarcha jandiu ordinari consuevit. Antiquitus quidem Patriarchæ subiciebatur Antiocheno: at postquam Antiochenam Ecclesiam diutissime Ariani occupassent, atque adeo per annos ferme quinquaginta infando schismate proscidissent, hanc nacti occasionem Episcopi Cyprii primum quamcunque Ecclesiæ Antiochenæ communionem vitarunt, utpote vel ambigam, vel profanam; dein contra antiqua Ecclesiæ Antiochenæ jura libertatem sibi vindicarunt, vel saltem ætate progrediente præscriperunt.

X. Alexander quidem Antiochenus de ejusmodi Cypriorum usurpatione graviter conqueustus est per litteras apud Innocentium I. (12). Is autem Episcopis Cypriis præcepit, ut juxta antiquos mores Ecclesiæ Antiochenæ parerent (13). At vero Cyprii in Synodo Ephesina suæ libertatis causam instaurarunt, mendaciis, & fraudibus ab Alexandro Innocen-

---

(12) *Alexander Epist. ad Innocentium*: Cyprios olim Arianæ impietatis potentia fatigatos non retulisse Nicænos Canones in ordinandis sibi Episcopis, & usque adhuc habere præsumtum, ut suo arbitrato ordinent.

(13) *Innocentius I. Epist. XVII. cap. 2.* Persuademus eis, ut curent, juxta Canonum fidem, fidem Catholicam sapere, atque unum cum ceteris sentire provinciis &c.

centium circumventum clamitantes; & cum Episcopo Antiocheno expostularunt, quod ipse contra Apostolica statuta, contra Canones Nicænos, contra veterem consuetudinem Cypriorum ordinationes ad se rapere niteretur. Ad hæc addiderunt jam inde ab Apostolicis temporibus nunquam ab Antiocheno Episcopo Cypriorum ordinationes fuisse peractas; eamque potestatem semper Concilio Provinciæ fuisse reservatam (14). Postremo Patres rogarunt, ut legem conderent, ne quis Episcopus ultra antiquos suæ potestatis limites agere quidquam audeat. Igitur Ephesini Patres Episcopo, sive Primati Constantiæ jus vel restitutum, vel servatum voluerunt constituendi Episcopos per universam Cypri insulam. Atque adeo, ut Episcoporum Cypri postulationibus satis plenissime facerent, legem tulerunt, ut in aliis etiam Diocæsesibus, & Provinciis nullus Episcoporum aliam provinciam occuparet (15).

XI. Fateor quidem Ephesino decreto eam conditionem fuisse adpositam: *Si non est vetus mos* &c. At vero constat Episcopum Constantinum jam tum exoptata libertate fuisse usum, ac veluti *αὐτοκράτωρ* Primatem in om-

Tom. I.

R

ni-

(14) *Concilium Ephesinum Act. VII.* Contra Apostolicos Canones, & definitiones Nicænae Synodi ordinandi jus ad se rapere adtentat præter Canones, & consuetudinem, quæ jam olim invaluit . . . A sanctis Apostolis nunquam possunt ostendere, quod adfuerit Antiochenus, & ordinavit . . . Sed Synodus nostræ Provinciæ congregata constituebat Metropolitanum.

(15) *Concilium Ephesinum ibidem.* Si non est vetus mos, quod Episcopus Antiochenus ordinet in Cypro, sicut docuerunt religiosissimi viri, qui ad Synodum accesserunt, habebunt jus suum intactum, & inviolatum, qui sanctis in Cypro præsunt Ecclesiis, secundum Canones, & veterem consuetudinem. Illud in aliis provinciis, & diocæsesibus servetur, ut nullus Episcoporum aliam provinciam occupet.



nibus Cypri Ecclesiis egisse. Tum Petrus Fullo, qui Ecclesiam Antiochenam circiter annum CCCCLXXX. non tam rexit, quam labefactavit, strenue egit apud Imperatorem Zenonem, ut antiqua in Ecclesias Cypri sibi jura restituerentur. At vero Anthemio Urbis Salaminae, sive Constantiae Episcopo hac de causa nimium consternato S. Barnabas, cujus opera primum Cypro Evangelii lux adfulserat, ter nocte in somnis adstitit, atque tum locum indicavit, ubi sacrum suum corpus conditum erat cum Evangelio Matthæi sua manu conscripto, tum etiam bono animo esse jubens in hunc modum est adlocutus: *Quoniam adversarii tui jura quedam objicientes tecum disceptant, Antiochiam Sedem Apostolicam esse contendentes: Et ut contra jus tuum illis opponas: Et mea, inquit, sedes Apostolica est, nam & Apostolum habeo in Ecclesia mea.* Igitur Anthemius post inventa magno cleri, populique concursu sacra *λεϊ Λωα* Imperatorem Zenonem convenit, cujus jussu coactum est Episcoporum Concilium, in quo causa, quæ inter Episcopos Antiochenum, & Constantinum jam incaluerat, tractaretur. In istac Synodo quum Anthemius cælestem Sancti Apostoli Barnabæ visionem narrasset, Zenone Antiochenum *Λεῦδο* Episcopum, cujus etiam perfidiam jam plene noverat, rejecit, ac tributam Decreto Ephesino Episcopo Constantino Primatis prærogativam sacram tectam servari voluit (16); quæ deinceps usu etiam universæ Ecclesiæ firmata est.

## §. IV.

---

(16) Ejusmodi Historiam hausimus ex Alexandrino Monacho Scriptore coevo apud Baronium ad annum 485. Eandem satis indicare videtur Cedrenus in suo Historiarum Compendio in Zenone pag. 353. Edit. Parisiensis, cujus hæc sunt verba. Ea tempestate reliquæ S. Apostoli Bar-

## §. IV. De Primatibus Theſſalonicenſi, &amp; Justinianæ Primæ.

XII. Excurſu ſubnexo Capiti XV. jam vidimus Episcopum Theſſalonicenſem tanquam Legatum, ſive Vicarium Sedis Apoſtolicæ Primatem egiſſe per omnes Illyrici Provin- cias. Heic tantummodo obſervandum ſupe- reſt, quod Illyrico bifariam partito, in Ori- entale ſcilicet, & Occidentale, illo Theſſaloni- cenſi Episcopo reſervato, fuerit hoc Episcopo Acridæ, quæ poſtea Juſtiniana Prima dicta eſt (17), tributum. Igitur huic Episcopo Primatis per Illyricum Occidentale præroga- tivam elargitus eſt Imperator Juſtinianus, vel potius Vigilius Papa urgente Juſtiniano. Pro- fecto Juſtinianus ipſe *Novella CXXXI. cap. 3.* poſt recensitas quinque, vel ſex provincias, quas Episcopum Juſtinianæ Primæ habere ſub ſua iurisdictione jubet, ſtatim ſubnectit: *Ip- ſum vero a proprio ordinari Concilio, & in ſubjectis ſibi provinciis locum obtinere eum Se- dis Apoſtolicæ Romæ, ſecundum ea, quæ defi- nita ſunt a ſanctiſſimo Papa Vigilio.*

XIII. Juſtinianus ipſe *Novella XI.* ſcribit Firmi, ſive Sirmii olim Romanam Præſectu- ram fuiſſe conſtitutam, ibique omne fuiſſe Il- lyrici faſtigium *tam in civilibus, quam in*

R 2

Epi-

---

nabæ inventæ ſunt in Cypro. Jacebat cadaver ſub arbore Ceraſo Evangelium, quod S. Mattheus composuerat, in pe- ctore geſtans manu Barnabæ deſcriptum. Ea occasione Cyprus Metropolis facta eſt, ut jam non amplius ſub An- tiocheno cenſeatur.

(17) *Acrida Juſtinianæ Primæ nomen ſortita eſt, quod patria Imperatoris Juſtiniani fuerit. Atque id etiam in cauſa fuiſſe videtur, cur ad Patriarchæ, ſive Primatis dignitatem Acridenſem Episcopum evelum Juſtinianus vo- luerit.*

*Episcopalibus caussis* (18): postea vero, quum Attila ejusmodi loca devastasset, Præfectum prætorio de Firmitana, sive Sirmiensi civitate Thessalonicam profugum venisse; atque hac de causa accidisse, ut Thessalonicensis Episcopus maximam per Illyrici provincias potestatem fuerit consecutus: *Thessalonicensis Episcopus non sua auctoritate*, scribit *ibid.* Justinianus, *sed sub umbra Præfecturæ meruit aliquam prærogativam*. Porro provinciis illis recuperatis, atque Romano Imperio subjectis, Justiniano par æquumque visum est, ut Romanam Præfecturam in sua Patria collocaret, quum nihil magni distaret ab Illyrici Occidentalis provinciis: *Et ideo tua Beatitudo*, adloquitur *ibidem* Justinianus Catellianum Justinianæ Primæ Archiepiscopum, *Et omnes præfate Primæ Justinianæ Antistites Archiepiscopi habebant prærogativam, Et omnem licentiam, suam auctoritatem eis impertiri, Et eos ordinare, Et in omnibus superscriptis provinciis primam habere dignitatem, summum Sacerdotium, summum fastigium, a tua Sede creentur, Et solum Archiepiscopum habeant nulla communione ad eum Thessalonicensi Episcopo servanda: &c.*

XIV. Collatam Episcopo Justinianæ Primæ dignitatem agnovit, confirmavitque Gregorius M. qui scriptis ad Joannem hujus Civitatis Episcopum litteris, missoque pallio, confirmasse simul, ac innovasse videtur Sedis Apostolicæ Legationem, sive Vicariatum: *Pallium ex more transmittimus*, scribit Gregorius Lib.

IV.

---

(18) *Profecto Ammianus Sirmium Mârem urbium appellat. Et in Synodo Aquilejensi ann. 381. Amenius Episcopus Sirmiensis dixit: Caput Illyrici nonnisi civitas est Sirmiensis.*

IV. Epist. 8. *Et vices vos Apostolicæ Sedis agere iterata innovatione decernimus.* Tum idem Gregorius Joanni alteri hujus decessori interdixerat, ne sacrificium offerret; latamque ab eo in Episcopum Thebanum sententiam irritam declaravit: *Lib. II. Epist. 6.* Ex quibus sane liquet Episcopi Justinianæ Primæ, æque ac Thessalonicensis Exarchatum, sive Primatis dignitatem Sedis Apostolicæ Vicariatui fuisse adnexam. Id quod de Primatibus etiam Arelatensi, & Hispalensi intelligas, uti *indicato Exkursu* jam observavimus.

C A P U T XIX.

De Patriarchis Constantinopolitano, Jerosolymitano, Aquilejensi, & Gradensi.

§. I. *Patriarchatus Constantinopolitani Origo.*

I. **B**Yzantio, quæ postea Constantinopolis fuit, mirum quantum honoris, præcellentiæ, & dignitatis accesserit, ex quo illic Constantinus Imperii Sedem transtulit. Hinc non modo a Græcis, verum & a Latinis *Novæ Romæ, Orientis Reginæ*, aliisque honorificis titulis decorari cœpit (1). Tum Episcopus Constantinopolitanus altius de se sentire, sibi que supra ceteros Episcopos eminentiam, ac peculiaria quædam honoris, at-

R 3

que

---

(1) *S. Gregorius Naz. Poemat. de sua Vit.*  
 Natura binos haud quidem Soles dedit,  
 Dedit ipsa binas atramen Mundi faces  
 Romas: vetustam scilicet Romam, ac novam,  
 Hoc discrepantes invicem: quod qua cadit  
 Sol, illa fulget: fulget hæc quo se exerit.

*Sidonius Apollinaris*

Salve sceptrorum columen, Regina orientis  
 Orbis Roma tui.

que adeo potestatis argumenta vindicare adtentavit.

II. Primi omnium Constantinopolitani Oecumenici Concilii Patres honoris illi primatum post Romanum Episcopum, ideoque ante Episcopos Alexandrinum, & Antiochenum concessere: *Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris primatum post Romanum Episcopum, propterea quod Urbs ipsa sit nova Roma*: Can. II. Porro ejusmodi Canone Episcopus Alexandrinus nullo pacto adduci potuit, ut sententia accederet. Et sane Timotheus Alexandrinus, quo absente Canon ille conditus fuerat, in sua quadam Epistola ad Damasum Pontificem data graviter de eo conquestus est; tum Timothei successor Cyrillus in Concilio Ephesino antiquos mores, & Nicæna Statuta per illum violata exclamavit (2). Quin & Dioscorus datis Litteris ad Dominum Antiochenum Episcopum graviter hunc objurget, quod Canon Constantino adientiensi, honorem Ecclesiarum Antiochenæ, & Alexandrinæ pessumdederit.

III. Quod vero attinet ad Sedem Apostolicam, tantum abest, ut Canonem hunc probaverit, ut potius tuto adserere possimus, ne transmissum quidem Romam fuisse, quo ab Sede Apostolica confirmaretur.

IV. Et sane I. Lucentius Episcopus Asculana-

---

(2) *Ejusmodi S. Cyrilli querimonia Flavianum Constantinopolitanum certiore fecit Theodoretus Epist. LXXXVI. Novimus, inquit, eum illiberalem erga nos, qui Antiochenæ Sedi sumus obnoxii, animum præbuisse, ex quo sub beatæ memoriæ Proclo Synodicis constitutionibus, quæ apud vos factæ sunt, consensum dedimus, Sanctorum Patrum decretis obsequentes: jamque semel, atque iterum accusasse, tanquam Antiochenæ, ut loquitur, & Alexandrinæ Ecclesiæ jurium proditores.*

lanus Sedis Apostolicæ Legatus in Concilio Chalcedonenſi non ſolum negat ſe Canonem illum inter Eccleſiaſticos Canones reperire, veram & de eo loquitur, juxta ac ſi illum penitus ignoraret. Etenim quum Aetius Archidiaconus Conſtantinopolitanus in eadem Synodo ad amplificandam ſui Epifcopi dignitatem, ac poteſtatem nervos omnes contenderet, ejuſque ſupra tres Exarchos juridiſtionem, prolato Canone Conſtantinopolitano, tueri obniteretur, Lucentius in hunc modum Concilii Patres adloquitur: *Accedit ad cumulum, quod trecentorum decem & octo Conſtitutionibus poſtpoſitis, centum & quinquaginta, qui in Synodicis Canonibus non habentur, mentionem tantum feciſſe noſcuntur, quæ dicunt ante octoginta prope annos conſtituta fuiſſe. Si ergo his temporibus hoc beneficio uſi ſunt, quid nunc requirunt? Si nunquam uſi ſunt, quare requirunt?*

2. Idem manifeſto evincitur ex quadam S. Leonis Epiftoſa ad Anatolium Conſtantinopolitanum: *Perſuaſioni tue, ſcribit, in nullo penitus ſuffragatus quorundam Epifcoporum ante ſexaginta, ut jaſtas, annos facta ſubſcriptio nunquam a Prædeceſſoribus tuis ad Apoſtolicæ Sedis tranſmiſſa notitiam, cui ab initio ſui caduca, dudumque collapsæ ſera nunc, & inutilia ſubjicere ſomenta voluiſti.*

3. Adhæc Bonifacius I. qui Petri cathedram tenuit circiter annum CCCCXX. *Epiftoſa ad Rufum Theſſalonicenſem Epifcopum de Attici Conſtantinopolitani audacia, qui ſuæ ditioni Illyricum Orientale ſubjicere adtentabat, graviter conqueritur; tum ſubdit: Melius fraternitati veſtræ intelligendum relinquo, quis humilitatis, quis ſuperbiæ ſit magiſter. Sed abſit hoc a Domini ſacerdotibus, ut in hunc aliquis eorum cadat reatum, ut nova qua-*

*dam usurpatione tentando inimica sibi faciat Scita Majorum . . . . Quoniam si locus exigit, si placet, recensete Canonum sanctiones, reperiatis, quæ sit Ecclesiæ Romanæ secunda. Profecto si Canon Constantinopolitanus Romam transmissus fuit, ut ab Apostolica Sede confirmaretur, qui unquam in hunc modum Lucentius, S. Leo, Bonifacius I. locuti fuissent? Qua de re vero oppido simile est Clericos Constantinopolitanos quodam veluti ambitionis æstu abreptos, in eo operam suam collocasse, ut Canonem illum a Constantinopolitanis Patribus extorquerent. Quemadmodum enim Constantinopolim, Romani Imperii sede jam illuc translata, ad maximum gloriæ fastigium euectam adspexerant, ita etiam vehementer optabant, ut ejus Ecclesia, atque Antistes reliquis Orientalibus Episcopis, & vel ipsis Patriarchis longe præcellerent. Ad rem Anastasius Bibliothecarius Præf. ad Syn. VIII. Familiaris est illis ista præsumptio, & singularis quodammodo ambitionis indicium. Siquidem in Secunda Synodo contra Statuta Magnæ Nicænæ Synodi, & Sanctorum decreta Præsumptum Romanorum Alexandrinæ privilegia Sedis Constantinopolitano contulere Pontifici.*

§. II. *Expenditur vis Canonis Constantinopolitani.*

V. Sunt, quibus ea animo sedet sententia, ut per Canonem Constantinopolitanum collatam arbitrentur Episcopo Constantinopolitano potestatem supra tres dioceses Asiæ, Thraciæ, & Ponti. Quod quidem his fere argumentis ostendunt. I. Nestarius Constantinopolitanus in quodam Concilio Constantinopoli habito ann. 394. controversiam diremit, quæ inter Agapium, & Gabadium pro Episcopatu

Bostrensi versabatur. Nimirum ipse rem in Concilio proposuit, ipse Concilii Præsidem egit, ac primo loco ante Theophilum Alexandrinum, & Flavianum Antiochenum Synodici Actis subscripsit. Porro Bosra, quæ una erat inter Arabiæ civitates, Patriarchæ Antiocheno suberat. Confer Acta ejusdem Concilii in *Jure Græco-Romano pag. 247.* & apud Balsamonem.

2. Sozomenus Epistolam memorat, quam S. Ambrosius ipsi Nectario dedit, qua eum hortatur, exflagitatque, ut Gerontium deponat, quj ex Clerico Mediolanensi in Orientem profectus, ibique Episcopus Nicomediæ Bythinæ consecratus, non levem Ecclesiasticæ disciplinæ jacturam adferebat. At Bythia intra Ponticæ Diœceseos confinia continebatur. Quod quum Nectarius perficere non potuisset, ejus successor Chrysostomus ad exitum perduxit (3).

3. S. Joannes Chrysostomus, auctore Theodoro, in tres illas Diœceses plenam exercuit potestatem (4). Tum Sozomenus *Lib. VIII. cap. 6.* de eodem Chrysostomo memoriæ prodidit: *Quum aliquando Ephesum visendi causa venisset, tredecim Episcopos (vel saltem sex, uti censet Valefius in indicatum Sozomeni locum) partim in Lycia, & Phry-*

R 5

gia,

(3) Sozomenus *Lib. VIII. cap. 6.* Ambrosius scripsit Nectario Constantinopolitano Episcopo, ut Gerontio Sacerdotium adimeret, nec se & Ecclesiasticam disciplinam injuria adfici pateretur. Verum Nectarius, quamvis omni studio id perficere conatus, nunquam tamen obtinere potuit, universis simul Nicomediensibus ei fortiter resistentibus: Joannes vero quum illum deposuisset, ejus loco Panlophium ordinavit.

(4) Theodoretus *Lib. V. cap. 28.* Atque hoc modo profpexit non illi soli civitati; verum etiam toti Thraciæ, quæ est in sex præfecturas divisa, & cupæ Asiæ, quæ undecim habet, & Ponticam Ecclesiam, quæ totidem habet, iisdem adornavit legibus.



gia, partim in ipsa Asia propter vendita ab eis Sacerdotia deposuerit, aliosque eorum loco subrogaverit.

4. Atticus Constantinopolitanus jus dixit in causa Episcopatus Synodorum disceptata inter Theodosium, & Agapetum; in qua Attici sententia vicit Agapetus: Socrates *Lib. VII. cap. 3.* Porro Episcopatum illum Asiana diocesis complectebatur.

5. Postremo controversia exorta inter Metropolitanos Nicænum, & Nicomediensem in Bythinia Ponticæ Dioceseos provincia; utri nimirum Ecclesia Basiliopolitana tanquam Metropolitanæ subesset, in Synodo Chalcedonensi *Act. XIII.* ita videtur definita, ut Episcopo Constantinopolitano jus Episcopos in Ecclesia Basiliopolitana ordinandi reservatum sit (5).

VI. At contra nobis majus robur videntur præferre illorum argumenta, qui censent Regiæ Urbis Antistitem Canone Constantinopolitano honorarium duntaxat primatum fuisse adeptum.

VII. Et sane I. Canone ejusdem Concilii II. quo Dioceseos fines adcuracione quanta maxima describuntur, Dioceses Ægypti, & Orientis Episcopis Alexandria, & Antiochiæ subduntur. Dioceseon vero Asiæ, Ponti, & Thraciæ administratio Episcopis Ephesi, Hæraclæ, & Helleponti demandatur. Atque inibi ne mentio quidem ulla de Episcopo Constantinopolitano injicitur, neque vola, aut vestigium de potestate, quam ipsi in hac dioc-

ce-

---

(5) Sanctissima Constantinopolitana Sedes aut ordinationem ipsa faciat in Basiliopoli cum reliquis, aut eam permittat fieri, sicut litteris, quæ sunt, & factæ sunt sapius, ostendere possumus.

ceses adscripserint. Profecto Patres Nicæni  
*Can. VI.* post collatam Episcopo Alexandrino  
 per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim po-  
 testatem, statim subnectant: *Similiter autem*  
*Ἐν ἀποδ' Ἀντιόχιας, ceterasque provincias sua*  
*privilegia servantur Ecclesiis: Ὁμοίως καὶ κατὰ*  
*Ἀντιόχιας, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις.* Igi-  
 tur in quibusdam aliis provinciis præter An-  
 tiochenam, Alexandrinam, & Romanam erant  
 similia administrationis *πρεσβεία*. Porro Syno-  
 dus Constantinopolitana *Can. II.* post sancita  
 jura Patriarcharum sub Imperio Romano de-  
 gentium, post editum decretum, ne Diocæ-  
 sibus præpositi Episcopi limites suos exce-  
 dant, sed secundum Canones Alexandriae Epi-  
 scopus Ægyptum solummodo regat, & Orien-  
 tis Episcopi Orientem tantum gubernent, ser-  
 vatis privilegiis, quæ Nicænis Canonibus Ec-  
 clesiae Antiochenæ tributa sunt, statim addit  
 Canonis VI. Nicæni veluti interpretem agens:  
*Asiane quoque Dioceseos Episcopi ea solum,*  
*quæ sunt in Asiana diocesi dispensent, Ἐν*  
*Ponti Episcopi ea tantum, quæ sunt in Ponto,*  
*Ἐν Θρακίαις, quæ in Thraciis sunt, guber-*  
*nent.* Asiana ergo Diocesis, Pontica, &  
 Thracia nulli Patriarchæ suberant, sed Syno-  
 dus Provinciæ, & Dioceseos: cujuscunque or-  
 dinationes Episcoporum, & reliquam Eccle-  
 siasticam administrationem exsequebatur, uti  
 statuit dictus *Can. II.* Quo sane earum omnium  
 Ecclesiarum *τῆ οἰκονομίας* consultum est, quæ  
 Dioceseibus, & Provinciis illis continebantur,  
 quas Præfectus Prætorio Orientis regebat.  
 Eisdem Capitibus superioribus ex Zosimo, &  
 Notitia Imperii jam monuimus, fuisse quin-  
 que Dioceses Ægyptum, Orientem, Asianam,  
 Ponticam, & Thraciam, quæ Provincias qua-  
 draginta septem conficiebant. Verum non mo-  
 do productus Constantinopolitanus Canon, ve-

rum & Theodosius Imperator Episcopis Asiæ, Ponticæ, & Thraciæ Diœceseon plenum tribuit Exarchatum. Etenim Romanis de causa Flaviani Episcopi Antiocheni cum eo sæpius expositulantibus, respondit *Flaviano communionem jungi præter Orientem, Asianam, Ponticam, & Thracicam Diœceses.*

2. Canone II. sæpius laudato honoris primatus Episcopo Constantinopolitano impertitur post Romanum, haud secus ac *Canone VII. Nicæno* Episcopo Jerosolymitano post Episcopos Alexandrinum, & Antiochenum conceditur. At Episcopo Jerosolymitano nonnisi honorarius primatus delatus est, scilicet ἀπολυσθία τῆς τιμῆς, Metropoli propria dignitate servata (6). Quodque in ea sententia versati fuerint Patres Constantinopolitani (honorem nimirum, non jurisdictionem Episcopo Constantinopolitano tribuendi) patet ex verbis ipsi Canonis adpositis, ubi agere se pronuntiant κατὰ τὴν Νικαίαν ὁρισθῆναι juxta quæ in *Nicæna Synodo statuta sunt.*

3. Paulus Heracleæ Exarchus Concilio præfuit, quod prope Chalcedonem in suburbio quodam sic dicto *Quercus* habitum est, in quo urgentibus Theophilo Alexandrino, Severiano Gabalorum, Antiocho Ptolemaidis, Acacio Bercensi, aliisque Episcopis Magnus Chrysofomus iniqua sententia depositus est. Confer Acta hujus Concilii apud Photium *Art. I. & Pailadium Dial. pag. 13.*

4. Constat ex Concilio Ephesino duos Thraciæ Episcopos Patres admonuisse, ut Fritilæ Heracleensi, qui Nestorii partes tuebatur, Episcoporum in sua Diœcesi ordinatione inter-

(6) *Ad rem Espenius Schol. in Canonem XXVIII. Chalcedonensem.* Manifestum enim est Canone Constantinopolitano, quemadmodum Episcopo Jerosolymorum datum est *Can. VII. Nicæno.*

terdicerent, quippe verebantur, ne ex Nestorii sectatoribus Episcopos consecraret (7).

5. Atticus Constantinopolitanus, qui in ditionem suam Illyricum redigere tentaverat, (quo tamen manus abstinuit Bonifacii Pontificis vigilantia impeditus) adgressus est quoque tres Exarchos, quos sibi subderet. Quamobrem legem a Theodosio expressit, quæ jubebat, *Ne quis Episcopus designetur absque sententia, & auctoritate Concilii Constantinopolitani*. Qua sane munitus varios tum in Ponto, & Thracia, tum & in Asia Episcopos ordinavit. At vero Sisinnius Attici successor, quum eandem sibi jurisdictionem vindicaret, Ecclesiæ Cyzici Hellepontæ Metropoli Proclum designavit, præfecitque Episcopum. At Episcopi Thraciæ tum Proclo, tum Sisinnii jussibus posthabitis, Dalmatium sibi Episcopum elegerunt, vociferati legem illam ea mente a Theodosio latam, quo Attico tantum, non ejus successoribus faveret: *Legem neglexerunt, quod Attico solum, ut illi putabant, nominatim auctoritatem illam concederet*: Socrates Lib. VII. Cap. 28. & 47. Inde tamen unicuique colligere datur, nullam in Canone, de quo agitur, Constantinopolitano Episcopo in tres Exarchos jurisdictionem adscriptam fuisse. Si qua enim ejusmodi jurisdictionis ipsi adserta esset, cur quæso tantæ curæ fuisset.

---

(7) *Conc. Ephes. Act. VII.* Quoniam nunc Fritilas Heraclæ Episcopus a S. Synodo Apostata factus, Nestorio, & cum illo sentientibus se addixit (suspiciamus autem quod nunquam vel ipse ulciscens tanquam hostes, vel qui cum ipso Heraclæ Episcopatum administrant, veniant ad ordinandum Episcopos juxta veterem, & memoratam consuetudinem in memoratis civitatibus, quæ nunquam proprios Episcopos receperunt) itaque *priscos mores, & consuetudinem*, quæ olim & ab initio viguit, commoveri propter novitates cogitantes, oramus &c.

fuiſſet Attico, ut nuper adlatam legem a Theodofio exprimeret? Cur autem Epifcopi Hellesponti contra Siſinnii ſtatuta Dalmatium ſibi eligiſſent, ac conſecraſſent Epifcopum?

6. Aetius Archidiaconus, & Presbyteri Conſtantinopolitani in Concilio Chalcedonenſi quid non moliti ſunt, quo Epifcopo ſuo ſupra tres Exarchos poteſtatem adlerent, ac vindicarent? In quo quidem adeo operam ſuam collocarunt, ut nonnullos etiam Epifcopos in ſuas partes deduxerint. Et ſane *Act. XI.* Diogenes Cyzicenus pro ipsis peroravit. Quum enim ageretur cauſa Stephani, & Baſſiani de Eccleſia Epheliſina contendentium, dixit: *Conſuetudo hoc habet. Si ſaluſ fuiſſet Conſtantinopoli Epifcopus non hæc accidiffent.* Tum Philippus Presbyter Conſtantinopolitanus dixit: *Sanctæ memoriæ Joannes Epifcopus quindecim Epifcopos depoſuit profectus in Aſiam, & pro eis alios ordinavit, & Mnemon hic ordinatus eſt.* Aetius Archidiaconus Conſtantinopolitanus dixit: *Et Caſtinus hic ordinatus eſt, Baſlides, & alii &c.* At vero eadem *Act. XI.* quum Iudices dixiſſent: *Dicat Sancta Synodus, ubi volunt Canones Epifcopum ſanctiſſimæ Epheliſinæ Eccleſiæ ordinari: Reverendiſſimi Epifcopi clamaverunt: In provincia.* Tum Leontius Epifcopus Magneliæ dixit: *A ſancto Timotheo uſque nunc viginti ſeptem Epifcopi facti, omnes in Ephelo ſunt ordinati.* Dein Aetio clamanti: *Et Caſtinus hic ordinatus eſt: Epifcopi omnes interceſſerunt: Obtineant Canones.* Unde Aetius *Canonem II. Conſtantinopolitanum* in medium protulit. At vero Aetii verbis Patres obſurduere, neque producti Canonis ulla ipsis ratio habita eſt quoad illam partem, de qua Aetius contendebat. Profecto in eodem Concilio cauſæ ruruſ diſcuſſæ ſunt, tum Stephani & Baſſiani de Epifcopatu Epheliſio-

fiorum, uti modo diximus, contendentium, tum Episcoporum Ponti, & Metropolitanis Nicææ de ordinatione Episcopi Basilinopoleos, tum Eusthatii Berythi, & Photii Tyri, tum & aliæ, in quibus peragendis nihili habitum est, quod ab Episcopis Constantinopolitanis jam definitæ fuissent. Atque adeo Patres concilii in iis definiendis, Præsulum Constantinopolitanorum sententiis neglectis, plerumque in alia omnia abierunt. Igitur licet Aetius, & Presbyteri Constantinopolitani mirum quantum adlaborassent, nervosque omnes contendissent, nunquam tamen eo rem adducere potuerunt, ut vel Episcopo suo vi Canonis Constantinopolitani supra tres Exarchos potestatem tuerentur, vel a Patribus Chalcedonensibus novum Canonem impetrarent, quo ejusmodi potestate suus Episcopus donaretur. Quod si tandem Canones IX. & XXVIII. Episcopo suo faventes obtinere, nullum tamen hinc iis, quæ hucusque diximus, periculum creatur.

VIII. Et sane Canone IX. nulla Episcopo Constantinopolitano supra tres Exarchos tribuitur jurisdictionio, sed tantummodo statuitur, ut si Episcopus, vel Clericus adversus ejusdem Provinciae Metropolitanum habet querelam, petat Primatem Diœceseos, sive Diœceseos Exarchum Διοικήσεως Ἐξάρχου, aut Sedem Regiæ urbis Constantinopolitane, & apud ipsum judicetur. Negandum sane non est, ejusmodi Canone impartitum Episcopo Constantinopolitano privilegium fuisse, quod nemini aliorum Patriarcharum concessum fuit, nec a Canonibus, nec a Legibus, ut Metropolitanus, qui uni subjacet Patriarchæ, ab alio judicetur, nisi soli Constantinopolitano; uti observat Aristenus heic: at vero simul constat jus Patriarchicum sic proprie dictum, quod Episcopi Alexandriae,  
& An-

& Antiochiæ in Diœceses Ægypti, & Orientis exercebant, in tres illas Diœceses Episcopo Constantinopolitano haud fuisse collatum. Immo, si verum fateri liceat, dicendum est Chalcedonenses Patres assiduis, atque adeo importunis Clericorum Constantinopolitanorum, ac præcipue Aetii Archidiaconi exflagitatiobus pertæsos Canonem hunc condidisse.

IX. Quod vero ad Canonem XXVIII. atinet, hic sane Canon lucem adspexit, soluto jam Concilio, multisque Episcopis, ac præcipue Legatis Apostolicis jam discedentibus. Porro de hoc Canone mox iterum nobis erit sermo. At nonnulla sunt nobis advertenda de iis, quæ hactenus discernimus.

X. Profecto si Orientales Episcopi Constantinopolitano illo Canone Regiæ urbis Antifisti non honoris tantum, verum & potestatis primatum supra tres Exarchos adseruissent, quo pacto fieri quiverit, ut iidem Orientis Præsules in Concilio Chalcedonensi eundem primatum illi tribuere tam obfirmato animo denegarent, Canonemque edere detrectarent, quo non primum illi ea prerogativa tribueretur, sed tantummodo confirmaretur? Qui rursus adeo neglexissent quidquid Constantinopolitani Præsules de causis ad tres illas Diœceses pertinentibus definierunt, ut illas discutere, novasque ferre sententias non dubitaverint? Sed his omnibus lux major accedet ex iis, quæ proferenda ducimus, ut eorum, quibuscum nobis est disceptatio, argumentis occurramus.

XI. Ac primo quod ad S. Joannem Chrysostomum spectat, ipse profecto nostræ sententiæ non refragatur. Atque heic omnino advertendum est, quod quum in Imperialem Urbem undique Orientalium Provinciarum Epi-

Episcopi confluerent suarum Ecclesiarum necessitatibus consulturi; hinc quidem proficisceretur, ut sæpe sæpius ibi simul coalescerent, quo difficiliore causas dirimerent, ac perplexiora suarum Ecclesiarum negotia tractarent, præsertim quia tunc temporis Arianorum, Eunomianorum, aliorumque hæreticorum tum occultis fraudibus, tum patentibus incurfionibus summopere perturbarentur. Ejusmodi Conventus Synodus *Ἐνδημῶσα*, quasi *in urbe perpetuo manens* dicebatur. Verum licet in hoc Concilio, quippe quod Constantinopoli coactum, primas Præsul Constantinopolitanus teneret, non ab ipso tamen vis, ac robur Synodicis accedebat decretis, at potius ab unanimi Episcoporum præsertim Orientalium consensu.

XII. Atque ejusmodi profecto Synodus illa fuit, in qua Nectarius jus dixit in controversia, quæ inter Agapium, & Gabadium pro Episcopatu Bostrensi æstuabat. Tum in eadem Synodo, auctore Sozomeno *Lib. VIII. Cap. 8.* anno 399. Eusebius Valentinopoleus Antistes libellum obtulit S. Joanni Chrysofomo adversus Antoninum Ephesinum Episcopum, quem variorum, ac enormium delictorum nomine criminatus est: præcipue vero, quod veluti pro lege, & instituto haberet Episcoporum ordinationes pro reditu ratione venundare. Quin subnexuit non deesse ex Concilio Episcopos, qui his artibus ab illo fuerant ordinati. Chrysofomus omnes contendit nervos, quo Eusebium ab ejusmodi prosequenda accusatione deterreret; at ejus labor ad irritum cecidit. Itaque in sequenti die dijudicata causa fuit, delectique non a solo Chrysofomo, sed & ab universa Synodo tres Episcopi sunt, qui in Asiam profecti rem omnem cognoscerent. Interea temporis extremum diem obiit

An-



Antoninus. Tum vero Clerus Ephesinus, omnesque Asiæ Episcopi ad Chrysostrum Legatos direxerunt tremendis ab eo Sacramentis postulantes, ut impendentem Ecclesiarum suarum ruinam miseratus illuc ipse contenderet, & opportunam difficillimis hisce temporibus medicinam adhiberet. Ergo his precibus defatigatus Chrysostrum, æstuantisque summa in Ecclesias illas caritate ἀδελφίας inemor Ephesum tandem adproperavit, ubi Concilio septuaginta Episcoporum Lydiæ, & Cariæ, & Phrygiæ coacto sex Episcopus manifeste Simonia convictos deposuit, sexque alios eorum loco inauguravit, ut scribit Palladius *Vit. Chrysostr.* licet Sozomenus sex, & Theophilus Alexandrinus septemdecim depositos a Chrysostrum indicet. Postremo Ephesios de Episcopi electione dissidentes conciliavit, ac tandem Constantinopolim rediit. Adhæc Socrates eximius Chrysostrum laudator hisce utitur verbis, ut hanc sententiam nobis suadere videatur. Scribit enim ἀνάγκη κατέλαβε Χρυσόστομον *Necessitas compulit Chrysostrum.* Ergo magis, ut publicis rebus contuleret, quam ut acquirendæ jurisdictionis desiderio faceret satis, urbes illas invisisse Chrysostrum credendus est. Quod si Sozomeni verbis standum erit, nihil inde efficient contrariæ sententiæ patroni. Is enim scribit Chrysostrum Ephesum visendi causa se contulisse, quod Ephesii ad Chrysostrum posthabito Synodali iudicio detulissent, quippe noverant, *qui vir esset.*

XIII. Quæ quum ita sint, apertissimum sane est Chrysostrum hæc omnia auctoritate Canonis Constantinopolitani minime perfecisse, sed potius sola duce caritate Ecclesiarum Asiæ negotiis manus admovisse: haud secus ac Eusebius Vercellensis, & Luciferus Ca-

Calaritanus Ecclesiasticas Orientalium Diœceseon res tractandas susceperunt, ac Episcopos, Presbyterosque, licet ipsi Occidentales, ἀδελφίας tamen nomine, per Orientem consecrarunt.

XIV. Quod vero ad Gerontium spectat, inficias sane non iverim, quin Nectarius eum deponere adtentaverit, quod dein Chrysostomus perfecit; at id Ambrosio potissimum impellente adgressus est, non ea quidem de causa, quod tantam Constantinopolitano Præfuli potestatem in Ponti Diœceseos Episcopos inesse Ambrosius arbitraretur, sed quod e re non esse ducebat, ejusmodi negotium Exarcho commendare, a quo Gerontius fuerat ordinatus. Atque idcirco nemini totius rem committendam censuit, quam Nectario, quem fidei puritas per Ecclesias ubique celebrabat. Itaque ejusmodi jus non ordinarium, sed extraordinarium erat.

XV. Adhæc ex sententia Petri de Marca *Dissert. Eccles. de Constantinopolit. Patriarch. Institut.* quia privilegia honoris tributa illi erant post Romanum Episcopum in Orientalibus Diœcesibus, ac præcipue in Pontica, Thracica, & Asiatica, mirum non est, si Asiaticæ illi Synodo præfuerit, ut Patriarcha honorarius, & eo nomine Heraclidem Episcopum ordinarit; immo & de Synodi illius sententia Episcopos illos tredecim exauctoravit, suis legibus, & institutis Provincias omnes vicinas exornavit, ut docet Theodoret. *Lib. V. cap. 28.* ac demum in Pontica Diœcesi Gerontium Nicomediensem expulerit, & illi Panfophium substituerit: Sozomenus *Lib. VIII. cap. 6.*

XVI. Quod vero spectat ad Atticum, qui jus dixit in causa Episcopatus Sinadorum disceptata inter Theodosium, & Agapetum, jam

jam diximus ejusmodi causam fuisse de integro in Synodo Chalcedonenſi tractatam, ac nihili fuiſſe habitam Attici ſententiam. Tum Atticus hæc aliaque in alios Episcopos uſurpavit innixus Legi, quam, teſte Socrate, ut jam innuimus, ab Theodoſio Juniore expreſerat, qua cautum fuit: *Ne quis Episcopus deſignetur abſque ſententia, & auctoritate Concilii Conſtantinopolitani.* Illud heic obſervandum cum Thomasiſino *Part. I. Lib. I. cap. 10.*; nimirum Regiæ Urbis Episcopos Canonis Conſtantinopolitani verba in rem ſuam ita interpretatos eſſe, ut eorum obtentu, vel cupiditati ſuæ, vel ambitioni velificari poſſent: quod tamen caritatis pallio tegebant. Quam enim Orientis Eccleſiæ Arianorum, aliorumque hæreticorum factionibus nimium turbarentur, neque adhuc apud Orientales definita, atque perfecta judiciorum Eccleſiaſticorum forma conſtituta eſſet, Episcopî haud raro Imperatorem adibant, qui cauſas plerumque ad Episcopum Conſtantinopolitanum remittebat, & ad Synodum Episcoporum, ſic dictam *Ἐνδημοῦσαν*, qui tunc variis de cauſis Conſtantinopoli verſabantur, cui jure præerat Episcopus Conſtantinopolitanus. Novum hoc, & extraordinarium tribunal, inſolensque judiciorum ratio, ut reciperetur, fecit neceſſitas; ut quæ alioqui nullum finem habituræ erant cauſæ, hoc ſaltem modo definirentur. Sed nulla ei Synodo ſuffragabatur auctoritas; nondum enim ita convaluerat longo uſu, ut iſtiusmodi judicia non detrectarent, quibus haud æqua, vel propitia viderentur. Hactenus Thomasiſinus. Poſtremo obſervandum eſt, quæ Atticus, aliique Episcopî Conſtantinopolitani in alienas provincias uſurparunt, reprehentioni fuiſſe obnoxia. Etenim licet Chryſoſtomus nonniſi urgente neceſſitate, atque ca-

ritate in Diœcesi Asiatica Episcopos deposuerit, novosque ordinaverit; attamen in Synodo apud Quercum Isaacius Episcopus inter accusationis contra Joannem delatæ capita decimo loco proposuit: *Decimum; Quod alienas Provincias invadit, ibidemque Episcopos ordinat.*

XVII. Illud heic etiam prætereundum non esse arbitror, Regiæ urbis Episcopum tum ante, tum post Concilium Constantinopolitanum ab Episcopo Alexandrino electum, vel saltem electionem ab hoc confirmatam fuisse. Id testatur Nanzianzenus, qui se in Poemate suæ vitæ a Petro Alexandrino Episcopum Constantinopolens electum adfirmat. En ejus verba:

*Qui Petrus ipse, Præsulum ipse arbiter,  
Prius quidem nos litteris clarissimis  
Fuco palam vacuis, littera ipsa ut fidem  
Facit, sacrato collocaverit throno.*

XVIII. Duobus elapsis annis Petrus Alexandrinus sententiam mutavit, præfecitque Constantinopolitanæ Ecclesiæ Heronem Cynicum, qui Maximi cognomen adoptavit. Verum quum S. Damasus utramque electionem improbasset, Timotheus Petri frater, ejusque in Sede successor Maximi partes tutatus est, atque in ejus communionem tum Damasum, tum Occidentales Episcopos adducere omni vi contendit; quod quidem post Concilium Constantinopolitanum obtinuit. Porro post Nectarii mortem, & post Concilium Timothæi successor Theophilus pro tuendo sibi hoc jure, tamquam pro aris, & focis acerrime pugnavit. Et sane Chrysostomi electioni, ut refert Socrates, fortiter restitit, quum ibi consecrare Isidorum Alexandriae presbyterum contende-

deret : ita ut tandem Eutropius Imperialis Aulæ Magister illi præceperit , ut aut Chrysoftomum consecraret , aut ad crimina , quorum reus traducebatur , in judicio excipienda præsto esset , quum tamen nunquam illi objecerit ( quod animadverti jubeo ) Constantinopolitani Episcopi electionem sui juris non esse . Igitur tantum abest , ut Episcopo Constantinopolitano jurisdictionem aliquam supra tres Diœceses Canon II. adseruerit , ut etiam illius ordinatio Alexandrino Episcopo , cui jure subiciebatur , accepta videatur referenda .

§. III. *De Canone Chalcedonensi XXVIII.*

XIX. Jam vero illam potestatem , quam Episcopus Constantinopolitanus neque Canone II. Constantinopolitano , neque Canone IX. Chalcedonensi consequi poterat ; tandem obtinuit Canone XXVIII. *Actione* quidem XI. uti jam vidimus . Aetio pro Episcopo Anatolio potestatem in tres Diœceses vindicanti Patres obstiterant clamitantes : *Obtineant Canones.* Qua de re Anatolius tot sententiis Patrum exagitatus intra fines a Canonibus præscriptos sese continere debuisset , parcens alienis provinciis , secundi gradus dignitate a Synodo decreta contentus , fruensque privilegio , ut Traciam Diœcesim , tanquam ordinarius Exarchus regeret ; in Diœcesibus vero Asiatica , & Pontica Metropolitanorum ordinationes rogatus perageret . Sed ejusmodi fines non patiebatur ambitio . Qua de re maximo nisu in id incubuit Anatolius , ut Synodi Decreto Metropolitanarum Asiæ , Ponti , & Thraciæ ordinationes Sedi Constantinopolitanæ prorsus addicerentur .

XX. Igitur post Legatorum Sedis Apostolicæ , Judicumque discessum & Beatæ Euphemie

Ba-

Basilica Canon XXVIII. editus est, subſcrip-  
tus a ducentis tantum Episcopis, nimirum a  
minore parte Concilii, quum amplius ſexcen-  
ti ſuffragium ferre debuiffent, abſente Tha-  
laſſio Cæſareæ Exarcho, & vacante Sede Ephe-  
ſina Aſianæ Diœceſeos metropoli, contra  
morem judiciorum, & S. Leonis mandata,  
qui Legatis ſuis præſentibus omnia fieri juſſe-  
rat (8). Tum die craſſina ſcilicet *Actiõne*  
*XVI.* Legati Sedis Apoſtolicæ Decreto pridia-  
na die pæne clanculum edito interceſſerunt,  
ac de vi, metu, & dolo Judicibus illato gra-  
vi oratione conquieſti ſunt. Ejuſmodi novita-  
ti interceſſerunt quoque Romani Pontifices,  
ac in primis Leo M. & Gelafius, qui datis  
Epistolis, tum cum Imperatoribus, tum cum  
iſtis Conſtantinopolitanis Episcopis vehemen-  
ter expoſtularunt violatam a Patribus Nicæ-  
nis vel conſtitutam, vel confirmatam Eccle-  
ſiæ.

---

(8) Canon XXVIII. Chalced. in hunc modum ſe habet:  
Sanctorum Patrum decreta ubique ſequentes, & Canonem,  
qui nuper lectus eſt, centum. & quinquaginta Dei aman-  
tiſſimorum Episcoporum agnoſcentes, eadem quoque & nos  
decernimus, ac ſtatimus de privilegiis Sanctiſſimæ Eccle-  
ſiæ Conſtantinopolis novæ Romæ. Ut enim antiquæ Romæ  
throno, quod Urbs illa imperaret, jure Patres privilegia  
tribuerunt. Et eadem conſideratione moti centumquinqua-  
ginta Dei amantiſſimi Episcopi, ſanctiſſimo novæ Romæ  
throno equalia privilegia tribuerunt, recte judicantes,  
Urbem, quæ & Imperio, & ſenatu honorata ſit, & æqua-  
libus cum antiquiſſima Regina Roma privilegiis fruatur,  
etiã in rebus Eccleſiaſticis, non ſecus ac illam extolli,  
ac magnifici ſecundam poſt illam exiſtente: ut & Pon-  
ticæ, & Aſianæ, & Thraciæ Diœceſis Metropolitanæ ſoli,  
præterea & Episcopi prædicarum Diœceſum, quæ ſunt in-  
ter Barbaros, a prædicto throno ſanctiſſimæ Conſtantino-  
politanz Eccleſiæ ordinentur: unoquoque ſcilicet prædi-  
ctarum Diœceſum Metropolitanæ cum Provinciæ Episcopis  
ordinante, quemadmodum divinis Canonibus eſt traditum.  
Ordinari autem, ſicut dictum eſt, prædicarum Diœceſum  
Metropolitanos a Conſtantinopolitano Archiepiscopo con-  
venientibus de more factis electionibus, & ad ipſum re-  
latis.

siæ politiam; atque adeo nunquam adduci potuerunt, ut Patriarchatum Constantinopolitanum, Canonemque Chalcedonensem, quo statutus erat, agnoscerent, confirmarentque; immo diserte exploderunt, reprobaruntque. Ac potissimum S. Leo Epist. LXXX. ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum diserte scribit *coactam Synodum ad fidem vindicandam, perfidiamque Eurychianam perimendam, non ad serviendum Episcopi Constantinopolitani cupiditati*. Deinde arguit Episcopos vel promissis illectos, vel minis territos. Demum consilia Anatolii ad perturbationem, & Ecclesiæ scandalum tendere, & Canones Nicænos violatos graviter inculcat. Eadem haud mitiori stylo exhibet *Epistola LXXVIII. ad Marcianum Imperatorem (9), & Epist. LXXIX. ad Pulcheriam Augustam*.

XXI. Gravibus Pontificum intercessionibus videntur aliquid tribuisse, tum Imperatores, tum ipsi Constantinopolitani Episcopi. Pro-

cto

(9) S. Leo indicata *Epistola LXXXIII. ad Marcianum*: Canones Nicæni, quibus privilegia Ecclesiarum fixa sunt, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate violari. In quo operè, auxiliante Christo, fideliter exsequendo necesse est, me perseverantem exhibere famulatum: quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum Regulæ sanctionum, quæ in Synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen spiritu Dei instruite sunt conditæ, me (quod absit) connivente violentur. *Atque id in causa esse videtur, cur in Codice Canonum Ecclesiæ universæ edito a Dionysio Exiguo sub Imperatore Justiniano Canon ille XXVIII. inter Concilii Chalcedonensis Canones non recensatur, & viginti septem Canonibus illius Synodi Constitutiones definiat Theodoretus ipse, qui Synodo interfuit in Synagoga Canonum, quæ exstat manuscripta in Bibliotheca Regia Parisiensi, ut refert Cardinalis Perronius; eodemque numero viginti septem Canonum coercet Theodorus Anagistes proximus illi ætati Scrip- tor; Lib. I. Collectaneorum. Confer Petrum de Marca Dissert. de Patriarch. Eccles. Constantinopolitanæ.*

Et constat Græcos ad aliquod tempus Canone illo non fuisse usos; quamvis Anatolius, & qui in ejus locum deinceps successi sunt, tum dignitatem, & honorem secundæ Sedis, tum administrationem trium Asiæ, Ponti, & Thraciæ Diœceseon retinuerint; at dignitatem, & honorem vi Canonis II. Constantinopolitani; administrationem vero dictarum Diœceseon potius vi consuetudinis, quam etiam ante editum *Canonem XXVIII.* Chalcedonensem obtinuisse contendebant.

XXII. Et sane Zeno Imperator anno CCCCLXVI. rescindens Acta Basilisci tyranni, qui aliquot Provincias a Sedis Constantinopolitanæ potestate eripuerat, omnia quidem Episcopo Constantinopolitano antiqua restituit privilegia, tum honoris, tum jurisdictionis; at iis utitur verbis, quibus potius ad consuetudinem, quam ad Canones privilegia illa referre videatur (10), uti recte observat Petrus de Marca *de Concor. Sac. & Imp. Lib. III. cap. 3.* Tum Justinianus *Novella CXXII. cap. 2.* honorem quidem Secundæ Sedis tribuit Episcopo Constantinopolitano, nulla tamen Canonis Chalcedonensis facta mentione.

XXIII. Quamvis igitur ab tuendo Sedis Constantinopolitanæ primatu nunquam destiterint Imperatores, illum tamen potius a Canone Constantinopolitano, & a consuetudine, quam a Canone Chalcedonensi profectum scri-

Tom. I.

S

be-

(10) *Verba Zenonis habentur in Lege XVI. Cod. de SS. Eccles.* Privilegia & honores omnes super creationibus Episcoporum, & jus ante alios residendi, & cetera omnia, quæ ante nostrum Imperium, vel nobis imperantibus habuisse dignoscitur (Episcopus Constantinopolitanus) habere in perpetuum firmiter Regiæ urbis intuitu judicamus, & sancimus.



bebant. Quod significare videtur Liberatus Diaconus in *Breviario Cap. 13.* loquens de hoc Canone: *Et licet, inquit, Sedis Apostolica nunc usque contradicat; quod a Synodo firmatum est Imperatoris patrocínio, permanet quoque.*

XXIV. Porro in Synodo Trullana Canone XXXVI. Chalcedonensis ille Canon discrete firmatus, sive renovatus est; ab quo sane tempore a Græcis inter Canones recensitus est; quin & a Latinis tandem agnitus. Ac tandem in Concilio Lateranensi IV. statutum est, ut Ecclesia Constantinopolitana post Romanam primum locum obtineat (II).

XXV. Quinimmo VII. ineunte sæculo Episcopus Constantinopolitanus primum nunnulis suburbicariis Episcopis honorificum Archiepiscopi titulum conferre cœpit; at vero ejusdem impudentia sub Leone Maurico majores vires accepit. Is enim specioso Romanam Diocesim decurtandi prætextu; at revera odio ardens, ac ira succensus in Romanos Pontifices, qui sacrilegis ejus Decretis de frangendis sacris imaginibus apostolica virtute obstiterant, Romano Patriarchatui subtraxit, & Constantinopolitano addixit Illyricum, Epirum, Achajam, Macedoniam, atque adeo etiam Siciliam, ac plurimas Regni Neapolitani Ecclesias, præsertim maritimas, quæ sub græco erant Imperio. Romani quidem Pontifices, & Occidentis Imperatores acriter hac de

---

(II) *Concilium Lateranense IV. Cap. V.* Post Romanam Ecclesiam, quæ disponente domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum utpote mater universalium Christi fidelium, & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Jerosolymitana quartum locum obtineat, servata cuilibet propria dignitate.

de re Patriarchis, & Orientis Imperatoribus restitute: sed Occidentalium conatus, & vota ob Orientalium pervicaciam secundis rebus caruere ad sæculum usque XI. quo Northumanni Principes nostri græcis devictis suas Romano Pontifici Ecclesias omnes cum pristinis juribus restituere.

§. IV. De Patriarchatu Jerosolymitano.

XXVI. Jerosolymitana Ecclesia licet Christiani nominis mater esse videretur; quum Jacobus Apostolus ejus urbis primus Antistes ab ipso Christo Domino, Epiphanio auctore (12), constitutus esset; attamen nonnisi medio Sæculo V. in Synodo Chalcedonensi intra Patriarchicas Sedes, & quidem postrema recensita est.

XXVII. Hujus rei plures adferuntur causæ. I. Est longa Jerosolymitanæ urbis obsidio, ejusdemque excidium: quo factum est, ut Christiani tum ex Christi monitu (13), tum ex oraculo, quod viris quibusdam sanctissimis divinitus editum fuerat (14), in vicinum oppi-

S 2

pi-

(12) Epiphanius *Hæres. LXXVIII. num. 7.* Primus ille Episcopalem cathedram cepit, quum ei ante ceteros omnes suum in terris thronum Dominus tradidisset. *Auctor Constit. Apostolic. Lib. VIII. cap. 35.* Episcopus Jerosolymorum ab ipso Domino, & Apostolis ordinatus. *Auctor Recognitionum Lib. I. cap. 43.* Ecclesia Domini in Jerusalem constituta copiosissime multiplicata crescebat, per Jacobum, qui a Domino ordinatus est in Episcopum, gubernata. *Rufinus Lib. II. Cap. I.* Jacobus Apostolorum Episcopus. *Postremo Primum, quod in Ecclesia Concilium celebratum habemus, communi consilio in Ecclesia Jerosolymitana ex Apostolis, & senioribus coactum est, cui Jacobus presuit: Statuerunt, ut adscenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alii ex aliis ad Apostolos, & Presbyteros in Jerusalem super hac quaestione. Act. XV.*

(13) *Matth. Cap. XXIV.* Tunc qui in Judæa sunt fugiant ad montes.

(14) *Eusebius Lib. III. Cap. 5.* Quum universa plebs huc-

pidum sic dictum *Pella* sese recipere: quod quum nimis exiguum fuerit, obscuri nominis, sine mœniis, & trans Jordanem, Jerosolymitanæ Ecclesiæ dignitas illo transvecta haud parum detrimenti passa est, ac dein pæne occidisse videtur.

2. Vespasianus Cæsaream Palæstinæ metropolim constituit, inibique Proconsulis Sedem fixit (15): qua de re Cæsarensis Episcopus politiam civilem secutus, omnium Palæstinæ Ecclesiarum Metropolitam egit. Huic quum reliqui Palæstinæ Episcopi pedetentim parere contuescerent, nullus admirationi locus erit, quod Jerosolymitanus, vel potius Pellensis Antistes tanquam unus ex provincialibus Episcopis haberetur, ac Cæsarensi ceu Metropolitæ subjiceretur.

3. Postremo quum Jerusalem aliquantis post annis ab Ælio Hadriano, loco non eodem, licet vicino extracta fuerit, & quidem ea conditione, ut posthac non Jerusalem, sed Ælia adpellaretur; hinc factum, ut non eadem urbs haberetur, sed nova: nec idem Episcopus-

---

fideliū ex oraculo, quod viris quibusdam sanctissimis divinitus editum fuerat ante initium belli ex civitate migrare, & oppidum quoddam trans Jordanem, Pellam nomine incolere iussa fuisset, omnes, qui in Christum crediderant, relictis Jerosolymis, sedes suas Pellas transtulerunt. *Epiph-nius Lib. de ponder. & mensur. num. XV.* Quum urbis a Romanis instaret excidium, discipuli omnes ab Angelo moniti sunt, ut ex ea urbe . . . digressis Pellam sese recipere, quod Oppidum juxta Jordanem in Decapoli numeratur.

(15) *Tacitus Hist. Lib. II.* Mucianus Antiochiam, Vespasianus Cæsaream. Illa Syria, hæc Judææ caput est. *Justinianus Novell. CIII. Præf.* Metropolis Cæsarea, quæ in prima Palæstina principatum tenet . . . propterea quod & quondam Proconsul illam tenuit, & præfectus illi talis Magistratus fuit . . . Quam quum divæ memoriæ Vespasianus, quod illi ad summam gloriam vel solum potuit sufficere, ipsorum Cæsarum adpellatione nominavit, quum antea *Stratonis Turris* vocaretur.

scopatus, sed ab veteri Jerosolymitano longe diversus. Profecto Nicæna Synodus non alio, quam *Æliæ* nomine eam indigitat; & Hilarius, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, alique negant sua ætate superfuisset Jerosolymam: & Hieronymus Episcopatum Jerosolymitanum *Ælium territorium* vocat in *Epitaph. Paulæ*.

XXVIII. Verum non desunt antiquissima quædam Ecclesiastica monumenta, unde elucet etiam altero, ac tertio Ecclesiæ sæculo specialem quandam Episcopi Jerosolymitani rationem fuisse habitam. Ac 1. Concilio Palæstino sub Victore Papa de Paschatis controversia celebrato Episcopus Cæsareensem, & Jerosolymitanum præfuisse scribit Eusebius *Lib. III. cap. 11.*

2. In ordinatione Origenis Episcopo Cæsareensi præ reliquis Palæstinis Episcopis statim comes adjungitur Episcopus Jerosolymitanus: Eusebius *Lib. VII. cap. 8.*

3. Quinimmo in Concilio contra Paulum Samosatenum Antiochiæ celebrato ipsi Episcopo Cæsareensi præponitur: Eusebius *Lib. VII. cap. 28.*

4. Idem Eusebius eadem diligentia Episcoporum Ecclesiæ Jerosolymitanæ, ac reliquarum Apostolicarum Sedium catalogum posteritati commendare curavit. Tum Augustinus, & Optatus Ecclesiarum Apostolicarum adversus Donatistas auctoritatem proferentes, Romanam præcipue, & Jerosolymitanam præ reliquis memorant (16).

S 3

5. Po-

---

(16) *Augustinus Lib. II. contr. Epist. Petiliani cap. 51.* Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet; vel Ecclesiæ Je-

5. Postremo Eusebius ipse, Cæsareensis licet Metropolitæ, Jerosolymam a Constantino, & Helena templorum magnificentia, aliisque decoribus auctam non dubitavit novam Jerusalem appellare: *Atque hæc*, inquit de Vit. Constantini Lib. III. cap. 33. *forsitan fuerit recens illa, ac nova Jerusalem, Prophetarum vaticiniis prædicata.*

XXIX. Atque hinc fortasse liquet, curnam Patres Nicæni *Can. VII.* Episcopo Jerosolymitano honorarium primatum, sive Protothroni dignitatem tribuerint, at vero ab Cæsareensis Metropolitæ jurisdictione haud exemerint: *Quia consuetudo obtinuit, & antiqua traditio, ut Eliæ Episcopus honoretur, habeat consequentiam honoris, salva Metropoli propria dignitate.*

XXX. Jam vero Jerosolymitanæ urbis splendori honorarius primatus satis respondere visus non est. Quamobrem Episcopus Jerosolymitanus cum Metropolitæ Cæsareensi altercari, ac quamdam in Ecclesias Palæstinæ jurisdictionem adtentare cœpit. At res per centum & amplius annos nimis dubia, & anceps fuit. Et sane Concilium Constantinopolitanum inter quinque Orientales Exarchos Episcopum quidem Jerosolymitanum non recensuit, quum jurisdictione careret, atque adeo Metropolitæ Cæsareensi pareret: attamen *Epist. ad Damasum*, auctore Theodoro, Ecclesiam Jerosoly-

---

rosolymitanæ, in qua Jacobus sedit, & in qua hodie Joannes sedet, quibus nos in catholica unitate connectimur, & a quibus vos nefario furore separastis?

*Opus Milev. Lib. VI. contr. Parmenianum num. 3.* Unde est, quod Catholicos quasi pollutos appellas? An quia jussionem Dei secuti sumus, amando pacem, communicando orbi terrarum, sociati Orientalibus? Ubi secundum hominem natus est Christus; ubi ejus sancta sunt impressa vestigia; ubi ambulaverunt adorandi pedes: &

lymitanam aliarum omnium Matrem nuncupat (17). Adhæc ipsi Concilio subscripsit Cyrillus ante Thalafium Cæsareensem. Tum graves inter Acacium Cæsareensem Metropolitam, & Cyrillum Episcopum Jerosolymitanum contentiones exortæ sunt; & quidem de primatu sedium, *περὶ προτέριον*. At Cyrilli conatum Acacius vi potestatis metropoliticæ, seu potius patriarchicæ fregit; quod in Synodo Seleuciensi, referente Sozomeno, confirmatum est (18). Joannes Episcopus Jerosolymitanus, cui diu obstitit Hieronymus, haud raro suæ Apostolicæ Sedis dignitatem extulit. At ex adverso tum Synodo Diospoli adversus Pelagium coacto ipse quidem interfuit, præfuit tamen Episcopus Cæsareensis; tum circiter annum CCCCX. Porphyrius Episcopus Gazæ a Prailio Jerosolymitano presbyter primum ordinatur, Episcopus nonnisi a Joanne Cæsareæ Metropolita consecratus est. Confer Thomass. *Part. I. Lib. I. cap. 12.* Demum Rufinus *Lib. II. cap. 21.* quum Episcopos principalium Sedium recenseret, Romano, Alexandrino, & Antiocheno Jerosolymitanum non sine Apostolici nominis laude adjicit: *In urbe Roma post Damasum Siricius . . . Apud Alexandriam Timotheus, in Jerosolymis post Cyrillum Joannes Apostolicas Sedes reparavit, apud Antiochiam defuncto Meletio substituitur Flavianus.* Quæ de re paullatim hi iidem quatuor Episcopi, ceu totidem Patriarchæ haberi cœperunt. His,

S 4

quæ

(17) *Theodoretus Lib. V. cap. 9.* Ecclesiæ Jerosolymitanæ, quæ est aliarum omnium mater, Cyrillum Episcopum vobis ostendimus.

(18) *Acta Concilii Seleuciensis apud Sozomenum Lib. IV. cap. 24.* Quod quum Episcopus Jerosolymorum constitutus esset de jure metropolitico altercaretur cum Episcopo Cæsareæ, velut Apostolicæ Sedis Antistes.

quæ hæcenus produximus si adjicias, quod quum Jerosolymis ab Helena Imperatrice, non sine judicio Divino, Crux Domini inventa, atque ibi magnificentissima ab Helena simul & Constantino exstructa templa fuerint, ætatis progressu, ut fieri adsolet, vetus, & nova Jerusalem in unam veluti urbem coaluit; tum etiam si spectes ad immensam peregrinorum vim, qui illuc quamfrequentissime ab toto orbe confluebant, & qui Jerosolymorum Episcopum non sine Apostolico nomine salutabant; profecto sat manifesto liquebit, haud parum incitamenti Juvenali Jerosolymitano additum ut aliqua sibi jura in Palæstinas vindicaret (19).

XXXI. Istæc jura in Concilio Ephesino expertus est Juvenalis, eam nactus occasionem, quod duo Patriarchæ Antiochenus, & Constantinopolitanus, scilicet Joannes, & Nestorius adversus Concilium rebellassent, iste ut Hæresiarcha, ille autem ut Hæresiarchæ minus doctrinæ, saltem personæ favens: unde in Synodo Ephesina post Alexandrinum Antistitem maximæ Juvenalis partes dubio procuraverunt (20). Quamobrem ejusmodi occasio-

nem

(19) *Orientalis in libello oblato Imperatori in falsa Synodo Ephesina conqueruntur de Episcopo Jerosolymitano, quod ordinationes Episcoporum non modo in Palæstina, verum & in Arabia, & Phœnicia peregrisset, & quidem eo intuitu, ut Episcopos sibi adherentes, ac devinctos in Conciliis experiretur: Ut dignitatibus concessis nonnullos demeretur. . . . At ex nobis quidam a pientissimo Juvenali Jerosolymitanorum Episcopo olim ordinati filivimus: quamvis pro Canonibus certandum esset, ne videremur nostræ gloriæ causa dolere. Et nunc quoque illius studia, & præstigias tales per Phœnicem secundam, & Arabiam non ignoramus: Acta Concilii Ephesini Act. VI.*

(20) *Profecto in Synodo Ephesina Juvenalis post Cyrillum primum locum obtinet, ac Synodicis Decretis subscribit;*

nem aucupatus plura in Palæstinas jura sibi palam adferuit, eademque scriptis etiam, licet versutis, defensitavit. Porro Juvenalis conatui fortiter restitit Cyrillus, fortasse veritus, ne post usurpatam Antiocheni Patriarchatus partitionem, Alexandrinam quoque dicecesim invaderet. Tum de tentata per Juvenalem innovatione certiolem per litteras Cyrillus fecit Leonem tunc Romanum Archidiaconum, ut apud Pontificem Cælestinum ageret, ne callidis Episcopi Jerosolymitani scriptis deceptus, eidem Palæstinæ Patriarchatum elargiretur. Hujus rei ita gestæ seriem nos docuit Leo ipse Epistola, quam creatus jam Pontifex ad Maximum Episcopum Antiochenum dedit (21).

XXXII. Porro licet, quod in votis habebat, in Synodo Ephesina consecutus non fuisset Juvenalis, animum tamen non despondit, sed ab Cyrillo, & fortasse etiam ab Romana Sede repulsam passus, ita se apud Imperato-

S 5

rem

*bit; tum æque ac Cyrillus res tractandas proponit, dissentit, explicat, definit. Quod vero magis mirum videtur A. III. contendit Antiochenum Episcopum apud Sedem Jerosolymitanam debere judicari. En verba Juvenalis laudata A. III. Oportebat quidem Joannem reverendissimum Antiochiæ Episcopum, hac sancta, & magna, & œcumenica Synodo considerata, confestim, ut de iis quæ ipsi obijciuntur se purgaret, accurrere, & ad Sedem Apostolicam magnæ Romæ nobiscum confidentem; ac obedire, & honorem deferre Apostolico sanctæ Dei Ecclesiæ Jerosolymorum; presertim quum apud illam Sedem Antiochenæ ipsi sedi ex Apostolico ordine, & traditione mos sit dirigi, & apud ipsam judicari.*

(21) S. Leo Epist. XCII. ad Maximum Antiochenum: In Ephesina Synodo, quæ impium Nestorium cum dogmate suo perculit, Juvenalis Episcopus ad obtinendum Palæstinæ provinciæ principatum credidit se posse sufficere, & insolentes usus per commentitia scripta firmare. Quod sanctæ memoriæ Cyrillus Episcopus Alexandrinus merito perhorrescens, scriptis suis mihi, quid prædicta cupiditas ausa sit, indicavit, & sollicita prece multum poposcit, ut nulla illicitis conatibus præberetur adsensio.



rem Theodosium Juniorem exhibuit, ut is Rescriptum evulgaverit, quo tres illis Palæstinas subjecit, duas Phœnicias, & Arabiam. At, quod fieri adsolet, non diu post contraria Rescripta obtinuit Episcopus Antiochenus, unde lis ad longum tempus protracta est.

XXXIII. Tandem in Synodo Chalcedonenfi sedata est diuturna illa contentio. *Actione enim VII.* Episcopi Maximus Antiochenus, & Juvenalis Jerosolymitanus *convenientes post multam contentionem per consensum certa ad invicem inter se ex non scripto constituerunt, quæ etiam Patribus manifesta fecerunt, & visa sunt ex consensu juste disposita:* Scilicet, ut Sedes Antiochena haberet duas Phœnicias, & Arabiam: Sedes autem Jerosolymitana tres Palæstinas: quæ dein Synodico Decreto confirmata sunt adficientibus etiam *pro bono pacis Sedis Apostolicæ Legatis.* Tandem decretum hæc sententia claudit: *Cessantibus, secundum jussionem divinissimi, & piissimi Principis, omnibus Pragmaticis, & quocumque modo sacris ab utraque parte litteris impetratis, insuper & multatione, quæ in eis hujus rei causa noscitur contineri.*

XXXIV. Profecto 1. Avitus Viennensis, qui VI. ineunte sæculo vixit, *Epistola XXIII. ad Episcopum Jerosolymitanum* suæ Ecclesiæ amplitudinem graphice describit: *Exercet, inquit, Apostolatus vester concessos a Domino Primatus, & quod principem locum in Ecclesia universa teneat, non privilegiis solum studet monstrare, sed meritis.*

2. In generalium Conciliorum sessionibus, & subscriptionibus semper primus post reliquos quatuor Patriarchas eidem Episcopo locus tributus est.

3. Id etiam servatum videmus a Justinia-

no in suis Legibus, ab Gregorio M. in suis Epistolis, & in aliis antiquis Ecclesiæ monumentis.

4. In Synodo trium Palæstinarum habito anno DXVIII. Episcopum Jerosolymitanum præfuisse constat. Ejus enim Epistola Synodica sic inscribitur: *Joannes Dei miseratione Episcopus Jerosolymitanus, & sancta Synodus trium Palæstinarum existens sub sanctis locis Christi Domini.*

5. Tandem in Synodo Palæstina habita a Petro Jerosolymitano adversus Severum anno 536. hæc leguntur: *Præsidente sanctissimo, & beatissimo Petro, & adfistentibus Sacerdotio suo sanctissimis Episcopis trium Palæstinarum.* Igitur jam inde ab Synodi Chalcedonensis temporibus Episcopus Jerosolymitanus tanquam V. Patriarcha ab universis salutatus est. Neque enim Leonem Papam, Gregorium M. aliosque Pontifices, qui Constantinopolitanorum Præsulum conatibus fortiter obstiterunt, contra Chalcedonense Decretum de Jerosolymitano Patriarchatu unquam reclamasse constat.

§. V. De Patriarchis Aquilejensi, & Gradenfi.

XXXV. Aquilejensis Patriarchatus VI. Sæculo veluti gradatim emerfit. Quum enim Gothorum Reges Metropolitæ suæ ditioni subiectos Patriarchas adpellarent (22), ejusmo-

S 6

di

(22) *Athalaricus* Epist. ad Joannem II. apud *Cassiodorum* Lib. VIII. Epist. IX. vetat ne pro ordinatione Romani Pontificis plusquam tria millia solidorum exigantur: tum subdit: Alios vero Patriarchas . . . intra duo millia solidorum jubet expendere: in civitatibus autem suis tenuissimæ plebi non amplius, quam quingentos solidos se

di

di honorificum titulum Paulinus Aquilejensis Antistes peculiari quodam nomine sibi adseruit; scilicet ad *ἀντιπροβαλία*, quam sibi insolenter adtribuit, feliciter tuendam. Is enim tria Capitula in Ecclesiastica Historia satis nota, ac in Synodo V. OEcumenica jam legitime rejecta, non modo damnare pertinaciter renuit, verum & comite Honorato Mediolanensi Antistite ex Histriæ, Liturgiæ, Venetiarum, aliarumque Italiæ civitatum Episcopis Synodum celebrare ausus est adversus indicatam V. Synodum, quam & publicis Decretis rejicere, ac detestari non dubitavit. Qua de re ad Ecclesiam Aquilejensem, ut Schisma abjiceret, satis utilem misit Epistolam Pelagius I. quam S. Gregorium adhuc Diaconum conscripsisse scribit Paulus Diaconus (23). Quum vero Aquilejensis Antistes, & qui ei adhærebant, nimis obfirmato animo schisma tuerentur, hinc Pelagius ipse ad Narsetem Patricium scripsit, ut adversus Episcopos schismaticos, Presbyteros, & Clericos imperatoria, & judiciaria potestate utatur. Tum eidem suadet, ut Paulinum Aquilejensem, & Honoratum Mediolanensem Archiepiscopos schismatis præcipuos auctores, & defensores cautis custodibus commissos ad Imperatorem mittendos curaret (24). Igitur schisma in Ecclesia

---

distributuros esse cognoscant . . . Vos autem, qui Patriarcharum honore reliquis præsidetis &c. Quapropter si quis Apostolicæ Præfulem Ecclesiæ, vel Patriarcharum Episcopum &c. *Hic sane Patriarchæ vocabulum ad Metropolitanos saltem indicandos Athalaricum adhibuisse profecto nemini dubium videatur.*

(23) *Paulus Diaconus Lib. III. de Gestis Langobardorum cap. 2.* Hic Pelagius Ecclesiæ Aquilejensis Episcopo nolenti tria Capitula suscipere, Epistolam satis utilem scripsit, quam B. Gregorius quum esset adhuc Diaconus conscripsit.

(24) *Pelagius I. Epist. 2. ad Narsetem*: Quisquis ab Apostolicis sedibus divisus est, in schismate esse non est

du-

fia ab Histriæ præcipue Episcopis constatam est, quo, abrupta cum Sedibus Patriarchalibus communiõne, in suum Metropolitanum Aquilejensem Patriarchicum jus transfulere: hincque ipse, æque ac ceteri consueverant Patriarchæ, a Synodo Diœcesana nullius petito consensu & eligebatur, & consecrabatur, ac nullius jurisdictioni, ne Romani quidem Pontificis, se noverat subiectum. Demum facilius Patriarchatum venditare potuit, quum, diruta Sirmio, Aquileja Illyrici Occidentalis caput evasisse visa est: adeo ut Aquilejensis Episcopus amplissimæ Diœcesi præesset, qua scilicet Histria, qua utrumque Noricum, qua Rhætia secunda continebatur.

XXXVI. Jam vero non diu post accidit, ut Langobardi Aquilejam invaderent, cujus incurfionibus, & terrore Paulinus Præsul Aquilejensis tandem fatigatus Gradum confugit, eoque sacros suæ Ecclesiæ thesauros transve-  
xit. Isthuc testatur idem Paulus Diaconus *ib.* (25). Paulinum excepit Ælias, Æliam Severus.

---

dubium, & contra universalem Ecclesiam altare conatur erigere . . . De Liguribus, atque Venetis, & Histriis Episcopis quid dicam? quos idonea est excellentia vestra & ratione, & potestate reprimere, & dimittis eos in contemptum Apostolicarum Sedium de sua rusticitate gloriari: quum, si quod eos de iudicio universalis Synodi, quod Constantinopoli per primam nuper elapsam indicationem actum est, forte movebat, ad Sedem Apostolicam (quomodo semper factum est) . . . dirigere debuerunt. *Et in Epist. 3. ad Eundem.* Isthud est, quod a vobis poposcimus, & nunc iterum postulamus, ut Paulinum Aquilejensem pseudoepiscopum, & illum Mediolanensem Episcopum ad clementissimum Principem sub digna custodia dirigatis &c.

(25) *Paulus Diaconus ibid. Lib. II. cap. 8.* Aquilejensi Civitati, ejusque populo Paulinus Patriarcha præerat, qui Langobardorum barbariem metuens ex Aquileja ad Gradi insulam confugit, se cumque omnem Ecclesiæ suæ thesaurum deportavit.

rus. Hunc tum tribus Episcopis ab Infula Grado Ravennam adductum Smaragdus Exarchus Ravennates ad schisma ejurandum adegit. Ejuratio quidem, quippe vi extorta, effectu caruit; at simul constat Episcopos plerofque ad unitatem Ecclesiæ rediisse, vix tribus, aut quatuor Severo schismatico adhærentibus. Qua de re duplex emerfit Patriarcha; nimirum Aquilejensis, cui Episcopi schismatici parebant, & Gradensis, quem in locum abducti Severi Episcopi imperatoriæ ditionis, & catholicæ communionis Patriarcham constituerunt. Profecto Severo e vivis erepto Joannes Abbas in Patriarcham Aquilejensem electus est; cui electioni adsensum quoque fuisse Regem Agilulphum scribit Paulus Diaconus. Quo etiam auctore constat electum eodem tempore a Catholicis fuisse Candidianum, qui Gradum reversus Patriarcha Gradensis ab Episcopis tum imperatoriæ ditionis, tum catholicæ communionis salutatus est (26).

XXVII. Schismate prorsus extincto utrique Episcopo Aquilejensi, & Gradensi honorificum Patriarchæ nomen servatum est; at nullus supra alios Metropolitanos honor iisdem tributus usque ad Leonis VIII. tempora, qui circa annum 980. supra omnes Italiæ Metropolitanas sedere eos jussit: quæ tamen mera fuit confessus prærogativa nulla in eisdem potestate tributa. Tum a Leone IX. anno 1050.

utrius-

---

(26) *Paulus Diaconus ibidem Lib. IV. cap. 10.* Defuncto Severo Patriarcha ordinatus est loco ejus Joannes Abbas in Aquileja vetere cum consensu Regis Agilulphi. In Grado quoque ordinatus a Romanis Candidianus Antistes. Candidiano quoque defuncto apud Gradum, ordinatus est Patriarcha Epiphanius, qui fuerat Primicerius Notariorum, ab Episcopis, qui erant sub Romanis. Et ex illo tempore cœperunt duo esse Patriarchæ.

utriusque Patriarchatus fines distinctius, ex-  
 citiusque constituti sunt. Denique Patriarcha  
 Gradensis Venetias translatus est, cui dein  
 Romani Pontifices, ac præsertim Innocentius  
 III. amplissimam potestatem elargiti sunt, sci-  
 licet per omnem Venetorum ditionem, etiam  
 in Constatinopolitano Imperio, adjecta quo-  
 que potestate creandorum Episcoporum illis  
 in urbibus omnibus, ubi Veneti plures suæ  
 gentis Ecclesias obtinerent: *Gesta Innocentii*  
*III. pag. 113.* Postremo Alexander IV. jus  
 ipsi vel novum concessit, vel priscum firmavit  
 Metropolitanum Jedarensē, ejusque suffra-  
 ganeos cum potestate illos ordinandi, non ta-  
 men Pallio donandi: *Romano quidem Pontifi-*  
*ci traditione Pallii reservata*: Rainaldus ad  
 annum 1246. n. 40.

## C A P U T X X.

## De Metropolitanis.

§. I. *Vocabuli Μητροπολίτης Metropolitanus*  
*Etymon, & Usus.*

I. **M**ΗΤΡΟΠΟΛΙΣ *Metropolis* ita dicta, quasi  
 urbs matrix, seu aliarum urbium  
 mater: Unde Urbi matriæ præfectus *Μητρο-*  
*πολίτης Metropolitanus* dictus est. Jam vero uti  
 in politica civili quædam Urbes supra alias  
 evedtæ sunt, ut essent vel Capita provincia-  
 rum, vel Capita dioceseon; ita quoque in  
 ordine Ecclesiastico quarundam Ecclesiarum  
 Episcopi eam dignitatem sortiti sunt, ut vel  
 pluribus unius provinciæ Episcopis præessent,  
 vel totius alicujus Dioceseos plures sub se  
 provincias complectentis curam agerent. At-  
 que hinc Mediolanum a Socrate *Lib. II. Cap.*  
*36.* & a Sozomēno *Lib. IV. Cap. 9. Γαελίαν*

*μητροπολις Italiae Metropolis dicta est. Antiochia a Chrysofthomo Hom. XVII. haud semel vocatur Metropolis, & Hom. III. Civitatum sub Oriente positarum caput, & Mater. Conc. Antioch. Can. IX. Per singulas regiones Episcopos convenit nosse Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius provinciae gerere. Propter quod ad Metropolim τῆς μητροπέλει omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant. Porro ex consuetudine potius, quam ex aliquo Ecclesiastico sancito Canone factum est, ut sicuti Episcopi, qui primarias regerent Metropoles Patriarchae, vel Exarchi dicerentur; ita qui uni tantum praerant provinciae speciatim Metropolitanæ dicerentur. Unde Balsamon ad Canonem CII. Cod. Eccles. Afric. *Metropolita est, qui in Provincia primas tenet; & ad Can. XXI. ibid. Metropolitanæ, qui etiam vocantur Primate provinciarum.**

### §. II. De Metropolitanarum Origine.

II. Metropolitanarum origo Apostolicæ institutioni omnino tribuenda. Eusebius, & Chrysofthomus Ecclesiarum Cretæ Insulæ Tito, Timotheo vero totius Asiaticæ provinciae gubernationem a D. Paulo fuisse concreditam docent. *Titus Insulæ Cretæ Ecclesiarum Ἐπισκοπιῶν Episcopatum, sive inspectionem primus accepisse dicitur: Euseb. Lib. III. Cap. 4. Insulam universam, & Episcoporum in ea constitutorum censuram Paulus Tito commisit: Chrysofth. Hom. I. in Tit. Idem de Timoth. adfirmat, scilicet ei creditam fuisse Ecclesiam, immo totam gentem Asiaticam.*

III. Et sane Apostolos in Evangelii propagatione civilis politicae ordinem fuisse secutos videtur haud ambigendum, quum in suis Episto-

stolis provincias eo ordine dispertiant, quo in politia civili recensabantur. S. Petrus suam primam Epistolam dirigit *Electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ*. Tum *Actor. XIII. 1.* Ecclesia in Antiochia Syriæ Metropoli refertur; D. Paulum Syriam, & Ciliciam peragrasse legimus: *ibid. XV. 41.* necnon & Galatiam, ac Phrygiam: *ibid. XVIII. 23.* Idem Apostolus Epistolam dedit Ecclesiæ Galatiæ: & *in Epist. ad Rom.* Macedoniam, & Achajam expresse memorat. Atqui Pontus, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithynia, Macedonia, Achaja, Syria, Cilicia, Phrygia ex Romani Imperii partitione distinctæ erant provinciæ, quæ suas habebant metropoles Amasæam, Ancyram, Cæsaream, Ephesum, Nicomediam, Thessalonicam, & Corinthum (1). Atque adeo idem Apostolus in suis ad Corinthios, & Thessalonicenses Epistolis Corinthum, & Thessalonicam Provinciarum Macedoniae, & Achajæ, veluti Metropoles respicit. In *I. enim ad Corinth.* Corinthios admonet, ut collata pecunia opem ferant pauperibus sanctorum, qui sunt in Jerusalem; quod tamen Macedoniae, & Achajæ tribuit *ad Rom. XV. 26.* Et in *I. ad Thessalon. IV. De caritate*, scribit, *fraternitatis non necesse habemus scribere vobis . . . etenim illud facitis in omnes Fratres in universa Macedonia.* Profecto quid sibi vult Thessalo-

lo-

---

(1) Facit huc Terulliani locus de *Præscriptionibus cap. 36.* Age jam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ. Percurre Ecclesias Apostolicas . . . Proxima est tibi Achaja, habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere habes Ephesum. Si autem Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis quoque autoritas præsto est.



Ionicensium fratres per universam Achajam esse dispersos, nisi quod Thessalonica Achajæ sit Metropolis?

IV. Num vero Apostoli omnibus, ac singulis provinciis Metropolitanos præfecerint, quibus totius provinciæ curam demandaverint, recte quæri potest. Vero similior videtur Petri de Marca opinio *Concor. Sac. & Imp. Lib. VI. Cap. I.* qui censet Apostolos in Timotheo, Tito, & fortasse etiam in aliis quibusdam a se constitutis Episcopis specimen quoddam Metropolitanicæ Potestatis dedisse, executionem vero, & complementum ejus rei sequentibus temporibus reliquisse. Namque quum identidem hæreses, & schismata erumperent, tum inter Episcopos controversiæ oborirentur, fortasse illud maxime opportunum visum est, unum aliquem in singulis provinciis Episcopum eligere, qui rebus hisce prospiceret; atque ita tum fidei tuendæ, tum Ecclesiasticæ paci fovendæ consultum foret. Hanc autem prærogativam Episcopo *πῆς μητροπόλεως metropolews* tribuendam duxerunt, a quo & fidei lumen, & Episcopatum acceperant: istuc vero non multo post ætatem Apostolorum.

V. Profecto Canones sic dicti Apostolici meminere Episcopi, qui in unaquaque gente, sive provincia sit primus, quem reliqui ceu *Caput* agnoscant, ac nihil arduum, aut magni momenti præter illius sententiam faciant (2). Quis heic non videt jus Metropolitanicum

Ec-

---

(2) *Canon Apostolicus XXIV. in hunc modum se habet: Τὸς Ἐπιτοκότους ἐκάστῃ ἔθνῳς εἰδέναι χρὴ τὸν ἐ αὐτοῖς πρῶτον, καὶ ἀγαθῶν αὐτὸν ὡς κεφαλὴν: Episcopus uniuscujusque gentis nosse oportet eum, qui in eis est Primus, & existimare ut Caput Hunc Canonem Synodus Antiochena simul & confirmare, & interpretari videtur, cum Can. IX. sic discernit: Τὸς κατ' ἐκάστην ἐπαρχίαν Ἐπίσκο-*

Ecclesiastico Canone primum constitutum? Syn. quoque Illiber. de primæ Cathedralis Episcopo loquitur (3) *Constit. Apost. Lib. VIII. Cap. 4.* Episcopum memorant *Primum inter reliquos*: πρόκετον τῶν λοιπῶν, cui primas in Episcoporum electionibus, & consecrationibus partes tribuunt (4). Et ex Cypriani Epistolis, ac præsertim ex XLII. colligitur Episcopum Carthaginensem prærogativam, & potestatem habuisse suæ provinciæ Episcopos cum litteris dirigendi (5). Augustinus contra Parmenianum, & Optatus (6), scribunt Do-

na-

σκόπας εἶδεναι καὶ τῶν ἐν μητροπόλει προεσῶπα Ἐπίσκοπον: καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας: Episcopus, qui sunt in unaquaque provincia scire oportet Episcopum, qui præest Metropoli, etiam curam suscipere totius provinciæ: κηὺν ἰδίω, idemque esse videntur ἐκάστῃ ἐθνῶς, καὶ κατ' ἐκάστην ἐπαρχίαν. Et sane observante Suicero in voce Πατριάρχης: Πρωτὸν idem quod ἐθνῶς, ut vocatur Can. XXXIV. Apostolorum: πρωτὸν autem uti super. Cap. vidimus, familiam, regionem, tribum significat. Recte igitur voces sive ἐθνῶς, sive ἐπαρχία ex æquo ad provinciam significandam adhibite sunt; peculiare enim per Provinciam regiones constituit Ecclesia ab Episcopo Metropolitano plerumque, uti Evangelium, ita & Episcopatum agnoscebant; quod super. Cap. iam satis explicavimus.

(3) *Synodus Illiber. Can. LVIII.* Placuit utique, & maxime in eo loco, in quo *Prima Cathedra* constituta est Episcopatus &c.

(4) *Constit. Apostolica Lib. VIII. cap. 4.* Quo Episcopo nominato, & placente, congregatus populus una cum presbyterio, ac Episcopis, qui præsentibus erunt in die Dominica, consentiat. Qui vero inter reliquos *Præcipuus* Πρωτὸς τῶν λοιπῶν est, interroget presbyterium, & plebem an ipse est quem in Præsidentem postulant, & illis auventibus, iterum roget &c.

(5) *Cyprianus Epist. XLII. ad Cornelium*: Per Provinciam nostram hæc eadem collegia singulis in notitiam perferentes, ab his quoque fratres nostros cum litteris dirigendos esse mandavimus.

(6) *Augustinus Brev. Collat. Tert. die cap. 16.* Donatistæ longa persecutione agebant, ut ex illius auctoritate Carthaginensis Concilii confirmaretur Cæciliani damnatio... quod non expectaverit, ut Princeps sc. *Episc. Carthage* a Principe sc. *Episc. Numidiæ* ordinaretur, quum aliud habeat Ecclesiæ Catholicæ consuetudo, ut non Numidiæ, sed

natistas eo nomine Cæciliani ordinationem accusasse: quod ad eam Primas Numidiæ advocatus non fuerit, quod sane indicat in Africa jam ante Donatistarum schisma Primates fuisse, qui jure metropolitico reliquis præfuerint. Tum Insulæ Cypri Episcopi in Concilio Chalcedonensi contenderunt Metropolitanam sui jura jam inde ab ætate Apostolica originem habere (7). Demum Irenæum Episcopum Lugduni, quod Galliæ Metropolis erat, *ceteris Galliæ provinciis præfuisse* scribit Eusebius *Lib. V. Cap. 24. Τῶν κατὰ Γαλιαν παροικῶν, ἄς Ἐρηναῖος ἐπισκόπος.*

VI. Quamvis autem jam inde ab Apostolorum ætate Metropolitanarum vestigia occurrant, nullibi tamen ante Concilii Nicæni tempora Metropolitanæ nomen usitatum invenies: primitus enim, uti modo indicavimus, *Πρώτοι, καὶ Κεφαλαὶ* dicebantur; tum *Primæ Cathedræ*, vel *Primæ Sedis Episcopi*. Canone autem Nicæno IV. primum *Metropolitani* nuncupati sunt. Porro & dein aliis etiam nominibus distingui consuevere: uti *Principes*: August. *Brevic. Cap. 16. Ἐξάρχοι τῆς ἐπαρχίας* *Exarchi provinciæ*; Conc. Sard. Can. VI. (8) *Principes Sacerdotum*, vel *Summi Sacerdotes*: Conc. Carthag. III. *Can. XVI.*

## VII.

sed propinquiores Episcopi Episcopum Ecclesiæ Carthagini ordinent; sicut nec Romanæ Ecclesiæ ordinar aliquis Episcopus Metropolitanus. *Eadem habet Optatus Milev. Lib. I. pag. 19. Edit. Paris. anni MDCLXXIX.*

(7) *Conc. Ephs. Act. VII. Adfirmavimus, quod Episcopus Antiochenus nunquam vel adfuerit, vel ordinaverit, neque in metropoli, neque in alia civitate, sed Synodus nostræ provinciæ congregata constituebat Metropolitanum. Et oramus, ut vestra sancta Synodus sua sententia nobis consentiat, ita ut velis nos, sicut hætenus robor habuit, ita & nunc habeat.*

(8) *Concilium Sardic. Can. VI. Oportet, . . . Episcopum admoneri per litteras Primatis provinciæ τῷ ἐξάρχῳ τῆς ἐπαρχίας, nempe Episcopi Metropolitanam,*

VII. Ergo, uti ex hactenus dictis colligere datur, ad Metropolitanam constituendam Potestatem ex æquo conspirarunt & servata ab Apostolis in Evangelii propagatione norma, & sensim in Ecclesiam inducti mores, ac demum Canones Ecclesiastici, uti ex iis clarius efficitur, quæ mox erunt proferenda.

§. III. De Primatibus, seu Metropolitanis  
in Africa.

VIII. Concilium Carthag. III. *Can. XXVI.* disertis verbis decrevit, ut *primæ Sedis Episcopus non adpelletur Princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantum Primæ Sedis Episcopus.* Hinc plerumque in Africa, qui totius alicujus Provinciæ curam gerebat, *Primas* dicebatur: licet in Synodis Africanis Metropolitanam quoque nomen aliquando usurpatum occurrat: Conc. Carthag. IV. *Can. I. (9).*

IX. Dicebantur quoque *Senes*, uti ex Codice Africano, & ex multis Augustini Epistolis licet colligere (10): ibi enim excepta sola Carthagine, cujus Episcopus constanter Provinciæ Africæ sic dictæ Metropolitanus ha-

(9) *Conc. Carthag. IV. Can. I.* Conventu totius provinciæ Episcoporum, maximeque Metropolitanam vel auctoritate, vel præsentia ordinetur Episcopus.

(10) *In Codic. Africano Can. LXXX.* & apud Augustinum Epist. CCXXXVI. *occurrit Sanctus senex Xantippus, & beatissimus ac venerabiliter suscipiendus Pater, & Confacerdos Senex Xantippus. Tum apud eundem Augustinum occurrunt Senex Megalius, Senex Silvanus, Senex Aurelius, & expressius August. ipse Epist. XC.* Habebam, de quo cogitabam, paratum presbyterum, propter quem ordinandum sanctum senem, qui tunc primatum Numidiæ gerebat, de longinquo ut veniret, rogans litteris impetravi.

habebatur (11), in reliquis provinciis Primatus de alia in aliam civitatem transferebatur; quippe stabili quadam lege Seniore Provinciæ Episcopum comitabatur; uti ex eodem Augustino, & ex Synodo Milevitana evincitur (12). Qua de re Leo IX. *Epist. IV. ad Petrum, & Joannem Episcopos de Primatibus Africae* scribit: *In singulis ejus Africae Provinciis*

(11) *Habita semper fuerat Carthago totius Africae Metropolis: quocirca & Carthaginiensis Episcopus solus fuerat veluti totius Africae Metropolitanus. Postquam autem placuit Nicæno Concilio, ut suus cuque Provincia esset Metropolitanus, & a Constantino eodem ferme tempore divisa in plures provincias est Africa, eam quidem jurisdictionem, potestatemque, quam etiamtum Episcopus Carthaginiensis præsetulerat, eidem tribuere Africani Episcopi perseverarunt: sed in singulis Provinciis quum sua copissent habere concilia, mos obtinuit, ut ille ex Episcopis provincia iisdem præset, qui ordinatione esset antiquissimus, sive ætatis reverentia, sive quod rerum experientia præset seniores, sive quod non esset in unaquaque Africae provincia Metropolis ulla civilis, quæ supra urbes alias aut magnitudine sua emineret, aut eorum hominum concursu, quos eo rerum suarum necessitas, aut commoditas invitaret; cujus rei habita erat ratio, quum Metropoles Ecclesiastica civilibus fuerant adfixa: Thomæ. Part. I. Lib. I. Cap. 20. n. 6.*

(12) *Ex antiqua Imperii notitia, & ex Codicis Africani Can. LXXXVI. Constantina Numidia erat Metropolis: at Primatis Sedes ibi fixa non erat. Etenim Constantini M. ætate Secundus Tigestanus Primas erat Numidia: Augustinus contr. Parmen. Lib. I. cap. 3. & Epist. LXVIII. ad Januarium. Tempore Augustini Episcopus Calamensis erat Primas: Adveniente ad Ecclesiam Hiponensem tunc Primas Numidiæ Megalio Calamensi Episcopo: Ita Possidius Vic. August. Cap. VIII. Megalio dein successit Xantippus Episc. Tagastensis. Unde in Concilio Milevitano an. 402. Cod. Afric. Can. LXXXVI. & apud Augustinum Epist. CCXXXVI. occurrit Xantippus Tagastensis primæ Sedis Numidia Episcopus. Tum Epist. CCXVII. excusarat se Augustinus, quod ad Concilium Numidia vocatus a Victorino non venerit; quia Collega nollet Xantippus Tagastensis dicit, quod cum Primatus ipse contingat. Profecto si jura Metropolitanica urbi fuissent adnexa, nulla de Primatu exorta fuisset questio. Confer de Marca Dissert. de Primatu Lugdun. & aliis Primatibus,*

*ciis antiquitus Primatus instituebantur non secundum potentiam alicujus civitatis, sed secundum tempus sue ordinationis. Immo & Episcopo Seniori, si quidem haud recte suo munere defungeretur, Primatus auferri poterat; qui sane ad proximum in ordine, qui se ante reliquos omnes consecratum probasset, devolvebatur: August. Ep. CCLXI. (13). In aliis etiam Provinciis quædam huic similis consuetudo obtinebat, quum Metropolitanus ab recta legum norma descisceret: illi enim manere ad tempus abrogato, Primatus plerumque Seniori in Provincia deferebatur: Eusebius Lib. V. Cap. 23. (14).*

X. Jam vero licet in Africa jus Metropolitanum certæ urbi adligatum non fuerit; provinciæ tamen Metropoleos aliqua ratio habebatur. Eo enim jure utebatur, ut æque in ejus Ecclesia, ac in Ecclesia Primatis *Archivus*, sive *Matricula* servaretur. Id sancitum est in Syn. Milev. I. Cod. can. Afric. can. LXXXVI. *Placuit omnibus Episcopis, qui in hoc Concilio subscripserunt, ut matricula, & Archivus Numidiæ, & apud Primam Sedem sit, & in Metropoli, id est Constantina.*

XI. Tum ad averruncandam quancumque de Primatu controversiam bina disciplinæ Capita  
a Pa-

(13) *Augustinus Epist. CCLXI. Existat exemplo, ipsa Sede Apostolica judicante firmato, quosdam pro culpis quibusdam nec Episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos. Quæ ut a nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo. Clamet Primæ provinciæ Casarcensis Episcopus: Aut ad Primatum locus, sicut ceteris, & mihi patere debuit, aut Episcopatus mihi remanere non debuit.*

(14) *Eusebius Lib. V. cap. 23. Concilium refert Episcoporum Ponti, quibus Palmas utpote antiquissimus præfuit. Cur autem non Metropolitanus, sed antiquissimus præfuerit Episcoporum id fortasse in causa fuit, quod Metropolitanus a recta legum norma desciscente munus ei saltem ad tempus abrogatum fuerit.*

a Patribus Africanis sapienter constituta sunt. Primum: ut quilibet Episcopus *litteras accipiat ab ordinatoribus suis manu eorum subscriptas continentes consulem, & diem, ut nulla altercatio de posterioribus, & anterioribus oriatur*: Concilium Milevit. Can. XIV. Alterum; ut Episcopi in Conciliis singuli, prout consecrationis antiquitas postulat, locum occupent, sedeant, suffragia ferant, ac in Actis Conciliorum subscribant. Ita Concilium Milev. Can. XIII. *Posteriores anterioribus deferant*. Et Auctor Vitæ Fulgentii Cap. XX. *Inter Episcopos tempore ordinationis inferior ultimus se deat*.

XII. Ejusmodi lex in aliis etiam Ecclesiis servata occurrit imperiali etiam sanctioni firmata (15): verum peculiari quadam ratione in Africa vigere oportebat, ubi Primatus ad seniore[m] ordinatione[m] Episcopum devolvebatur, ne illa neglecta confusio inter eos oriretur. Quare Augustinus *Epist. CCXVII. ad Victorinum*, qui se Numidiæ Primatem jactitabat, de eo graviter conqueritur, quod in Tractoria, sive *Epist. citatoria ad suum Concilium Provinciale Episcoporum nomina ita perturbato, & neglecto ordine conscripserit; ut nomen meum*, loquitur Augustinus, *tertio loco invenerim, qui novi, quam post multos Episcopus factus sum: quæ res & aliis injuriosa est satis, & mihi invidiosa*.

## §. IV.

---

(15) *Concilium Tolet. IV. Can. IV.* Convenientes omnes Episcopi pariter introeant, & secundum ordinationis suæ tempora resideant.

*Concilium Bracar. I. Can. XXIV.* Conservato Metropolitanæ Episcopi primatu ceteri Episcoporum secundum suæ ordinationis tempus alius alio sedendi deferat locum.

*Codex Justin. Lib. I. Tit. IV. cap. 29.* Cum Metropolitanæ tribus convenientibus religiosissimis Episcopis, qui ceteris propter ordinationem præferuntur.

## §. IV. De Primatibus, seu Metropolitanis Honorariis.

XIII. Præter Primates Potestatis fuere quoque aliqui Episcopi, qui Primatus titulum, & nomen gerebant, licet jurisdictionem non haberent. Atque horum duo fuerunt genera. Primum Episcoporum earum Urbium, quibus nomen, & titulus civilis Metropolis ab Imperatore datus esset. Hi profecto *Metropolitani*, vel *Primatis* titulo decorabantur, sine tamen potestate, & Privilegiis, quæ veteri Metropoli reservabantur. Instiusmodi honor Episcopis Chalcedonensi, & Nicæno tributus est; adeout in una Provincia Bithyniæ tres fuerint Metropolitanis, uno tamen Nicomediæ Episcopo Potestatem habente (16). Secundo: quibusdam aliis Episcopis honorariam Metropolitanis dignitatem tributam legimus eminentiæ Sedis ipsorum intuitu, quum ea vel esset Ecclesia Mater, vel singulariter ex antiqua præscriptione honorata: quemadmodum in Episcopo Jerosolymitanæ Ecclesiæ conspicimus.

Tom. I.

T

Huic

(16) *Concilium Chalced. Act. VI.* Chalcedonensem civitatem, in qua Sanctæ fidei Concilium gestum est, metropolis privilegia habere sancimus, nomine tantum hanc honorantes, salva videlicet Nicomediensium civitati propria dignitate. *Tum Act. XIII.* Leges nomine Metropoleis solummodo honoraverunt Nicænam Civitatem, & præponitur reliquis Episcopis provinciam honore solummodo. Porro hæc prerogativa nonnunquam occasiensem dedit Honorario Metropolitæ, ut quosdam ex Episcopis provincialibus sibi suffraganeos vindicaret, provinciamque cum antiquo Metropolitæ divideret. Profecto Episcopus Nicænus ante Concilii VI. Generalis tempora jam videtur jura metropolitica fuisse consecutus. Huic enim Concilio Phorius Episcopus Nicæus sic subscribit: Phorius misericordia Dei Episcopus Nicææ Metropoleis Bithynorum provinciam pro me, & Synodo, quæ sub me est, similiter subscripnavi.



Huic namque, quod totius Christiani Orbis mater esset, singulariter hic honor delatus est, ut ejus Episcopus haberet honoris consequentiam Metropoli propria dignitate servata. Et quidem ex veteri Consuetudine, & ex antiqua Traditione. Ita Canon VII. Nicænus (17).

§. V. De Præcipuis Metropolitanarum Muneribus.

XIV. Primum Metropolitanarum officium erat omnium provincialium Episcoporum ordinationes dirigere, eosdemque vel ordinare, vel ordinandi potestatem dare: adeo ut Synodus Nicæna *Can. VI.* diserte edixerit; ut si quis absque Metropolitanis sententia factus sit Episcopus, eum Magna Synodus definivit non esse Episcopum. Idem sancitum occurrit in Concilio Antiocheno *Can. XIX.* Laodiceno *Can. XII.* Chalcedon. *Can. XXV.* &c. Eandem legem in Ecclesiis quoque Occidentalibus viguisse perquam manifestum est ex Conciliis Arelat. II. *Can. V.* Sardic. *Can. VI.* Taurinensi *Can. I.* &c. (18). Qua de re in Concilio Ephe-

(17) Eruditissimus Valesius Not. in Eusebium Lib. V. cap. 23. contendit Ierosolymorum Episcopis honorem semper esse habitum, utpote Apostolicæ ecclesiæ, quæ prima Episcopum habuisset. Atque adeo eo honoris privilegio ejus sedis Episcopus fuisse poteros, ut ne Cæsareensi quidem Episcopo subjacerent, sed essent *αὐτονομοῦχοι*. At istæ Valesii sententia aliis non probatur: tum quod canon Nicænus diserte edicat: Metropoli dignitate servata; tum quod huic canonem explicans Hieronymus scribat: Hoc ibi decernitur, ut Palæstinæ metropolis Cæsarea sit: *Epist. LXL. ad Pammachium. Confer cap. XVIII. §. IV.*

(18) Pro Ecclesiis Occidentalibus satis sunt binæ Canonæ indicati Conc. Arelat. quorum prior nimirum *Can. V.* in hunc modum se habet: Episcopum sine Metropolitanis, vel Epistola Metropolitanis, vel tribus provincialibus non liceat ordinare. Alter nimirum *Can. VI.* Illud ante omnia cla.

Ephesino Decret. De Episc. Cyprî Ecclesiarum Cyprî Metropolitanis jus adfertum est ordinandi Episcopos provinciales adversus Patriarchas Antiochenos, qui illud sibi vindicabant: *Habebunt jus suum intactum, & inviolatum, qui Sanctis in Cypro præsent Ecclesiis secundum canones sanctorum Patrum, & veterem consuetudinem per seipsos ordinationes religiosissimorum Episcoporum facientes. Confer Cap. XVII. §. III. (19).*

XV. Ejusmodi Potestatem etiam sub Patriarchis Metropolitanæ retinuerunt. Metropolitanarum quidem electio a Patriarchis confirmanda erat, atque adeo Metropolitanæ a Patriarchis ordinandi: at jus electionem suffraganeorum confirmandi, ipsosque suffraganeos ordinandi Metropolitanis intactum permansit, uti ex Concilio Chalced. *Act. XVI. (20)* perspicuum est. Exceptis Episcopis Romano, & Alexandrino, uti *Cap. XVI.* observavimus.

XVI. Hæc tamen Metropolitanæ potestas haud quidem ejusmodi erat, ut ejus sententiæ, sive suffragio reliquis Episcopis acceden-

T 2

dum

clareat, eum qui sine conscientia Metropolitanæ constitutus fuerit Episcopus, juxta Magnam Synodum esse Episcopum non debere.

(19) Non desunt qui Primatibus, sive Metropolitanis Africa hæc potestatem deneant: at contrarium ex diversis Africanorum Conciliorum Canonibus evincitur. *Conc. Carthag. II. Can. VII* Inconsulto Primæ cujuscunque provinciæ nemo præsumat, licet cum multis Episcopis, sine ejus præcepto Episcopum ordinare. *Idem præscribunt Concilia Carthag. III. can. XXXIX. & IV. can. I.* Unde de Augustino in ejus *Vita cap. VII.* scribit Possidius: *Adveniente ad Ecclesiam Hispanensem tunc Primæ Numidia Megalio . . . Episcopatum suscipere Augustinus recusabat.*

(20) *Concilium Chalced. Act. XV. fin.* Unusquisque Metropolitanæ præfatarum Diœceseon cum Episcopis suæ provinciæ ordinet suæ regionis Episcopos, sicut divinis Canonibus est præceptum.

dum omnino esset, sed potius ipse majori Episcoporum provincialium parti obsecundare debebat. Ita Synodus Arelatensis II. *Can. V.* & expressius Nicæna *Can. VI.* *Quod si quidem communi omnium electioni, quæ & rationi consentanea, & ex regula Ecclesiastica facta est, duo vel tres propter suam, qua delectantur, contentionem contradicant, vincant plurium suffragia.*

XVII. Quum vero Metropolita eligendus esset, ipsi Episcopi Provinciales nullo ex alia provincia advocato Metropolitano (21) in Synodo provinciali eum constituebant. Istanc Ecclesiarum tum Romanæ, tum Africanarum fuisse consuetudinem testatur Augustinus *Brevic. Collat. Die III. cap. 16.* Donatistis enim Cæciliani Primatis Carthaginiensis ordinationem,

---

(21) *Josephus Binghamus Orig. Eccles. Lib. II. Cap. XVI. §. 15. producit Canonem VI. Sardiensem, qui jubere videtur ad Metropolitanam electionem etiam propinquioris provincie Episcopos advocandos. Verum Canon Sardie sic prout præstat apud Dionysium Exiguum, apud Isidorum Mercatorem, in Codice Ecclesie Romanae apud Quæsnellum, in Collectione Magna Conciliorum, & prout exhibetur a Clarissimo Espenio Tom. VII. pag. 129. Edit. Neap. in hunc modum se habet: Si contigerit in una provincia, in qua plurimi fuerint Episcopi, unum forte remanere Episcopum, ille vero per negligentiam noluerit ordinare Episcopum, & Populi convenerint; Episcopos vicinæ provincie debere illum prius convenire Episcopum, qui in ea provincia moratur, & ostendere, quod populi petant sibi rectorem, & hoc justum esse, ut & ipsi veniant, & cum ipso ordinent Episcopum. Profecto ut monet ibidem Espenius hæc videtur esse Canonis sensus; Si contigerit in aliqua Provincia unum duntaxat Episcopum remanere, qui juxta Canonem non potest solus ordinare Episcopum, justum esse, ut vicinæ provincie Episcopi veniant, & ordinent cum ipso Ecclesie vacanti Episcopum. Hunc esse Canonis hujus sensum notavit quoque Christianus Lupus, ipsamque Ecclesiam Gallicanam olim hoc Canone juxta hunc sensum usam fuisse monstrat ex Floardo in Historia Remensi Lib. III. cap. 20. Hæc enim Espenius.*

nem, ceu illegitimam respicientibus, quod a vicino Numidiæ Primæ ordinatus non fuisset: respondet *Cacilianum* ad id nulla lege, aut consuetudine fuisse adactum: *Non*, inquit, *expectavit Cacilianus, ut a principe princeps ordinaretur; quum aliud habeat Ecclesiæ Catholicæ consuetudo, ut non Numidiæ, sed propinquiores Episcopi Episcopum Ecclesiæ Carthagini ordinent. Sicut nec Romanæ Ecclesiæ ordinat aliquis Episcopus Metropolitanus, sed de proximo Ostiensis Episcopus.*

XVIII. Alterum Metropolitanorum munus erat Episcopis suæ Provinciæ præesse, ac suborientes inter eos controversias sua auctoritate finire (22). Tum si qui in injuria sibi ab suis Episcopis illata querebantur, iis ad Metropolitanum provocare semper licitum fuit. Id vero muneris triplici pacto obire solebant Metropolitani. 1. Aliquot ex Episcopis Provincialibus Judices constituebant, qui proinde Judices electi dicebantur (23). 2. Vel causam ad Synodum Provinciam deferebant, quæ communior, & antiquior videtur praxis fuisse. Canones sic dicti Apostolici hæc habent: *Synodus ea, quæ videntur adversus eum*

T 3

(Epi-

(22) *Concilium Sardiæ. Can. XIV.* Si Episcopus, qui forte iracundus (quod esse non debet) cito, & aspere commovetur adversum Presbyterum, sive Diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit; providendum est ne innocens damnetur, aut perdat communionem; & ideo habeat potestatem is, qui abjectus est, confugiendi ad Episcopum Metropolitæ ejusdem provinciæ: si autem Metropolitanus abfuerit ad finitimum concurrendi, & rogandi, ut suum negotium adcurate examinetur.

(23) *Concilium Milevitanum can. XXI.* Si qua inter duos Episcopos de Diocesi suarum finibus oboriatur dissceptatio, per Episcopos judices causa finiatur, sive quos eis Primates dederint, sive quos ipsi vicino consulti Primatis delegerint. *Addes Concilium Carthag. III. can. IX.* Cui Primati ad eligendos judices undique patet auctoritas.

( Episcopum accusatum ) pronuntiet. Tum Primas ne quid absque omnium sententia agat. Sic enim erit concordia, & glorificabitur Deus per Dominum Jesum Christum (24). 3. Vel tandem solus sine Synodo Clericorum causas cognoscebat, sententiamque ferebat, quod ex Lege Justiniana inferne adposita Metropolitani concessum fuit (25). At vero num sua solius auctoritate Episcopo officium abrogare potuerit; de hoc quidem dubitatur. Verum in hac re quousque sese extenderit Metropolitanorum auctoritas nimis anxie inquirere parum refert; quum ab Metropolitanis sententia ad Synodum Provinciale[m] provocare tum Canonum præscriptis, tum vi ejusdem Legis Justinianæ semper licuerit (26).

## XIX.

(24) *Canones Apostolici* LIII. & XXXIII, quibus addeſſi Canonem VI. *Conc. Constantinopolitani* II. Quod si e venerit, ut Provinciales Episcopi crimina, quæ Episcopo intentata sunt, corrigere non possint, tunc ipsos accedere ad majorem Synodum Diocesis &c. Et canonem IX. *Conc. Antioch.* Nihil ultra facere adgrediantur sine Metropolitanis Episcopo: neque ipse sine reliquorum sententia.

(25) *Codex Justin.* Lib. I. Tit. IV. cap. 29. Sancimus, ut nemo venerabilis Clericus ab aliquo sive Clerico sive Laico ab initio apud beatissimum Patriarcham provincie accusetur, sed prius juxta sacra instituta apud Episcopum civitatis, in qua Clericus versatur; tum si is suspectus est, ad Metropolitanum Episcopum suspectum agat.

(26) *Spartanensis de Rep. Eccles. Part. I. Lib. III. Cap. 7. num. 19. vetera quaedam Ecclesiastica monumenta adfert, quibus demonstrare contendit Episcopos aliquando a solis Metropolitanis fuisse depositos. Verum si in monumenta illa diligentius inquiratur, illud aperte haud effertur; sed potius Metropolitanico judicio comprovincialium quoque Episcoporum sententiam accessisse supponere videtur: præsertim quum ex canonum vi nihil sine Episcoporum provincialium judicio Metropolitanæ agere licuerit. Primas ne quid absque omnium sententia agat. Sic enim erit concordia. Canon Apost. XXXIII. Bis in anno fiat Episcoporum Synodus, & inter se examinent decreta religionis, & incidentes ecclesiasticas controversias componant.*

*Codex Justinian.* ibidem. Sed si forte ne ei quidem accusatio placuerit, ad sacram ejus regionis Synodum accusatum deducat.

XIX. Tertium Metropolitanorum officium illud erat; nimirum Synodos Provinciales convocare, iisdemque præesse (27). Ipse enim per Epistolas circulares, dictas quandoque *Synodicas*, & *Tractorias*, veluti per legales citationes sub pœna interdictionis muneris administrandi censuræ canonicæ, Episcopos Provinciæ ad Synodum vocandi auctoritate pollebat. Ita Synodi Chalcedonensis, & Carthaginensis, Theodoretus, aliique veteres (28).

XX. Quartum Metropolitanorum jus erat, tum Ecclesiasticas Leges, ac Imperiales Sanctiones ad Ecclesiasticum regimen pertinentes publicare, dispergere, & providere, ut observarentur (29); tum etiam universam Provinciam identidem invisere, ut inductos abusus evellerent; & Canonum violationi prospicerent. Hinc Metropolitanus in Synodo Antiochena totius Provinciæ curam gerere di-

T 4

ci-

(27) *Concilium Agath. can. XXXV.* Si Metropolitanus Episcopus ad Comprovinciales Epistolas direxerit, in quibus eos, aut ad ordinationem summi Pontificis, aut ad Synodum invitet. . . ad constitutam diem adesse non differant.

*Conc. Arelat. II. can. XVIII.* Ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodus congreganda.

(28) *Concilium Chalcedonense Can. XIX.* Episcopi, qui non conveniunt ad Synodum. . . fraterne reprehendantur.

*Concilium Carthag. IV. can. XXI.* Ut Episcopus ad Synodum ire non sine satis gravi necessitate inhibeatur.

*Theodoret. Epist. LXXXI.* Parebam autem, ut Ecclesiastico Canoni obsequerem, qui teum haberi jubet eum, qui ad Synodum vocatus adesse noluerit.

(29) *Iustinianus Novell. XLII. Epilog.* Custodiat itaque beatitudo tua quæ recte adnotata sunt, & mittat ipsa per suas Deo dilectas litteras omnibus sanctissimis Metropolitanis sub ipsa existentibus, quorum cuilibet cura erit ipsa manifestata facere sanctissimis Ecclesiis sub ipsis ordinatis.

citur (30). Illic adeo studiose observabatur, ut Episcopis Provinciæ ne urgente quidem gravi occasione peregre abire liceret, nisi consulto Primæ Sedis Episcopo suæ cujuscunque Provinciæ, *ut ab eo præcipue possint formatam accipere*. Ita Concilium Carthag. IV. *Can. XXVIII*. Eandem legem in Ecclesiis Occidentalibus peræque viguisse docemur ab Gregorio *Lib. VII, Epist. 8.* (31).

XXI. Quinto ad Metropolitanum spectabat, ubi Sedes aliqua Episcopalis intra provinciam suam vacaret, ejus curam agere, negotia dirigere, redditus in tuto ponere, maturamque novi Episcopi electionem procurare. Ita Synodi Chalcedonensis, Carthaginensis, Rejensis, & Valentina (32). Plerumque defuncto Episcopo propinquiore Episcopo vicaria Episcopatus cura committebatur, qui propterea *Intercessor*, sive *Inventor* dici consuevit. De quo duo statuta legimus in Concilio Carthaginensi V. Primum ut si intra annum novi  
Epi-

(30) *Concilium Antioch. Can. IX*. Episcopos, qui sunt in unaquaque provincia scire oportet Episcopum, qui præest Metropoli, etiam curam suscipere totius provinciæ.

(31) *S. Gregorius M. Lib. VII. Epist. 8*. Additur, quod ex vobis aliqui pro Ecclesiæ suæ emergentibus causis transmarina petentes, sine prædicti Metropolitanæ sui cognitione, vel Epistolis, sicut Canonum ordo constituit, audeant ambulare. Hortamur ergo fraternitatem vestram, ut antiquam Ecclesiarum vestrarum consuetudinem exsequentes, tam de suscipienda paschali denuntiatione, quam etiam si quemquam vestrum pro causis propriis ubicunque compulerit ambulare necessitas, ab eodem Metropolitano vestro secundum indicatam vobis regulam petere cessionem debeatis.

(32) *Concilium Carthag. V. Can. VIII. Rejense Can. VI. Valentinum Can. II. Satius erit producere Canonem XXV. Concilii Chalcedonensis, qui in hunc modum se habet: Quoniam nonnulli Metropolitanæ . . . Episcoporum ordinationes differunt, sanctæ Synodo placuit, ut intra tres menses Episcoporum ordinationes fiant.*

Episcopi electionem non procurasset, alius in ejus locum substitui oporteret. Alterum, ut nullus Interventor illius loci Episcopus fieri posset, cui Interventor fuerit constitutus (33).

XXII. Sexto Metropolitanorum cura erat, ut quotannis in diem, qua Pascha celebrandum esset, inquirerent, de eoque Provinciæ Episcopos admonerent. Quamvis enim hoc munus a Patribus Nicænis speciatim Episcopo Alexandriæ datum fuerit; attamen quum id aliquando negligeretur, ad Metropolitanos ei cura devolvebatur. Id ex Conciliis Carthaginiensi III. Toletano IV. Bracarense II. &c. Tum ex S. Ambrosio perspicue constat (34). Verum de hoc Capite alibi fusius agemus.

XXIII. Septimo tandem illud Ecclesiæ Metropolitanæ erat Privilegium, ut omnes per Provinciam Ecclesiæ eos ritus, ac divini cultus cæremonias sequi deberent, quibus Ec-

T 5

cle-

(33) *Concilium Carthag. V. can. VIII.* Constitutum est, ut nulli Intercessori licitum sit Cathedram, cui *Intercessor* datus est, quibuslibet populorum studiis, vel seditionibus retinere: Sed dare operam, ut intra annum eisdem Episcopum provideat. Quod si neglexerit, anno expleto *Intercessor* alius tribuatur.

(34) *Concilium Carthag. III. can. I.* Placuit in principio, propter errorem, qui sæpe solet obdreri, ut omnes Africanæ provinciæ Episcopi observationem paschalem ab Ecclesia Carthaginiensi curent accipere.

*Concilium Tolet. IV. can. V.* Placuit, ut ante tres menses Epiphaniarum *Metropolitani* Sacerdotes litteris invicem se inquirant, ut communi scientia edocti *diem* resurrectionis Dominicæ, & *comprovincialibus suis insinuent*, & uno tempore celebrandum adnuntient.

*Concilium Bracarense II. can. IX.* Pascha quota Kalendas datum die, vel quota luna debeat suscipi, a *Metropolitano* Episcopo nuntietur.

S. *Ambrosius* *Clas. I. Ep. XXIII. ad Episcopos pæ AEmiliam num. 1.* Sin incidit *Pascha*, sicut futurum est proxime, Luna decimaquarta mensis 1. die Dominica; quia neque Dominica jejunare debemus, neque decimateria Luna die Sabbati incidente jejunium solvere, quod maxime die passionis est exhibendum, in alteram hebdomadam celebritas Paschæ est differenda.



clesia Metropolitana utebatur. Istuc in quibusdam Galliae, & Hispaniae Conciliis statutum invenitur (35). Ceterum antiquioribus Ecclesiae saeculis, praesertim in Occidente, cuilibet Episcopo jus fuisse peculiarem pro sua Ecclesia Liturgiam praescribere *Cap. XIV.* jam observavimus.

XXIV. Illud heic tantummodo paucis animadvertendum, nimirum Metropolitanos aliquando *Apostolicos*, eorumque Sedes *Apostolicas* dici consuevisse. Sic Siricius Epist. IV. ad Episcopos African. cap. I. *Ut extra conscientiam Sedis Apostolicae, id est Primatis, nemo audeat ordinare.* Et Alcuinus de divinis Officiis *Cap. 37. Quum Episcopus civitatis fuerit defunctus, eligitur alius a Clero, & populo, fitque Decretum ab illis, & veniunt ad Apostolicum cum suo Electro.* Porro ejusmodi nominis praerogativa seculis temporibus Cathedrae S. Petri, nimirum Ecclesiae Romanae reservata est.

## §. VI.

(35) *Concilium Toletan. XI. can. III.* Placuit huic Sancto Concilio, ut Metropolitanarum Sedis auctoritate coacti uniuscujusque provinciae pontifices, rectoresque Ecclesiarum unum eundemque in psallendo teneant modum, quem in Metropolitana Sede cognoverint institutum: nec aliqua diversitate cujusque ordinis, vel officii a Metropolitana se pariantur Sede disjungi. *Idem sancitum occurrit in Synodo Gerundensi Can. I.*

*Concilium Epazonenfe Can. XXVII.* Ad celebranda divina officia ordinem, quem Metropolitanus tenent, provinciales eorum observare debent.

## §. VI. De Metropolitibus in Regno Neapolitano.

XXV. In Regionibus, quæ modo Regnum Neapolitanum constituunt, num antiquitus fuerint Metropolitanæ certant Eruditi, & adhuc sub iudice lis est. Plerique ad VIII. usque sæculum nullos fuisse censent; atque adeo Rom. Pontificem Ecclesiarum Suburbicariarum Metropolitanam duntaxat faciunt. At contra Petrus de Marca *Conc. Sac. & Imp. Lib. I. Cap. 7.* contendit jam inde ab IV. Sæculo tum in reliquis, tum vel maximæ in iis suburbicariis Provinciis, quæ ad Regnum Neapolitanum pertinent, Metropolis, Metropoles, & Provincias Ecclesiasticas agnoscendas; idque pluribus, nec contemnendis ex antiquis monumentis desumptis rationibus demonstrat. Quænam hac in re nobis sententia adrideat, in Dissertationibus Ecclesiasticis, quas ad calcem Operis dabimus, aperiemus.

XXVI. Sæculo VIII. uti *Tit. super.* indicavimus, quum Sicilia, ac plures Regni Neapolitani præsertim maritimæ Ecclesiæ ab Romano Patriarchatu avulsæ Throno Constantinopolitano adnexæ fuerint, Patriarcha Constantinopolitanus uti Episcopum Syracusanum per Siciliam, ita Episcopos Rheginum, & S. Severinæ per Calabriam Metropolis constituit: Nilus Doxopatrius *De quinque Thronis Patriarchalibus* apud Leonem Allatum *de Eccles. Orient. & Occid. perpet. cons.* & Novella Leonis Imp. apud Leunclavium *Jur. Græc. Rom. Tom. I.* In eadem Novella recensentur Episcopi eorundem trium Metropolitanarum suffraganei: scilicet num. XXXII. *Rheginæ, sive Calabriæ. 1. Bibonensis. 2. Taurianæ. 3. Locridis. 4. Rusiani. 5. Scylacii. 6.*

*Tropæi . 7. Amantææ . 8. Crotonæ . 9. Constantiensis . 10. Nicoterensis . 11. Bisuniæni . 12. Novocastrensis . 13. Cassani . Num. XLIX. Severianæ, Calabria . 1. Euryfatensis . 2. Acerentinus . 3. Callipolitanus . 4. Aisylorum . 5. Castriveteris . Sub Syracusano Siciliae . 1. Taurominitanus . 2. Messanensis . 3. Agrigentinus . 4. Croniensis . 5. Lilybæi . 6. Drepani . 7. Panbormitanus . 8. Thermarum . 9. Cephaludii . 10. Alesæ . 11. Tyndarii . 12. Melitensis . 13. Liparenfis .*

XXVII. Idem Constantinopolitanus Patriarcha nonnullis Episcopis, quos ad Metropolitanam dignitatem evehere ipsi non licuit, honorificum duntax Archiepiscopi titulum est elargitus; ac præ ceteris Neapolitano, & Messanensi. Unde in eadem Leonis Novella occurrunt *Archiepiscopatus XIV. Neapolis . XV. Messana . LV. Hydruntino qui subsit, nullus est Thronus.* Profecto Sergius Episcopus Neap. uti scribit Joannes Diaconus in Chron. Episc. Neap. dum a Græcorum Pontifice Archiepiscopatum nancisceretur, ab Antistite Romano correptus veniam impetravit. Denique secutis temporibus quum & aliæ Regni Neap. civitates ab ditioe Langobardica a Græcis subtractæ fuissent, earundem quoque Ecclesiæ Throno Constantinopolitano adscriptæ sunt; uti Tarentum, Brundusium, Trantum. Unde Doxopatrius ibid. *Melodusæ Poeta Dominus Marcus Hydruntum a Constantinopolitano missus fuisse comperitur. Cum autem universæ Langobardie Ducatus, quæ vetus Hellas erat, sub Imperatore erat Constantinopolitano, Papa vero separatus cum aliis gentibus vivebat, propterea Patriarcha Ecclesias obtinebat; nam Brundusium, & Tarentum a Constantinopolitano Sacerdotes accipiebant; idque nullum latet. Quinimmo Episcopus Bariensis ad Metropolitanæ dignitatem*

tem evectus est, ipsique duodecim suffraganeis adsignati sunt. Auctor Hist. Civil. Neap. Lib. VIII. Cap. 6. Uti quoque Luitprandus Cremonensis Episc. *Legatio ad Nicephorum Phocam pro Othonib.* refert Episcopos Acheruntinum, Turcicum, Gravinensem, Materanum, & Tricaricensem fuisse per Nicephorum Phocam subjectos Metropolitæ Hydruntino.

XXVIII. Dum res ita se habebant in Provinciis Throno Constantinopolitano subjectis, in reliquis Regni Neapolitani medio Sæculo X. R. Pontifices qualdam magis conspicuas Ecclesias in Metropoles Ecclesiasticas evehere cœperunt. Ac primo ejusmodi dignitatem promerere Campana, Beneventana, Neapolitana, Salernitana, Amalphitana, & Surrentina, quibus suffraganeæ adtributæ sunt Ecclesiæ. Quod institutum dein in omnibus Regni Provinciis servatum est, ac postremo ad umbilicum perductum, postquam Northmanni Principes nostri, Græcis devictis, suas R. Pontificibus Ecclesias restituerunt.

## E X C U R S U S

### De Αὐτοκέφαλος.

I. **N**omen αὐτοκέφαλος, quod Episcopum nulli subjectum, suaque libertate gaudentem designat, iis potissimum Episcopis tributum est, qui licet Romano Pontifici, tanquam jure divino Universalis Ecclesiæ Capiti, subessent, nulli tamen suberant Patriarchæ. Et sane antequam Patriarcharum jura firmiter adstruerentur, ac eorundem jurisdictionis limites distinctius, ac exactius statuerentur, omnes ex æquo Metropolitanis videntur fuisse Αὐτοκέφαλοι, quippe qui Concilio Provinciali duntaxat ad reddendam ratio-

tio-

tionem erant obnoxii, & nonnisi gravioribus in causis Romanum Pontificem, seu Universalis Ecclesiæ Caput, consulebant. Quinimmo etiam Patriarchica omni ex parte plene constituta Potestate, quidam Metropolitanus in eadem libertate perdurarunt, & suam ordinationem non ab aliquo Patriarcha, sed a sua ipsorum Synodo Provinciali acceperunt. Huiusmodi fuere ex Balsamone Metropolitanus Bulgariæ, Cypri, & Iberiæ (1). Tum recte observante Petro de Marca eadem ratio videtur fuisse Ecclesiarum Armeniæ tempore Photii (2).

II. Ἀὐτοκέφαλοι quoque dicebantur ii Episcopi, qui nulli Metropolitanus, at proxime Patriarchæ subiciebantur, qui ipsis Metropolitanus loco erat. In antiqua Notitia primum a Leunclavio, dein a Beveregio, & a Carolo a S. Paulo edita per diversas Patriarchatum Provincias plures istiusmodi Episcopi recensentur (3).

## III.

(1) Balsamon in Concil. Constantinopilit. Can. II. Si alias etiam Ecclesias inveneris, quæ principales, & per se sint Capita, ut Bulgariam, Cyprium, & Iberiam, nemeris. De Ecclesiis Cypri Concil. Ephes. Act. VII. Confer Caput XVII. §. III. Not. 12. Eiusmodi Ecclesiarum Cypri prerogativa in Synodo Trullana Can. XXXIX. confirmata est. Citra ullam innovationem servantur, quæ a divinis Patribus, qui Ephesi primum convenerunt, prædicti viri Joannis insule Cypri Præsulis throno privilegia concessa sunt. Ecclesias Iberiæ, quam nunc quidem Georgiam vocant, eadem prerogativa fuisse donatas observant Eruditi; quod nimirum nec Patriarchæ Constantinopolitano paruerint, nec ulli alii Patriarchæ; sed omnes suo ipsorum Metropolitanus duntaxat obsequium præstiterint. Confer Brevevoed Enquir. Cap. XVIII. Chytræum de Statu Ecclesiæ.

(2) Petrus de Marca de Primatibus num. XXVII. Scire oportet hanc provinciam esse sui juris, minimeque subditam Apostolicæ Sedi ( Constantinopolitana scilicet ) sed honorati tamen intuitu S. Gregorii Armeniæ Episcopi, & præesse ducentis urbibus, & castris.

(3) Eiusmodi Notitia apud Leunclavium undequadragesimæ

III. Nostris temporibus ii Episcopi *Ἀυτοκέφαλοι* audiunt, qui nulli Metropolitanano subiecti *ἀμίσως* Romanæ Sedi parent, ceu suæ ipsorum Metropoli. At propriæ Provinciæ Metropolitanano ad Concilium Provinciale vocanti obedire tenentur; uti in nostris Caonicis Institutionibus *Lib. I. Tit. IV.* jam observavimus.

*ginta, apud Beveregium quadraginta unum, apud Carolum a S. Paulo sex & quadraginta istiusmodi exhibet Episcopatus. Tum Nilus Doxopatrius apud le Moyne Varia Sacra Tom. I. scribit Patriarcham Ierosolymitanum in sua Diœcesi viginti quinque istiusmodi Episcopatus habuisse, & Antiochenum sedecim; qui Archiepiscopi, ac etiam Metropolitanani nomine decorabantur, licet nullos sub se habuissent suffraganeos.*

## C A P U T XXI.

De Proprietatibus in Promovendis ad Episcopatum requisitis; necnon de Legibus in eorundem Ordinatione servatis.

### §. I. De Proprietatibus, quas in Episcopis Vetus Ecclesia postulabat.

I. **A**C primo in Episcopis requirebatur Ætas, quæ per Canones ad minimum triginta annorum esse oportebat. Ita Synod. Neocæsarensis, Agathen. Toletana IV. (1). Verum lex istæc ab Apostolorum ætate non videtur perpetuo observata. Nam Constitutiones Apostolicæ *Lib. II. Cap. I.* quemadmodum

con-

(1) *Conc. Neocæs. can. XI.* Presbyter ante triginta annos non ordinetur. *Conc. Agath. can. XVII.* Presbyterum, vel Episcopum ante triginta annos nullus Metropolitanorum ordinare præsumat. *Conc. Tolet. IV. can. XIX.* Ad Sacerdotium non promoveantur . . . qui nondum ad triginta annos pervenerunt.

constituunt, ut *Episcopus non minor natu sit, quam annorum quinquaginta*: ita etiam permittunt, ut si necessitas coegerit *Episcopus fiat, qui in adolescentia mansuete, & compositè vivendo senilem ætatem ostendat*. Hinc Timotheus adhuc juvenis *Episcopus* creatus est (2); tum Gregorium Thaumaturgum, ejusque fratrem ambos valde juvenes *Episcopos* fuisse ordinatos testatur Eusebius (3). Idem de Acholio *Episcopo* Thessalonicensi refert Ambrosius (4), de Paulo *Episcopo* Constantino-politano Socrates (5), & de Athanasio Theodoretus (6). Tum Remigius *Episcopus* Remensis, & Eleutherius *Episcopus* Illyrici, ille duos & viginti, hic nonnisi viginti annos natus *Episcopale* munus subiere (7). Igitur lex Ecclesiæ, quæ triginta annos *Episcopatum* de-

(2) *I. ad Timoth. cap. IV. vers. 12.* Nemo tuam adolescentiam spernat.

(3) *Eusebius Lib. VI. cap. 30.* Quum quinquennio integro in ejus Origenis auditorio versati fuissent, tantopere in divinis eloquiis profecerunt, ut ambo adhuc juvenes Ecclesiarum in Ponto *Episcopi* fuerint constituti.

(4) *Ambrosius Ep. LX. ad Anysum*: Benedictus processus juventutis ipsius, in qua ad summum electus est *Sacerdotium*, mature jam probatus virtutum stipendio.

(5) *Socrates Lib. II. cap. 6.* Paulum, quem ipse *Presbyterum* ordinarat, adsumerent, ætate quidem adhuc juvenem, sed prudentia senem.

(6) *Theodoret. Lib. I. cap. 25.* Alexandro . . . vita functo in Alexandrinorum Ecclesiæ cathedra successit Athanasius . . . erat autem cum celeberrimo Alexandro, juvenis quidem ætate, sed princeps ordinis *Diaconorum*. Promotus Athanasius *Episcopus* ordinatus est anno CCCXXVI. At ipse *Epist. ad Solitarios* scribit se a parentibus suis didicisse persecutionem a Maximiano in Christianos Constantii ævo excitatam: *Audivi a patribus (veram rem arbitror) in superiore sub Maximiano Constantii ævo persecutione etc. Constantius Imperium nactus est an. CCCV.*

(7) *Hincmarus Vit. Remigii apud Barenium anno CCCCLXX.* Remigius ad vigintiduos annos natus . . . ad Pontificii culmen raptus fuisse dignoscitur potius, quam electus. *Nicephorus Lib. III. cap. 29.* Eleutherius deinde viginti annos natus Illyrici *Episcopus* deligitur.

decreverat haud raro abrogata est, quum vel necessitas, vel extraordinaria animi ornamenta aliquem licet juvenem ad Episcopatum provehi posse suaderent. Tandem teste S. Ignatio M. *Epist. ad Magnes. num. III. (8)* Damas Episcopus Magnesianorum juvenis fuit Episcopus; quum ordinationem ejus vocet *νεωτερικὴν τάξιν* *Juvenilem Ordinationem (9)*.

§. II. *Episcopus ex Ecclesia, cui præficiendus erat, eligendus.*

II. Episcopus non nisi ex eadem Ecclesia, cui præficiendus erat, eligebatur. Hujusce praxeos pro Ecclesiis Africanis, & Hispanis testis est Cyprianus (10). Eundem morem Alexandriae quoque perpetuo obtinuisse auctor est Hieronymus (11). Tandem sententia in eadem fuisse videntur Veteres Romani Pontifices Cælesti-

(8) S. Ignatius M. *Epist. ad Magnesianos num. III.* Sed & vos deceat non familiaris, ac superbe uti ætate Episcopi, sed secundum virtutem Dei Patris impertiri illi reverentiam; quemadmodum novi sanctos facere presbyteros; non respicientes ad apparentem juvenilem ordinationem, sed ut prudentes in Deo &c.

(9) Salmasius, & Ludovicus Capellus hunc Ignatii locum misere pervertentes contendunt Ignatium per verba *νεωτερικὴν τάξιν* tantummodo muneris Episcopalis novitatem generatim intellexisse, quod scilicet novissime sit institutum. At contra Josephus Binghamus *Orig. Eccles. Lib. I. Cap. X. §. 1.* post Pearson. *Vindic. Ignat. Præf.* demonstrat ejusmodi interpretamentum tum ab universo omnium Ignatii Epistolarum argumento, & scopo prorsus alienum esse, tum vel maxime producti loci sententiæ repugnare, ubi non de Episcopatus institutione loquitur, sed de Magnesiani Episcopi ætate, scilicet quod valde juvenis fuerit, quum ordinaretur.

(10) Cyprianus *Epist. LXVIII. ad Frat. Hisp.* Episcopus eligatur plebe præsentē, quæ singulorum vitam plenissime novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.

(11) Hieron. *Epist. LXXXV.* Alexandriae Presbyteri semper unum ex se electum in excellentiori gradu collocatum Episcopum nominabant,



stinus, Hilarius, Leo, ac præsertim Julius I. (12) qui id adversus Gregorium, quem Ariani in locum Athanasii Ecclesiæ Alexandrinæ obtruserant, fortiter urgebat: nimirum quod externus homo esset, compluribus ignotus, nec ab Alexandrinis postulatus. Verum ab generali hac regula Majores nostros aliquando discessisse constat, præsertim tribus hiæc de causis.

1. Si Ecclesiæ bono foret Episcopum ab una in alteram Ecclesiam transferri.
2. Ubi inter cives de quopiam ex sua ipsorum Ecclesia eligendo non conveniret; tum enim Synodus Provincialis, vel Metropolitanus ex alia Ecclesia quempiam ipsis eligendum proponebat, vel etiam aliquando Episcopum constituerebat. Hac de causa Socrate, & Sozomeno testibus (13), Chryostomus, licet extraneus, Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus ordinatus est.
3. Nonnunquam viri meritis illustres, aut virtutum splendore conspicui, quamvis exteri, viduatæ Ecclesiæ civibus præferiebantur. Quod de S. Eusebio Vercellensi perhibet Ambrosius, quem Vercellenses licet nunquam antea viderant, sed tantummodo ejus virtutum famam audierant, attamen *posthabitis civibus simul ut viderunt, & probaverunt*: Epist. LXXXII. ad Eccles. Vercell.

## §. III.

(12) *Celestinus* Epist. II. ad Episc. Narbon. num. 4. *Hilarius* Epist. ad Ascan. Tarracon. Cap. 3. *Leo M.* Epist. LXXXIV. ad Anastasiam Cap. 6. *Julius I.* Epist. apud Athan. in Apolog. II.

(13) *Socrates* Lib. VI. cap. 2. Contentio de ordinando Episcopo exorta est. Placuit, ut Joannes Antiochenis Ecclesiæ Presbyter arcesseretur. Fama enim de illo increbruerat, cum doctrina simul, & eloquentia valere &c.

§. III. *Ad Episcopatum inferiorum Ordinum ministeria parabant viam.*

III. Præterea ad Episcopatum nemo, nisi per inferiores ordines, ceu per gradus conscendebat. Quod pluribus evincitur. I. Tertullianus *Lib. de Fuga in persecut. & in Lib. de Præscript. Cap. XLI.* tum de levibus, ac temerariis quibuldam contra Apostoli mandatum Neophytorum ordinationibus conqueritur; tum scribit: *Hoc sentire, & facere omnem servum Dei oportet, etiam minoris loci, ut majoris fieri possit.*

2. Clemens Alex. Strom. Lib. V. pag. 667. Nam heic, inquit, quoque progressiones Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum sunt, ut arbitror, imitationes gloriæ Angelicæ, & illius œconomiae, ac dispensationis, quam dicunt Scripturæ illos exspectare, qui insistentes vestigiis Apostolorum vixerunt in perfectione justitiæ. Tum subdit: *Primum quidem Diaconos futuros, deinde cooptandos esse in presbyteratum... donec creverint in virum perfectum.* Igitur II. & III. Ecclesiæ Sæculo saltem Diaconatum Presbyteratui, Presbyteratum Episcopatui fuisse præmissos satis constat.

IV. Jam vero etiam jam inde ab III. Sæculo per inferiores ordines, licet non omnes, at unum saltem eorum, ad superiores patuisse progressum plura indicant veterum ordinationum exempla. Profecto I. Celerinus Lector a Cypriano constitutus est, Presbyterque jam tum designatus; at Presbyteri honorem statim consecutus non est, atque adeo Diaconus Romæ Martyr occubuit: Cyprianus *Epist. XXXIV.*

2. Cyprianus ipse *Epist. XXXIV.* de Aurelio Lectore loquens; *Placuit, inquit, ut ab officio Lectoris incipiat.*

3. Tum

3. Tum *Epist. XXIV. Oportatum ex Lectore, & audientium Doctore a se Hypodiatonum constitutum scribit.*

4. Tandem *Epist. LII. de Cornelio Romano Pontifice testatur eum per omnia Ecclesiastica officia... ad Sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus adscendisse.*

5. *Nanzianz. Orat. XX. in laudem Basilii* in eos invehens, qui præcipiti gradu ad Sacerdotium feruntur, Basilium aliter se gessisse narrat, quippe qui populo libros lectitavit, antequam Presbyter crearetur. Tum subdit: *Ordine, ac spiritualis progressionis lege hoc eum honore adfecit... Eadem rei militaris est ratio: miles primum, deinde Centurio, tum Imperator &c.*

5. Chrysostomus a Lectoratu, quem a Zenone receperat, ad Diaconatum promotus est, deinde Presbyter, postea Episcopus. *Socrates Lib. VI. cap. 3. Palladius in Vit. Chrysostom.*

7. Sanctus Ambrosius licet communi populi adclamatione, ac suffragio ad Ecclesiæ Midiolanensis regimen quantocius expetitus, baptizatus tamen prius est; tum fertur omnia Ecclesiastica officia implevisse, atque octava die Episcopus ordinatus: Ita Paulinus in *Vita S. Ambrosii.*

8. Epiphanius Paulinianum Hieronymi fratrem Monasterio Sacerdotibus indigenti Presbyterum consecraturus, etsi Sacerdotum penuria urgeret, Diaconum tamen creavit prius & Diaconatus officium exercere curavit, antequam Presbyterum ordinaret. *Epiphanius Ep. ad Joan. Jerosolym.*

9. Epiphanius ipse quum ad Episcopatum raptus esset, incitante præsertim Beato Pappo, qui eum divina visione Episcopum Cypri futurum prænoverat, prius tamen Diaconus, ac

Pres-

Presbyter, quam Episcopus ordinatus refertur:  
*Vita S. Epiph. apud Metaph.*

10. Hieronymus de Nepotiano Presbytero  
 scribens; *Fit, inquit, Clericus, & per solitos  
 gradus Presbyter ordinatur.*

11. Euty chius Patriarcha Constantinopolita-  
 nus ex Lectore Diaconus, ex Diacono Sacer-  
 dos, ultimo Episcopus consecratus est: *Vita  
 S. Euty chii apud Metaphrastem.*

12. Cæsarius Arelatensis a S. Sylvestro Epi-  
 scopo Cabilonensi in Clericum ad tonsus, po-  
 stea monachus, tum ab Eonio Arelatensi Dia-  
 conus, demum Presbyter, & ex Presbyte-  
 ro Episcopus fuit: *Vita S. Cæsarii Lib. I.  
 cap. 2.*

13. De Joanne Cabilonensi Episcopo refert  
 Sidonius Apollinaris Lib. IV. Epist. 25. *Le-  
 ctorem hunc primum, sic Ministrum Altaris  
 (idest Diaconum), processu temporis Archidia-  
 conum, postea secundi ordinis Sacerdotem, seu  
 Presbyterum creatum, antequam ad Episcopa-  
 tum promoveretur.*

14. De S. Felice Nolano scribit S. Pauli-  
 nus Lib. IV. Epist. 25. eum primis annis Le-  
 ctorem, & Exorcistam egisse.

15. Epiphanius Ticinensis Episcopus, teste  
 Ennodio in ejus Vita, *caelestis militiae tyro-  
 cinium annorum ferme octo Lectoris suscepit  
 officium: ex quo ordine Subdiaconus creatus  
 est, mox Diaconus, postea Presbyter, ultimo  
 Episcopus.*

V. Quod haecenus exemplis demonstravimus  
 firmatur etiam Conciliorum Canonibus. Ac I.  
 Patres Sardicenses *Can. X. sanxerunt. Si forte  
 aut dives, aut Scholasticus de foro, aut ex ad-  
 ministratione Episcopus fuerit postulatus, ut  
 non prius ordinetur, nisi in Lectoris munere,  
 & officio Diaconi, aut Presbyteri fuerit per-  
 functus; ut per singulos gradus, si dignus fue-  
 rit,*

vit, ascendat ad culmen Episcopatus. Potest enim per has promotiones, quæ habebunt prolixum tempus, probari qua fide sit, qua modestia, qua gravitate, & verecundia... conveniens non est, nec ratio, vel disciplina patitur, ut temere ordinetur aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, maxime quum & Magister Gentium Apostolus, ne hoc fieret, denuntiasset, & prohibuisse dicatur: Eadem lex in Syn. Bracarenfi I., Sueffionensi (14), aliisque sancita occurrit.

VI. Consonant quoque Veterum Romanorum Pontificum Decretales. Ac 1. Siricius diferte præcipit, ne quis Episcopalem cathedram adipiscatur, nisi prius fuerit Lector, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, & tandem per decennium Presbyter (15).

2. Innocentius I. apertis verbis jubet, eum ad Sacerdotii fastigium promovendum, qui in minoribus Lectoris, Acolythi, ac Diaconi officiiis diu perduraverit (16).

3. Zosimus *Epist. I. cap. 3.* præcipit, ut qui Diaconus futurus est, primum inter Lecto-

(14) *Syn. Bracar. I. can. XXXIX.* Per singulos gradus eruditus ad Sacerdotium venit. *Synodus Sueffion. Act. VI.* Qui saltu sine gradu Diaconi ad Sacerdotium profiliavit, in degradationem debitam resilire debere.

(15) *Siricius Epist. I. cap. 9.* Quicumque se Ecclesie voverit obsequiis a sua infantia, ante pubertatis annos baptizari, & lectorum debet ministerio sociari, qui ab accessu adolescentiæ usque ad vigesimum ætatis annum, si probabiliter vixerit... Acolythus, & Subdiaconus esse debet, posteaque ad Diaconi gradum, si seipsum primitus, continentia præcunte, dignum probaverit, accedat, ubi si ultra quinque annos laudabiliter ministraverit, congrue presbyterium consequatur. Exinde post decennium Episcopalem Cathedram poterit adipisci.

(16) *Innocentius I. Epist. IV. cap. 5.* Nec cito quilibet Lector, cito Acolythus, cito Diaconus, cito Sacerdos fiat: qui in minoribus officiiis si diu perdurent, & vite eorum pariter, & obsequia comprobantur, ut ad Sacerdotium posthac emensis stipendiorum meritis veniant &c.

dores vel Exorcistas, tum inter Acolythos vel Subdiaconos probetur (17),

4. Cælestinus *Epist. II. ad Episcopos Gallia*, jubet non nisi in inferioribus ordinibus instructos Episcopatum pertingere, ut *minoribus initiati officiis ad majora firmentur*.

VII. Idem postremo demonstrari posset pluribus Gregorii M. auctoritatibus, ex quibus satis erit proferre *Epistolam CXXX. Lib. VII. ad Syagrium*, in qua sic præcipit: *Ordinate ad ordines ascendendum est; nam casum appetit, qui ad summi loci fastigia posthabitis gradibus per abrupta quærit adscensum: sci- mus autem, quia edificati parietes non prius lignorum pondus accipiunt, nisi a novitatis suæ humore siccantur: ne si ante pondera, quam solidentur, accipiant, cunctam simul ad terram fabricam deponant*.

VIII. Ex hæcenus dictis duo erui posse videntur. Primum: inferiores ordines superioribus ea de causa fuisse præmissos, quia inferiora ministeria produunt Clericorum vitam merumque probitatem, ut inde liceat agnoscere, num digni sint, qui ad Sacerdotium promoveantur. Id modo productus Sardicensis Canon, & Romanorum Pontificum *Epistolæ* manifesto produunt.

IX. Al-

(17) *Zosimus Epist. I. cap. 3.* Si ab infantia Ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter Lectores usque ad vigesimum ætatis annum continuata observatione perduret. Si major jam & grandævus accesserit, ita tamen ut post baptismum statim se divinæ militiæ desideret mancipari, sive inter exorcistas quinquennio teneatur: exinde Acolythus, vel subdiaconus quatuor annis, & sic ad benedictionem Diaconatus (si meretur) accedat, in quo ordine quinque annis si inculpate se gesserit hæere debet. Exinde suffragantibus stipendiis, per tot gradus datis propriæ fidei documentis, Presbyterii sacerdotium poterit promereri. De quo loco (si eo illum exactior ad bonos mores vita perduxerit) summum Pontificatum sperare debet.

IX. Alterum antiquitus necessum non fuisse omnes inferiores ordines percurrere, quum satis fuerit vel unum eorum suscepisse, ac in eo ministrasse. Certe ex modo producto Sardinensi Canone, ut quis potuisset ad Episcopatum promoveri satis erat, ut ante Diaconatum Lectorem egisset. Id etiam aperte produnt omnia pæne adlata antiqua Ecclesiastica monumenta, ac ipsi etiam Romani Pontifices Siricius, Innocentius, & Zosimus, qui non cuncta, sed unum vel alterum inferiorem ordinem indicant superioribus præmittendum. Lectoratus præ reliquis inferioribus ordinibus præcipue ratio habebatur, quod in ejus munere adimplendo magis sese proderet Clerici industria, ac inde facilius dignosci posset, quo quis animo ad Ecclesiasticum ministerium accessisset.

X. Jam vero exempla occurrunt Diaconorum, qui Presbyteratu haud suscepto, ad Episcopatum *quibus* promoti videntur. Id de Cæciliano scribit Optatus Milevitanus; de Athanasio Theodoretus, & Epiphanius; de Felice Pontifice Romano Socrates, & Theodoretus; de Agapeto, & Vigilio etiam Romanis Pontificibus, tum & de Petro Moggo, & de Isaia Episcopis Alexandrinis Liberatus Diaconus (18); demum alii de aliis.

## XI. Tum

---

(18) *Ex Optato Lib. I. Cæcilianus adhuc Diaconus Episcopus ordinatus est. Ex Theodoret. Lib. I. cap. 25. & ex Epiphan. Hæres. LXXIX. Athanasius princeps Diaconorum ad Alexandrinam Cathedralam evectus est. Ex Socrate Lib. II. cap. 37. & ex Theodor. Lib. II. cap. 17. post Liberium Felix ex ejus Diaconis Rom. Pontifex est constitutus. Ex Liberato Breviar. Cap. XVJ. & XVIII. Alexandria primum Moggus, qui fuerat Archidiaconus, dein quidam Diaconus nomine Isaïas ordinatus est Episcopus. Ex eodem Liberato ibid. cap. XXI. & XXII. Agapetus Archidiaconus Rom. Ecclesiæ Papa ordinatur . . . Vigilus Agapeti Diaconus favore Bellifarii ordinatus est.*

XI. Tum necessitate urgente ex inferioribus etiam ordinibus Subdiaconis, Lectoribus &c. Episcopi aliquando eligebantur. Augustinus *Epist. CCLXI.* ad Cælest. de Antonio quodam Fossulæ Episcopo scribit: *Ipsum præter Lectiōis officium nullis clericatus gradibus, & laboribus notum Episcopum fuisse ordinatum.*

XII. Immo & aliquando de ipsis laicis Episcopi electi sunt, quum nimirum Deus speciali sua Providentiâ eos, tanquam ad Episcopatum maturius idoneos, sibi elegisse videretur. Id Ambrosio Mediolanensi Antistiti accidisse omnes norunt, qui adhuc Catechumenus Infantis, vel satius Dei voce, Episcopus a multitudine adclamatus est. Idem de Eusebio Cæsareæ in Ponto Episcopo Basilii decessore tradit Nazianzenus (19). Denique Cyprianus, Pontio, qui ejus vitam conscripsit, auctore, & Nectarius Constantinopolitanus, Socrate, & Sozomeno referentibus, adhuc Neophyti Episcopi constituti sunt (20). Postremo Chrysostomus de Philogonio Episcopo Antiocheno idem videtur innunere, quum scri-

Tom. I.

V

bit

*Alia etiam ejusmodi exempla proferri possent. Satis esto subnectere insigne Leonis M. sententiâ Epist. LXXXIV. cap. 6. ubi de Metropolitanâ electione loquens in hunc modum statuit: Ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconis eligatur.*

(19) *Nazianz. Orat. XIX. de laud. Patr.* Plebs tota uno consensu primarii ordinis virum *Eusebium*, vita quidem, & moribus eximium, divino tamen baptismo nondum consignatum, invitum, & repugnantem corripientes... Episcopis obtulerunt, ab eisque petere instituerunt, ut eum initiarent, & Antistitem proclamarent, suasioni vim miscerentes.

(20) *Pontius Vit. Cyprian.* Ad officium Sacerdotii, & Episcopatus gradum adhuc Neophytus, & ut putabatur Novellus electus est. *Socrat. Lib. V. cap. 8. & Sozom. Lib. VII. cap. 8.* Hic *Nectarius* populo raptus adhuc mystica veste indutus communi totius Concilii calculis Episcopus Constantinopolis renuntiaur.



bit de sella iudicis in thronum Episcopi fuisse translatum. In productis sane exemplis admiranda Supremi Numinis Providentia intercessisse, ac omnia feliciter direxisse dicenda est.

XIII. Neque ejusmodi Ordinationes Ecclesiasticis Canonibus prorsus contrarias esse dicas; quippe hujusmodi Canones eo sensu intelligendi, ut nunquam eam exceptionem excluderint, quæ in antiquis quibusdam Canonibus adposita est, ac præcipue in *Can. Apostolico LXXX.* qui sic decernit: *Qui ex Gentibus accessit, & baptizatus fuit, aut ex prava vivendi ratione, non est æquum statim ad Episcopatum promovere. Iniquum enim est, eum, qui nondum specimen exhibuerit, aliorum esse Doctorem: nisi forte divina gratia id fiat.*

XIV. Porro licet non desint plures, ac Eruditi Auctores, qui contendant ejusmodi ordinationes eo pacto fuisse collatas, ut Diaconatus, ac etiam Presbyteratus haud raro omitteretur, ac quidam *ἐπίσκοπος* immediate ad Episcopatum eveherentur: at contra Thomassinus, Hallerius, alique censent producta exempla de electione intelligenda, haud vero de ordinatione: tum omissa fuisse Presbyteratus, aliorumve ordinum officia, sive ministeria, haud vero ordinum ritus, sive consecrationem. Id pluribus evincunt.

XV. Et sane 1. Athanasius, quem Epiphanius ex Diacono ad Episcopatum promotum scribit, Nazianzenus ad Alexandrinum thronum evectum tradit, quum omnem graduum seriem pertransisset: *πᾶσαν τὴν τῶν Βαδμῶν Ἀπολυτίαν διήξειλδῶν*: *Orat. I. in laudem Athanasi.*

2. Athanasius ipse *Apologet. II. Theodoret. Lib. II. Cap. 8. Socrates Lib. I. Cap. 20. Hiciræ Episcopatum irritum prorsus volunt, quod prius*

prius Presbyter non fuisset: *Hominem, qui ne Presbyter quidem erat, præter Majorum traditionem, Episcopum adpellaverunt, non quidem gnari quam hoc absurdum esset . . . Inane nomen ille Episcopi detinet.*

3. In Concilio Chalced. Part. III. Timothei in Episcopum Alexandrinum electio ea potissimum de causa rejecta, ac reprobata est, quod *priorem non habuerit Presbyteratus ordinem.*

4. Nazianzenus Orat. XX. Basilium adhuc Lectorem Presbyterum consecratum scribit. Atqui Socrates Basilii Diaconatum memorat (21). Igitur Nazianzenus Basilii diaconatum præteriiit, vel quod brevi tempore eo perfunctus sit, vel quod simul & Diaconatum acceperit, & Presbyteratum.

5. De Ambrosio scribit Socrates, ut modo vidimus, ipsum adhuc catechumenum ad Episcopatus dignitatem promotum. At Paulinus ejusdem Ambrosii Βιογράφος diserte tradit *Omnia Ecclesiastica officia implese, atque octava die Episcopum ordinatum.* Adhæc neque contrariæ sententiæ patronis Socrates favere videtur, cujus hæc sunt verba: *Ad Episcopatus dignitatem parant promovere.*

XVI. Igitur producta exempla de Diaconis, Clericis, ac etiam laicis ἀμύσως ad Episcopatum promotis vero oppido simile est hoc pacto accipienda, nimirum quod Episcopi quidem ἀμύσως designati sint; tum non ut reliqui ex Ecclesiæ canonibus singulos ordines ita acceperint, ut inter unum, & alterum longum temporis intervallum intercesserit, at

(21) Socrates Lib. IV. cap. 21. Ac Basilium quidem primum a Meletio Antiochenæ urbis Episcopo ad officium Diaconi promotus, inde ad patriæ suæ &c.

vero ob probatam vivendi rationem, virtutesque satis perfectas, urgente etiam necessitate, aut Ecclesiæ utilitate ad ordines omnes vel intra paucos dies, vel etiam in eadem missa initiati fuerint, antequam Episcopi consecrarentur. Id de Ambrosio jam vidimus, qui vix octo dierum spatio baptismum, ordines omnes, ac demum Episcopatum suscepit. Idem de Epiphanio scribit ejus Βιογράφος, de Pauliniano Epiphanius, de Cypriano Pontius (22), de aliis alii.

XVII. Huic conjecturæ maximum pondus adjiciunt Ecclesiastici Canones æque Orientales, ac Occidentales, quibus prorsus jubetur Diaconatum Presbyteratui, Presbyteratum Episcopatu omni præmittendum.

2. Photii testimonium, qui quum retulisset in quibusdam regionibus aliquando Episcopatum etiam diaconis conferri, qui Presbyteratu ante donati non fuerint, scribit: *Si quis apud nos Presbyteri consecrationem præteriens, Episcopi honore Diaconum adfecerit, utpote qui maxime deliquerit, condemnatur. Quorsum autem istuc, si apud Græcos mos ille aliquando viguerit?*

3. Postremo quum Græci Latinis objecissent, quod Diaconos ad Episcopatum promove-

---

(22) *Vita S. Epiphanii apud Surium ad diem 12 Maji cap. 34.* Eum itaque ordinat Diaconum, & rursus dat ei pacem, & ipsum ordinat Presbyterum. Rursus fit consequentia, & eum ordinat Episcopum. *Vox illa consequentia ἀκολουθία Missæ continuationem significat.*

*Epiphanius Epist. LX. inter Epist. Hieronymi.* Primum Diaconum ordinavimus, & compellentes eum ministrare... Et quum ministraret in sanctis sacrificiis, rursus eum, ingenti difficultate, tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum.

*Pontius in Vit. Cypriani.* Presbyterium, & Sacerdotium simul accepit. Quis enim non omnes honorum gradus credit tali mente credenti?

verent, ipsi utuntur verbis, quibus indicent presbyteratus officium, sive ministerium omis-  
sum, haud vero ordinationem, sive consecra-  
tionem. Quod quidem Nicolaus I. suo Re-  
scripto clarius significat. Eiusmodi enim cri-  
minationem in ipsos Græcos retorquet, quip-  
pe qui Photium ex laico suum Patriarcham  
consecrare moliti fuerint (23). Atqui constat  
ex Niceta *in Vita Ignatii*, Photium *primo die*  
*ex laico monachum, secundo die Lectorem, ter-*  
*tio Subdiaconum, quarto Diaconum, quinto*  
*Presbyterum, sexto demum die Episcopum fuis-*  
*se consecratum.*

§. IV. De Præcipuis quibusdam Legibus in  
*Episcopi electione servatis.*

XVIII. Ac primo illud per Canones firmiter  
statutum, ut Ecclesiæ, quæ suo viduata esset  
Pastore, quam celerrime prospiceretur novi  
Episcopi electione. Ecclesiæ Africanæ per  
unum annum ad summum vacare poterant.  
Ita Concilium Carthag. V. (24). Verum in  
aliis multo breviora temporis intervalla præ-  
scripta. Et sane *Canone XXV.* Concilii Chal-  
ced. præcipitur *intra tres menses Episcoporum*  
*ordinationes celebrari, nisi forte necessitas ine-*

V 3

vi-

(23) Nicolaus I. *Epist. LXX. ad Hincmarum*. Repre-  
hendere satagant, quod apud nos Diaconus non suscepto  
presbyteratus *Officio* Episcopus ordinatur, quum ipsi etiam  
illum, quum Patriarcham suum nominant e laico subito  
tonsuratum, ac monachum factum saltu ad Episcopatus  
apicem provehere &c.

(24) *Conc. Carthag. V. can. VIII.* Nulli intercessori li-  
citur sit cathedram, cui intercessor datus est, quibusli-  
bet populorum studiis, vel seditionibus retinere, sed da-  
re operam, ut *intra annum* eisdem Episcopum provideat.  
Hic Canon in Codice Africano confirmatus est: *Codex*  
*Can. Eccles. Afric. can. LXXIV.*

462 *Antiquit. Christian. Institut.*  
*vitabilis coegerit tempus dilationis extendi.*  
*Quod si hoc minime fecerit ( Metropolitanus )*  
*correctioni Ecclesiasticae subiacebit.*

XIX. Jam vero ex Epiphanio *Hæc. LXIX. num. 11.* & Liberato docemur Alexandriae morem obtinuisse, ut antequam mortuus Episcopus sepeliretur, novi statim Episcopi electio fieret (25). Eundem morem etiam Constantinopoli aliquando viguisse testatur Socrates: & quidem ne de eligendo Episcopo ambigeretur, eaque res tumultum in Ecclesia excitaret (26). Verum illud constat quandoque accidisse, ut Episcopi electio in paulo longius tempus differretur. In Africa tempore Collationis Carthag. non minus sexaginta Episcopatus eodem tempore erant vacui (27). Verum cur aliquando Sedes Episcopales longius vacarint in causa fuisse videtur, partim Populi negligentia, qui administratoribus contentus, ( quorum munere vicini semper aliqui Episcopi fungebantur ) ad electionem serius

---

(25) *S. Hieronymus Comment. in Epist. ad Titum:* Nam & Alexandriae a Marco Evangelista usque ad Heraclam, & Dionysium Episcopos presbyterum semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant. *Liberatus Brev. Cap. XX. in enarrandis hujusmodi circumstantiis multo accuratior est. Scribit enim, Alexandriae consuetudinem fuisse illum, qui defuncto Episcopo succedit, excubias super defuncti corpus agere, manumque dexteram eius capiti suo imponere, & sepulto, manibus suis accipere collo suo B. Marci pallium, & tunc legitime federe.*

(26) *Socrates Lib. VII. cap. 40.* Ne rursus de eligendo Episcopo ambigeretur, eaque res tumultum in Ecclesia excitaret, absque ulla cunctatione, nondum deposito Maximiani corpore, *Theodosius* Episcopis, qui aderant, mandavit, ut Proclum in Episcopali folio collocarent. . . . Itaque Proclus in Sede Episcopali collocatus, corpus Maximiani sepulturae tradidit.

(27) *August. Brev. Collat. prima diei cap. XIV.* Propter Cathedras, quas Episcopis vacuas apud se esse dixerunt. Responsum est a Catholicis, sexaginta esse, quibus successores Episcopi nondum fuerant ordinati.

rius animum admovebat: uti ex Canone Carthag. nuper. Not. 24. producto colligere datur; passim difficilis Ecclesiarum tempore persecutionum conditio. Episcopi enim ii erant, in quos præcipue furorem suum intendebant Persecutores. Clerus Romanus *Epist. XXXI. al. XXX.* apud Cypr. hanc ad Cyprianum perscripsit rationem, quamobrem post Fabiani martyrium non statim novum Episcopum elegerint: *Post excessum nobilissime memorie Fabiani nondum est Episcopus propter rerum, & temporum difficultates constitutus* (28). Propter eandem causam Ecclesiam Carthaginiensem durante Persecutione Ariana sub Genserico, & Humerico duobus hæreticis Vandalorum Regibus non minus vigintiquatuor annorum spatio vacasse refert Victor Uticensis (29).

XX. In Episcopi cujusdam electione ille mos antiquitus perpetuo est servatus, ut Metropolitanus per circularem Epistolam omnes provinciales Episcopos ad eam civitatem, cui Episcopus præficiendus esset, invitaret, qui ejus ordinationi adfisterent. Unde Cyprian. *Epist. LXVIII. al. LXVII. ad Fratres Hisp.* scribit: *Quod apud nos quoque, & fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas Episcopi ejusdem provincie proximi quique conveniant.* Tum Concil.

V 4

Chal-

(28) *Cathedram Romanam post Fabiani Martyrium Baronius annum unum, & menses tres, Pearsonius annum unum, & menses quinque vacuam fuisse censent: ac in utraque sententia ultra tempus a Conciliis statutum vacasse dicenda est. Confer Baronium ad ann. CCLIII. num. 6. & Pearsonium Annal. Cypr. ann. CCL. num. 3. & ann. CCLI. num. 6.*

(29) *Victor Uticen. de Pers. Vand. Lib. II. Dedit autem licentiam, Zenone Imperatore, atque Placidia relicta Olibrii rogantibus, ut Carthaginienfis Ecclesia sibi quem vellet Episcopum ordinasset, quæ tum per XXIV. annos tali ornamento fuerat destituta.*

Chalced. *Act. XVI.* legitimam vocat ordinationem; *Si quis Episcopus ordinatus sit ab omnibus, aut pluribus provinciae Episcopis.* Præterea Eusebius speciatim Alexandri Episc. Jerosol. & Conc. Constantinopolitanum Flaviani Episc. Antiocheni, & Cyrilli Episc. Jerosol. ordinationes ceu legitimas & canonicas inde demonstrant, quod consentientibus, & congregatis vicinarum civitatum Episcopis ordinati sint (30). Profecto antiqua Concilii Nicæni lex est: *Episcopum convenire maxime quidem ab omnibus, qui sunt in provincia, Episcopis ordinari: Can. IV.*

XXI. Verum omnium provinciae Episcoporum præsentia necessaria non erat, quum duntaxat consensus, quem per Epistolas declararent, satis esset. At tres Episcopi adstante, vel consentiente Metropolitano ad ritum consecrationis peragendum omnino requirebantur. Qua de re Concilium Nicænum *indic. Can. IV.* statim subnectit: *Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut itineris longitudinem: tribus tamen omnimodis in id ipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc ordinationem celebrari.*

XXII. Equidem fateor Canones, & Constitutiones sic dictas Apostolicas statuere, ut  
Epi-

---

(30) *Eusebius Lib. VI. cap. 11.* Quod quum illi Jerosolymitani consentientibus vicinarum Ecclesiarum Episcopis fecissent, manere deinceps cum apud se coegerunt. *Concil. Constantinopolitanum Epist. Synod. apud Theodoretum Lib. V. cap. 9.* Episcopum Flavianum Provinciae simul, & Diocesis Orientalis convenientes Episcopi canonicè ordinarunt, tota Ecclesia consentiente, & quasi uno ore virum laudante. Quam quidem legitimam ordinationem Synodus quoque universalis comprobavit. Matris vero Ecclesiarum omnium Jerosolymitanæ Cyrillum Episcopum esse significamus; qui canonicè olim fuit ab Episcopis provinciae ordinatus.

*Episcopus a duobus, vel tribus Episcopis ordinatur: Can. Apost. I. Constit. Apost. Lib. VIII. cap. 17. Verum hoc omnibus aliis Synodorum Canonibus repugnat. Concilia Arelatense I. Can. XX. & Carthaginense III. Can. XIX. manifeste præcipiunt, ut Episcopus non minus quam a tribus Episcopis a Metropolitano directis ordinetur: quinimmo Arelatensis II. Canone V. sancitum legitur: Nec Episcopus Metropolitanus sine tribus Episcopis Comprovincialibus præsumat Episcopum ordinare. Hinc in Synodo Arausiana I. pœnæ statutz sunt adversus Episcopos, qui pauciores, quam tres, non expetitis Provincialium litteris, Episcopum ordinare præsumferint (31). Istæ communis quidem erat Ecclesiæ praxis. Qua de re Theodoretus Lib. V. cap. 23. quum loquitur de ordinatione Evagrii in Episcopum Antiochenum, scribit: *Evagrius contra Ecclesiasticas Regulas ordinatus est. Solus enim Paulinus eum elegerat, multos simul Canones transgressus. Et Synesius Epist. LXVII. Siderii Episcopi Palestinz ordinationem describens; Nec ipsum, inquit, legitime creatum Episcopum, immo contra jura omnia quantum de senioribus accepi: quum neque Alexandria sit, nec a tribus heic constitutus, quamvis illinc ordinandi facta esset potestas. Etenim solum beatæ memoriæ Philonem ausum esse collegam suum Episcopum renuntiare. Unde Novatianus ad evitandam illegitimæ ordinationis objectionem,**

V 5.                      quum.

---

(31) *Conc. Arausic. l. can. XXI* Sicubi contigerit duos Episcopos Episcopum invitum facere, auctoribus damnatis, unus eorum Ecclesiæ ipse, qui vim passus est, substituat, si tamen vita respondet: & alter in alterius dejectione nihilominus ordinetur. Si voluntarium duo fecerint, & ipse damnabitur, quo cautius ea, quæ sunt antiquitus statuta, serventur.



quum Romæ se Episcopum contra Cornelium obtruderet ex extremis Italiæ finibus tres Episcopos homines plane rudes, & simplices fraudulenta quadam molitione decipiens ad sui ordinationem arcessit: Cornelius Epist. ad Fabium apud Eusebium Lib. VI. cap. 43. At tamen ubi contigisset Episcoporum ordinationes a duobus, vel etiam ab uno Episcopo fuisse peractas, irritæ, seu invalidæ habitæ non sunt; immo, & aliquando confirmatæ; præsertim ubi Ordinati Ecclesiæ utiles dignicerentur. Hinc licet Siderius Palebisæ Episcopus, & Evagrius Episcopus Antiochenus ab uno fuerint Episcopo consecrati, eorundem tamen ordinationes non modo rejectæ non fuerunt, verum & adprobatæ; quinimmo Athanasius quum deprehendisset Siderium strenuum virum esse, & majoribus rebus gerendis idoneum, illum metropolitanæ Ptolemaidis Ecclesiæ gubernandæ destinavit (32).

XXIII. Postremo quilibet Episcopus secundum Canones, ac veterem Ecclesiæ morem in sua ipsius Ecclesia præsentem Populo ordinandus erat: id quod luculenter indicatur a Cypriano, Cælestino, Augustino, aliisque (33);

ac

---

(32.) *Synodus Epist. LXVII.* Hunc solum venientem ferunt beatum Siderium creasse, & in throno collocasse. Sed formidolosis temporibus summum jus prætermitti necesse est. Ideo magnum illum Athanasium id tempore dedisse, ac non multo post, quum exiguam adhuc orthodoxæ fidei scintillam, quæ in Ptolemaide erat, fovere, ac magis magisque oporteret accendere, hominem illum majoribus rebus gerendis idoneum eo commigrare iussisse, ut Metropolitanam Ecclesiam gubernaret.

*Theodor. Lib. V. cap. 23.* Quum Evagrius in locum illius Paulini subrogatus fuisset . . . idque, tamen si Evagrius contra Ecclesiasticos Canones ordinatus fuisset. Solum enim Paulinus eum elegerat.

(33.) *Cyprianus Epist. LXVIII. et LXVII.* Ad ordinationes rite celebrandas, ad eam Plebem, cui Præpositus

et

ac præcipue Augustinus; qui & ipse in sua ipsius Ecclesia Hippone fuerat ordinatus; tum, Fussulæ Episcopatu erecto, quum Episcopum elegisset, *propter hanc ordinandum, Sanctum Senem, qui tunc Primum Numidiæ gerebat, de longinquo ut veniret rogans, litteris impetravit: Epist. CCLXI.* Ejusmodi mos per universam Ecclesiam adeo obtinebat, ut Julius Papa adversus Gregorium Alexandrinum fortiter obstitit, quod Antiochiæ Episcopus consecratus esset, quum secundum Ecclesiasticos Canones in ipsa Ecclesia Alexandrina ab Episcopis Provinciæ illius consecrari oportuerit: Julius P. *Epist. apud Athanasium Apolog. II.*

---

ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur plebi præsentate.

*Cælestinus Epist. II. ad Episc. Narbon. num. 3.* Alter in alterius provinciâ nihil præsumat: nec emeritis in suis Ecclesiis Clericis peregrini, & extranei præponantur.

*Leo M. Epist. LXXXIV. cap. 6.* Metropolitanò defuncto quum in locum eius alius fuerit subrogandus, provinciæ Episcopi ad civitatem Metropolitanam convenire debent, &c.

## C A P U T XXII.

### De Sacris Episcoporum Electionibus.

#### §. I. De Singularibus quibusdam homines ad Episcopatum designandi modis.

I. **E**Xplicatis hætenus omnibus Clericorum primi Ordinis, sive Episcoporum in Ecclesia primitiva gradibus, necnon diversis officiis, diversisque eis adnexis functionibus, recta methodus postulare videtur, ut de variâ homines ad Episcopatum designandi ratione agamus. Ac primo Apostolica, eique proxime

in secuta ætate quatuor potissimum fuisse videntur modi, quibus Episcopi designarentur, sive potius declararentur, quinam præ ceteris digni essent, qui ad Episcopatum promoverentur. Horum primus fiebat *sortitione*. Alter *selectione primitiarum ex conversis gentilibus*. Tertius *speciali mandato, & inspiratione Spiritus S.* Quartus tandem *via ordinaria examinationis, & electionis*.

II. Prior in Matthiæ ad Apostolatam designatione observatus fuit, uti legimus Actuum *I. Dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam*. In explicanda istac sortitione Veteres valde dissentiant; quoniam plerique Deum per visibile aliquod signum Matthiam, præ Barfaba sibi elegisse arbitrantur: alii contra revera per sortem, hoc est per veri nominis sortitionem ab Apostolis electum statuunt. Nostri Instituti ratio non fuit, ut in hac discutienda quæstione vel paululum immoremur: illud heic duntaxat observare absque non esse ducimus, nimirum non deesse in veteri Ecclesiastica Historia aliqua, licet pauca ejusmodi exempla: præsertim in Hispania istac communis videtur fuisse consuetudo. Id ex quodam Concilii Barcinonensis Canone colligere possumus, ubi post plura ad Episcoporum electionem spectantia istac subnectuntur: *Duobus, aut tribus, quos, ante consensus Cleri, & plebis elegerit, Metropolitani judicio, ejusque Coepiscopis presentibus, quem Sors, præeunte Episcoporum jejunio, Christo Domino terminante, monstraverit, benedictio consecrationis adcumulet.*

III. Altera Sacræ electionis ratio erat per selectionem primitiarum ex conversis gentilibus; ita ut ad ministerum eveherentur illi, qui ferventiorum præ ceteris in suscipiendo Evangelio caritatem præferentes, magis idoneos

neos ad Fidem Christianam tuendam sese prode-  
debant. Ejusmodi electionis exempla occur-  
runt, tum in Epistola Clementis Rom. ad *Co-  
rinth.* (1) tum in Epistola Personati Clemen-  
tis ad *Jacobum Ep. Jerosolymitanum.*

IV. Tertius Sacros ministros eligendi modus  
erat per speciale Sp. S. mandatum: hac ra-  
tione haud paucos primis illis Ecclesiae tem-  
poribus ordinatos novimus: uti Paulus, &  
Barnabas, Timotheus, Ecclesiarum Asianarum  
Clerici, quos S. Joannes ex Patmo Insula re-  
dux factus ordinavit, id adtestante Clemente  
Alex. (2). Tum Alexander Jerosolymorum  
Episcopus ex Eusebio (3), Alexander itidem  
sic dictus *Carbonarius* ex Nysseno (4), Atha-  
nasiaus ex Apollinario Syro apud Sozomenum  
(5), Fabianus Rom. Pontifex ex Eusebio (6),  
abique eadem prorsus via, & ratione ad Epi-  
scopale munus evecti sunt. Profecto hujusmo-  
di exempla haud rara fuisse indicat insigne  
S. Cypriani testimonium, qui ad *Clerum, &  
plebem suam* scribens hæc habet: *In ordinan-  
dis Clericis, fratres carissimi, solemus vos an-  
te consulere, & mores, ac merita singulorum  
communi consilio ponderare: sed expectanda non  
sunt*

(1) *Clemens Rom. ad Corinth.* num. XLII. Apostoli per-  
regiones, & urbes verbum predicantes primitias eorum  
spiritu probantes Episcopos, & Diaconos eorum, qui cre-  
dituri erant, constituerunt.

(2) *Actuum XIII.* 2. Dixit Spiritus Sanctus: Segregate  
mihi Saulum, & Barnabam in opus ministerii. *I. ad Ti-  
motheum* 4. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ  
data est tibi per prophetiam. *Chrysostomus hæc:* Quid est,  
ea prophetia? Ex Spiritu Sancto. *Clement Alex. apud  
Eusebium Lib. III. cap. 23.* Ut unumquemque eorum, quos  
Spiritus designaret, in Clerum cooptaret.

(3) *Eusebius Lib. VI. cap. 11.*

(4) *Nyssenus Orat. de S. Gregorio Thaumaturgo.*

(5) *Apollinarius Syrus apud Sozomenum Lib. II.  
cap. 17.*

(6) *Eusebius Lib. VI. cap. 29.*

470 *Antiquit. Christian. Institut.*  
*sunt testimonia humana, quum procedunt di-*  
*vina suffragia.*

§. II. *De Communiori Sacrarum*  
*Electionum Methodo.*

V. Quartus, & communior, magisque ordinarius Episcopus designandi modus erat per ordinaria suffragia, & electionem Ecclesiae, quæ methodus generatim tam adcurata erat, ac tantopere adprobata, ut Alexander Severus Imperator, licet gentilis, eam tum laudibus extolleret, tum sibi imitandam proponeret in civilium Magistratum electione: uti testatur Lampridius (7).

VI. Jam vero gravis inde, eademque difficilis exoritur quæstio: nimirum quamnam antiquitus potestatem Plebs habuerit in Clericorum, ac præcipue Episcoporum electione. Quidam parum, quidam vero nimium plebi dare videntur, alii inter Episcoporum electionem, & electionem ceterorum Clericorum distinguunt; tum alii diversam hac in re praxin Ecclesiae Antenicænæ a praxi Ecclesiae Postnicænæ fuisse statuunt: alii demum aliud sentiunt. Verum quid in hoc Antiquæ Ecclesiasticæ Disciplinæ Capite nobis vero similis videatur, heic breviter constituimus.

§. III.

---

(7) *Lampridius Vit. Alex. Severi cap. XLV.* Ubi aliquos voluisset vel rectores provinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, idest rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus; si non probasset, subiret poenam capitis: dicebatque grave esse, quum id Christiani, & Judæi facerent in prædicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt.

## §. III. De electione Episcoporum per octo priora Ecclesie secula.

VII. Hoc temporis spatium ad electionem æquo aliquid conferebant Metropolita, Synodus Provinciæ, Clerus, & Plebs; eo tamen ordine, ut Plebs proponeret, peteret, testaretur: Clerus vota, petitiones, testimonia Plebis expenderet, expensis aut accederet, aut refragaretur, ac Plebem ad alium designandum diverteret, dirigeretque: Synodus provinciæ electionem a Plebe, Cleroque peractam examinaret, iudicioque suo confirmaret: Metropolita denique adstantibus saltem duobus, aut tribus Provinciæ Episcopis selectum consecraret. Quod quidem communi jure receptum patet ex omnium Ecclesiarum prisca consuetudine (8).

Et quidem 1. de Romana Ecclesia id innuit Cyprianus de Cornelio Papa loquens Lib. II. Ep. II. *Factus est Cornelius Episcopus de Dei, & Christi ejus judicio, de Clericorum pæne omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & honorum virorum collegio.*

2. De Africana tum ipse Cyprianus Lib. I. Ep. IV. *Quum ipsa, inquit, maxime plebs habeat potestatem, vel eligendi dignos Sacerdotes,*  
vel

(8) Eiusmodi OEconomia servata quoque videtur ab Apostolis in Diaconorum electione, quæ Actorum VI. in hunc modum describitur: Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto, & sapientia, quos Constituimus super hoc opus. Profecto quis non videt heic non nisi vota, petitiones, testimonia Plebi concessa, reliqua Apostolis reservata?

vel indignos recusandi: tum & Concilium Carthag. IV. Can. I. Cum consensu clericorum, & laicorum, & conventu totius Provinciae Episcoporum maximeque Metropolitanis vel praesentia, vel auctoritate ordinetur Episcopus (9).

3. De Alexandrina testatur Theodoretus Lib. IV. cap. 22. rejectum a Petro Alexandrino Lucium, quod non in Orthodoxorum Episcoporum Synodo, non suffragio legitimorum Clericorum, non postulatione plebis electus fuerit sicuti Ecclesiasticae leges requirunt.

4. De Caesareensi in Cappadocia refert Nazianzenus Orat. XIX. de Eusebio, quod quum in plures sententias multitudo distraheretur, aliique alium proponerent (quemadmodum in hujusmodi rebus fieri consuevit) . . . tandem plebs tota uno consensu primarii ordinis virum in sacrario collocarunt, & Episcopis obtulerunt, ab iisque petere instituerunt, ut eum initiarent, & Antistitem proclamarent. Et Basilii Ep. XXVIII. ad Neocaesareenses: Nunc vestrum quidem est petere animis a contentione, & ambitione repurgatis, Domini vero ostendere.

5. De Asia universa idem innuit Julius I. Ep. ad Orientales apud Alban. Apol. II. ubi  
Gre-

(9) Eandem disciplinam non modo in Africa, verum & per omnes fere provincias fuisse servatam Cyprianus ipse disertius testatur Epist. LXVIII. Diligenter de traditione Divina, & Apostolica observandum est, & tenendum, quod apud nos quoque, & fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui Praepositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciae proximi quique conveniant, & Episcopus eligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit . . . ut de universae fraternitatis suffragio, & de Episcoporum judicio Episcopus ei deferretur. Hic sane Cyprianum testimonium plebi, suffragium Clero, Synodo Episcoporum judicium, sive confirmationem tribuere nullus vel subdubitaverit.

Gregorium in Alexandrinam sedem ab Ariani intrusum ea de causa rejicit, quod homo externus non illic baptizatus, nec a Presbyteris, vel Episcopis, vel a plebe postulatus fuerit.

6. De Oriente testem habemus Synodum OEcumenicam Constantinopolitanam I. Ep. ad Damasum, in qua hæc habentur: *Nectarium in Concilio Generali communi omnium consensu, presente Imperatore, totius denique Cleri, totiusque Civitatis suffragiis, Episcopum constituimus.*

7. Eadem quoque disciplina in Ecclesiis Galliarum vigeat. Id quod evincitur ex Synodi Aurelianensis III. Can. III. *De comprovincialibus ordinandis cum consensu Metropolitanæ, cleri, & civium juxta priorum Canonum statuta, voluntas, & electio requiratur.*

8. Tum & in Hispaniis. Ita Concilium Toletanum IV. Can. XVIII. *Nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec populus propriæ civitatis elegit . . . Quicumque ergo deinceps ad ordinem Sacerdotii postulatur . . . cum omnium clericorum, vel civium voluntate ab universis comprovincialibus Episcopis, aut certe a tribus in Sacerdotem die Dominica consecrabitur.*

9. De Ecclesia Mediolanensi testis producatur Theodoretus, qui Lib. IV. cap. 7. Ambrosii electionem referens hæc habet: *Cives illius urbis tumultuabantur, dum alii hunc, alii illum ordinari contenderent . . . omnes una voce clamare cœperunt, Ambrosium sibi Pastorem constitui poscentes.*

10. In nostra quoque Neapolitana Ecclesia eandem obtinuisse consuetudinem colligimus ex pluribus Gregorii M. Epistolis, ac præsertim ex VIII. Lib. X. *Nec novum, inquit, nec reprehensibile est in eligendo Episcopo populi se vota in duas partes dividere; sed grave est,*  
quod



quod in hujusmodi caussis non iudicio, sed de solo favore venit electio . . . cum decreto a vobis facto ad nos eum venire necesse est, ut de vita, moribusque ipsius sollicitius inquirentes vestra in eo, adjuvante Domino, desideria compleamus.

II. Postremo de toto Occidente, immo vero de Ecclesia universa testatur, & sanxit Leo M. pluribus in locis. Ep. X. cap. 6. *Per pacem, & quietem Sacerdotes, qui futuri sunt, postulentur. Teneatur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus, & plebis. Qui presuturus est omnibus eligatur.* Tum Ep. LXXXIV. ad Anastasium cap. 5. *Quum de summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus preponatur, quem cleri plebisque consensus concorditer postularit . . . expectarentur vota civium, testimonia populorum, quaereretur honoratorum arbitrium, electio clericorum: quæ in sacerdotum solent Ordinationibus ab his, qui noverunt Patrum regulas, custodiri. Et Ep. ad Rusticum cap. 1. Nulla ratio finit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec a Clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus Episcopis cum Metropolitanis iudicio consecrati. Idem jam antea constituerat Cælestinus Ep. II. cap. 5. Nullus invitis detur Episcopus. Cleri, plebis, & Ordinis consensus, & desiderium requiratur. Nihil hisce clarius, disertius nihil.*

VIII. Cur autem Plebis & votum, & petitio, & testimonium prisco jure requireretur non una, sed multiplex causa intercessit. 1. Ut arcerentur indigni, quorum mores plebs reprobaret: *Episcopus*, ait Cyprianus Epist. LXVIII. *deligatur plebe presente, quæ singulorum vitam plenissime novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione prospexit.*

2. Ut facilius optimi quique vulgo probati di-

dignoscerentur : Origenes *Hom. II. in Levit.* populi præsentiam in Christianorum Antistitum electionibus requisitam scribit, ut constaret optimos quosque ad Sacerdotia promoveri : & S. Cyprianus *Lib. I. Ep. IV.* expresse docet ordinationes Sacerdotales nonnisi sub populi adstantis conscientia fieri oportere, ut plebe præsentem, vel detegantur malorum crimina, vel honorum merita prædicentur, & sit ordinatio iusta, & legitima, que omnium suffragio, & iudicio fuerit examinata. Ad rem quoque facere videtur Tertullianus in *Apolo.* cap. 39. *Præsident apud nos probati quique seniores honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.*

3. Ne populo invito daretur Episcopus : S. Leo M. *indicata Ep. ad Anastasium* : *Quum de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri, Plebisque consensus concorditer postularit . . . nullus invitis, & non petentibus ordinetur, ne plebs invita Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit.* Et in *Ep. LXIX. ad Episc. Vienn.* *Exspectarentur, inquit, vota civium, testimonia populorum, quaereretur honoratorum arbitrium, electio clericorum . . . qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur.* Quinimmo quum aliquando fieret, ut Plebs, & Episcopi in contraria consilia scinderentur, Episcopi contra ipsam animi sui sententiam ad suffragia plebis se conformare consueverunt, uti ex Martini Turonici, Episcopi cujusdam Cyziceni ab Demophilo Constantinopolitano ordinati, aliorumque electionibus comprobatur (10).

IX.

(10) Ex Sulpitio Severo *Vit. Martini cap. VII.* quum nonnulli provinciales Episcopum Episcopi Martini in Turonicum electioni repugnarent, ac præcipue quidam nomine Defensor

IX. Verum id prudentia suadente factum esse recte dici quiverit, quum ex adverso haud raro plebis petitio omnino ab Episcopis rejecta sit: unde Cælestinus I. qui *Epist. II.* ad Episcopos Galliae; *Nullus*, ait, *invitis detur Episcopus; Cleri, Plebis, & Ordinis consensus requiratur*. Idem ipse Pontifex ad Episcopos Apuliae, & Calabriae *Ep. IV. Docendus*, inquit, *populus est, non sequendus: nosque, si nesciunt, eos quid liceat, quidve non liceat, commonere, non his consensum præbere debemus*.

X. Verum quum secutis temporibus plebs inter se divisa, & dissentiens plerumque in coitiones, factiones, & interdum etiam in cruentos tumultus erumperet, uti in electione Damasi Papæ accidisse narrant Socrates, & Ammianus Marcellinus (11), hinc pro turba advocati sunt proceres, & magistratus; nec tamen omnino plebs exclusa: unde S. Gregorius M. Epistolas dedit *Clero, Nobilibus, Ordini, & Plebi Neapolitanæ* eos hortando, ut Episcopum eligerent, qui eam non dedecoraret sanctissimam dignitatem. Eadem de causa Epistolas quoque dedit *Ursicino Duci, Clero, Ordini, & Plebi Ariminensi; Clero, Ordini, & Ple-*

---

*accidit fortuito, ut ex Libro Psalmorum legeretur: Ex ore infantium, & lactentium percipisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum & DEFENSOREM. Quo audito statim clamor populi elatus est Martinum Episcopum adclamantis. Philestorgius Lib. IX. cap. 13. Neminem alium ad Episcopatum promoveri passi sunt Cyziceni, nisi quem ipsorum suffragia prætulissent.*

(11) *Ammianus Marcell. Lib. XXVII. cap. 3. Damasus, & Ursicinus supra humanum modum . . . scissis studiis conflictabantur, ad usque mortis, vulnorumque discrimina adjumentis utriusque progressis. Socrates Lib. IV. cap. 29. tot.*

Plebi *Perusinae*; Clero, Ordini, & Plebi *Ne-*  
*piensi* (12).

XI. Jam vero neque in Gallia ad IV. usque Sæculum ab Episcoporum electionibus plebs prorsus exclusa. Id ex pluribus Conciliorum, quæ per eas regiones celebrata sunt, Canonibus evincitur. Profecto Concilium Parisiense V. *Can. I.* decernit: *Decedente Episcopo in loco ipsius debet ordinari, quem Metropolitanus, a quo ordinandus est, cum Provincialibus suis, Clerus vel populus civitatis absque ullo commodo, vel datione pecuniæ elegerint.* Ejusmodi Decretum regio Clotarii II. diplomate confirmatum est. Concilium Remense sub Dagoberto Rege *Canone XXV.* eandem sancit legem: *Ut decedente Episcopo in locum ejus non alius subrogetur, nisi loci illius indigena, quem universale, & totius populi elegerit vorum.* Unde Desiderius ipsius Dagoberti Thesaurarius Cadurcensis Episcopus creatus est, quod ipsum Abbates, Clerus, & Populus ejus civitatis postulassent: *Dum Civium, Abbatumque Caducorum consensus hoc exposcit &c.* Adclamante Clero, vel Populo &c. Tum Nicetius sub Childeberto Rege Episcopus Lugdunensis ordinatus dicitur *pleno Regis, & Populi suffragio.*

## XII.

(12) *Synodus Laodicensis can. XIII. jam decreverat: Quod non sit permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium provehendi. Porro ejusmodi Canone plebem ab Episcoporum electione non fuisse prorsus submotam, sat evincit disciplina in Ecclesia æque Latina, ac Græca ad Sæculum usque VI. perpetuo servata, qua plebs una cum clero ad Episcoporum electionem admissa est. Igitur Canonis Laodicensis ea dubio procul sententia fuisse dicenda est, nimirum tumultuantem plebem ab electione Episcopi esse ejiciendam. Atque id fortasse in causa fuit, cur Justinianus Novella CXXIII. cap. I. statuerit: Quoties opus fuerit Episcopum ordinari, Clericos & Primate civitatis cujus futurus est Episcopus ordinari, mox in tribus personis Decreta tacere, propositis eis sacrosanctis Evangeliiis &c.*

XII. Quod vero ejusmodi disciplina in Gallia ad IX. usque sæculum viguerit aperte liquet ex Epistola Hincmari Remensis ad Hedenulphum Laudunensem Episcopum, qua eum hortatur, ut maturam Episcopi Cameracensis electionem procuret: *Affiduis, inquit, hortationibus Clerum, plebemque Ecclesie publice admonere festines, ut remoto privato studio uno, eodemque consensu talem sibi præficiendum expectant, ac eligant Sacerdotem, qui &c. Sed & laici Nobiles, ac cives adesse debebunt: quoniam ab omnibus debet eligi, cui ab omnibus debet obediri.*

XIII. Eandem disciplinam Neapolitanam quoque Ecclesiam ad IX. usque Sæculum servasse, tum nuper indicatæ S. Gregorii M. Epistolæ indicant, tum vel maxime monumenta produnt a Bartholom. Chioccar. *de Episc. & Archiep. Neap.* producta in quibus Episcoporum postremus S. Athanasius occurrit medio Sæculo IX. ab universo Clero, & Populo electus.

XIV. Porro per eadem tempora apud Græcos plebs ab Episcoporum electionibus jam submotâ videtur: *Canone enim XXII. Synodi OEcumenicæ VIII. in hunc modum sancitur: Neminem laicorum Principum, vel Potentum semet inferere electioni vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitanæ, ac cujuslibet Episcopi, ne videlicet inordinata hinc, & incongrua fiat confusio, vel contentio: præsertim quum nullam in talibus potestatem quemquam potestativorum, vel ceterorum laicorum habere conveniat, sed potius silere, ac attendere sibi usquequo regulariter a collegio Ecclesie suscipiat finem electionis futura Pontificis. Igitur Canone Laodicensi, & Novella Justiniana nuper productis primum plebs tumultuans exclusa, ejusque jus ad Honoratos, sive Prælates civitatis translatum:*

tum: tandem cujuscunque conditionis Laicis prolato Constantinopolitano Canone prærogativa illa omnino denegata est.

XV. Ad Romani quoque Pontificis electionem saltem ad Sæculum usque VIII. non Optimates modo, verum & plebem concurrisse patet ex Diurno Romanorum Pontificum, in quo prostat Decretum de electione Pontificis, cui subscribunt *Clerus, Optimates, & Milites, & Cives*. Dein exhibentur relatio de electione Pontificis ad Exharchum, atque exponitur, quod defuncto Pontifice *triduo ab ejus obitu, divina gratia suffragante, & omnium animis inspirante, in unum convenientibus omnibus, ut moris est, a parvo usque ad magnum in personam sanctissimi hujus Sanctæ, & Apostolicæ Sedis Romanæ Ecclesiæ Archidiaconi Deo cooperante, & BB. Apostolorum annisu, concurrerit, atque consenserit electio*. Joannes Garnerius, qui ejusmodi Librum Diurnum edidit, ac notis, & observationibus illustravit, demonstrat indicatum Decretum, & relationem ad Exarchum spectare ad electionem Gregorii II. qui circiter annum 714. in locum Constantini electus fuit. Atque adeo Onophrius Panvinius in *Notis ad Platinam in Vita Innocentii II.* contendit eandem electionis formam per Clerum, & Populum servatam fuisse in Ecclesia Romana ad usque tempora ejusdem Innocentii II. atque primum *sine ullo populi interventu* Papam creatum esse, mortuo Innocentio II. Cælestinum II. medio Sæculo XII.

XVI. Quin & aliquando, ne Plebs in incerta diffunderet, tres ab Episcopis nominati sunt, data Clero & Plebi optione unum ex tribus eligendi: Conc. Arel. II. Can. LIV. *Tres ab Episcopis nominentur, de quibus clerici, vel cives erga unum habeant eligendi facult-*

480 *Antiquit. Christian. Institut.*  
*cultatem*. Idem quoque sancitur Concilii Bra-  
car. *Can. III.* Uti ex aduerso quandoque plebi  
datum est tres eligere personas, ex quibus  
melior seligeretur electione, & iudicio ordi-  
nantis: *Leg. XLII. Cod. de Episc. Presenti*  
*lege sancimus, ut quoties in qualicumque civi-*  
*tate sacerdotalem sedem vacare contigerit, de-*  
*cretum fiat ab his, qui eam civitatem inco-*  
*lunt, super tribus personis recte fidei . . . ut*  
*ex ipsis idoneior ad Episcopatum promovea-*  
*tur.*

§. IV. *De Extraordinariis quibusdam*  
*Episcopos eligendi Rationibus.*

XVII. Quæ superiori §. tradita est commu-  
nior Episcopos eligendi ratio suas aliquando  
passa est vicissitudines, quippe nonnullis de  
caussis a recepta consuetudine abscedere in-  
terdum oportuit. Eas heic brevi enumerabi-  
mus. 1. Quum cuiusdam Ecclesiæ pars maxi-  
ma in Hæresim, vel in Schisma incidisset, ei  
quidem Episcopus præficiebatur non modo si-  
ne populi consensu, verum & plerumque eo  
contradicente. Istuc in Oriente ob Arianam  
hæresim, & in Africa ob Schisma Donatista-  
rum præcipue accidit, uti ex binis Synodi  
Antiochenæ Canonibus, & ex Collatione Car-  
thaginensi manifestum est (13).

2. Ple-

---

(13) *Conc. Antiochenum can. XVII.* Si quis Episcopus  
accepta ordinatione, & manuum impositione Episcopi, &  
populo præesse iustus, nec, ut ad concreditam sibi Eccle-  
siam proficiscatur, persuaderi possit &c. *Et can. XVIII.*  
Si quis ordinatus non ierit in parochiam, ad quam est  
ordinatus, non sua quidem culpa, sed propter populi re-  
cusationem &c.

*Collatio Carthag. cap. CLXXXII.* Petilianus dixit *Al-  
pio Episcopo Catholico*: Sic etiam tu multos habes per  
omnes agros dispersos; immo crebros ubi habes, sane &  
*sine populo habes.*

2. Plebis suffragia non excipiebantur, quum Episcopi ordinarentur pro locis diuisis, vel nationibus barbaris. Exemplo sit Frumentius, qui Alexandriae Indorum Episcopus ordinatus est (14).

3. Si quis Interventor, vel alius quilibet Episcopus sine Synodi Provincialis consensu semetipsum in Sedem aliquam intruderet, in ejusdem Sedis possessione manere non permittebatur, etiamsi universus populus in ejus electionem conspirasset. Id præscribunt Synodi Antiochena, & Carthag. V. (15).

4. Si populus in electione in factiones, divisionesque scinderetur, neque consentientibus animis in unum conspirarent; nulla quidem ipsius ratio habebatur. Id in electione Joannis Episcopi Cabilonensis accidisse testatur Sidonius Apollinaris (16).

(14) *Socrates Lib. I. cap. 19.* Athanasius ipsum Frumentium Episcopatum suscipere hortatur, adserens nullum se habere ad hoc munus aptiorem ipso. Atque ita factum est. Frumentius ergo Episcopali apice decoratus ad regionem Indorum revertitur. *Idipsum testantur etiam Rufinus Lib. I. Cap. 9 & Theodoret. Lib. I. Cap. 21.*

(15) *Conc. Antiochenum can. XVI.* Si quis Episcopus vacans in vacantem Ecclesiam irrumpens Sedem arripuerit absque perfecta Synodo, is sit ejectus, etiamsi omnis populus, quem invasit, eum elegerit. *Concilium Carthag. V. can. VIII. Vide Notam 24. cap. super.*

(16) *Sidonius Apollinaris Lib. IV. cap. XXV.* Strepitu furentis turbæ despecto, Episcopi junctis repente manibus arreptum, nihilque tum minus, quam quæ machinabantur optantem, suspicantemque Sanctum Joannem virum honestate, humanitate insignem . . . stupentibus factiosis, erubescens malis, adclamantibus bonis, reclamantibus nullis collegam sibi consecraverit.



§. V. *De confirmatione, & Consecratione  
per octo priora Ecclesiæ secula.*

XVIII. Ubi Clerus, & Plebs de novo eligendo Episcopo inter se convenissent, Metropolitanæ partes erant cum Episcopis Provinciæ in urbem vacantis Ecclesiæ convocatis in electam personam inquirere: quæ si idonea comprobaretur, id quod Confirmationis loco erat, statim sequebatur Consecratio: nam jure antiquo uno ferme actu, scilicet *manuum impositione* & electio confirmabatur, & electus consecrabatur. Id tum ex pluribus, tum vel maxime ex eo evincitur, quod in antiquis Canonibus nullibi occurrat Confirmationis mentio, sed *ἀπλῶς absolute* decernatur, ut electus a Clero, & a Plebe Metropolitanæ, & Episcoporum Provinciæ judicio probetur, & ordinetur: Concilia Carthag. III. *can. XI.* & IV. *can. I.* Nazianzenus *Orat. XXI.* &c. (17).

XIX. At si contra electio minus legitima videretur, vel si electioni ambitus, vel pecunia intercessisset, Synodus electionem rescindebat; unde nova instituenda erat electio, in qua præcipuæ Metropolitanæ partes erant. Quod si cleri, populique vota dividerentur, Me-

---

(17) *Conc. Carthag. III. can. XL.* Quando ad eligendum Episcopum convenerimus, si qua contradictio fuerit oborta . . . quum purgatus fuerit sub conspectu publico, ita demum ordinetur.

*Conc. Carthag. IV. can. I.* Qui Episcopus ordinandus est ante examinatur . . . Quum in his omnibus examinatus inventus fuerit plene instructus, tunc cum consensu Clericorum . . . ordinetur Episcopus.

*Nazianz. Orat. XXI.* Posteaquam autem ad hunc modum Præsul designatus est, ad hunc quoque procinus modum imperium administrat. Non enim simul atque ad thronum pervenit, &c.

Metropolitæ jus erat illum præferre, quæ majoribus meritis decoraretur: Leo M. Ep. LXXXVI. (18).

XX. Verum si Metropolitanus in electione coram adesse non posset, Decretum præcipuum e Clero, & populo subscriptionibus munitum ad eum deferrebat, ut illud ratum, & firmum esse juberet. In antiquo Ordine Romano formula quædam Decreti habetur, cui Clerus, & Populus, quum Episcopum eligerent, subscribebant, ut Metropolitanus, ac Synodo Provinciæ exhiberetur . . . *ut omnium nostrum vota in hanc electionem convenire noscatis, huic Decreto Canonico promptissima voluntate singuli manibus propriis roborantes subscripsimus.* Eiusdem disciplinæ perspicua habemus testimonia apud Symmachum Papam (19), & apud Gregorium M. pluribus in locis, ac præsertim Lib. XI. Ep. 16. *Qui dum, scribit, fuerit postulatus cum sollemnitate Decreti omnium subscriptionibus roborati, & electionis tuæ testimonio litterarum ad nos sacrandus occurrat.*

XXI. Quod vero Metropolitanarum electionem spectat, profecto Patriarchæ, Exarchi, vel Primatis jus erat illam confirmare. Hæc disciplina æque in Oriente, ac in Occidente

(18) Leo M. Epist. LXXXII. at. LXXXIV. ad Anastasiam Thessalonicensem: Quum ego de Summi Sacerdotis electione tractabitur . . . si in aliam forte personam partium se vota dividerint, Metropolitanus iudicio is alteri præferatur, qui majoribus & studiis juvatur, & meritis.

(19) Symmachus Papa Ep. V. cap. 6. Si quis Episcopatum desiderat data pecunia potentes personas minime suffragatrices adhibeat, nec ad Decretum sibi faciendum Clericos, vel cives subscribere cussibus generis timore compellat . . . Decretum sine Visitatore nemo conficiat, cujus testimonio Clericorum, ac civium possit unanimiter comprobari.

vigebat. Concilii Chalced. *Can. XXVIII.* quo Episcopo Constantinopolitano Primatus honoris tribuitur post Romanum, eidem quoque potestas datur ordinandi omnes Metropolitas in Asiana, Pontica, & Thracia Diœcesibus. Confer *Cap. XVIII. §. III.*

XXII. Ubi vero de Metropolitibus ageretur, qui nulli Patriarchæ, Exarcho, vel Primati suberant, eorum electiones vel a Romano Pontifice, vel a Synodo Provinciæ confirmabantur. Atque hinc Gregorius M. electionem Joannis in Archiepiscopum, sive Primatem Justinianæ Primæ datis ad Synodum Illyricanam Epistolis confirmavit (20). Tum idem Gregorius de Episcopis Dalmatiæ, quod Maximum Salonæ Metropolitanam ipso incio ordinassent, graviter conqueritur (21).

XXIII. At contra in Galliis, Hispania, Anglia, atque etiam Africa, ubi Metropolitæ nullis suberant Primatibus, Metropolitanorum electio a Synodo Provinciæ confirmabatur; ita Concilia Aurelianensia II. & III. Toletanum IV., Augustinus, alique (22).

§. VI.

(20) *S. Gregorius Lib. IV. Epist. VII.* Juxta postulationis vestræ desiderium prædictum fratrem, & coepiscopum nostrum Joannem in eo, in quo est Sacerdotii ordine constitutus, nostri adensus auctoritate firmamus, ratamque nos ejus consecrationem habere dirigentes pallium indicamus.

(21) *S. Gregorius Lib. III. Epist. XV.* Nulli penitus extra consensum, permissionemque nostram, quantum ad Episcopatus ordinationem pertinet, in Salonitana civitate manus imponere præsumatis.

(22) *Concilium Aurelianense II. can. VII.* Metropolitanus a comprovincialibus Episcopis, Clericis, & populis electus, congregatis in unum omnibus comprovincialibus Episcopis ordinetur.

*Conc. Aurelianense III. can. III.* Metropolitanus ab omnibus ordinetur . . . Metropolitanus a comprovincialibus Episcopis (sicut Decreta Sedis Apostolicæ continent) cum consensu cleri, vel civium eligatur.

Con-

§. VI. Romani Pontifices Episcoporum  
electionibus aliquando intercesserunt.

XXIV. Romanorum Pontificum jure Patriarchico stricte sumto licet tantummodo jus esset Metropolitanus ordinandi, atque adeo Episcopos omnes decem provinciarum suburbicariarum; attamen non deerant aliquando extraordinariæ quædam rerum, locorum, temporumque causæ, quibus necesse fuerit intervenire Sedem Apostolicam, quo stabiliretur Episcoporum quorundam electio. Et quidem 1. ubi Episcopus legitime electus, quominus ordinari, suamque Ecclesiam ingredi posset, inexpugnabiles quidam obices opponerentur. Hinc Hieronymo in Lausanensem Episcopum canonice electo, quum Carolus Crassus tunc Italiæ Rex huic obstaret electioni, Joannes VIII. ad ipsum Regem, tum ad Metropolitanam Vesuntionensem, & ad Episcopum Vercellensem litteras dedit, ut huic amolendo obici operam navarent (23).

2. Ubi præter Canones peractam electionem Metropolitanus confirmaret. Quamobrem quum Herimannus Coloniensis Metropolitæ, ut Gilleberto Lotharingiæ Duci faveret, Hilduinum Leodiensem Episcopum ordinare præsumeret; huic facinori statim restitit Joannes X. Herimanno præcipiens, ut potius Richerium a Clero, & populo canonicæ electum in Episcopum Leodiensem ordinaret (24).

X 3

3. Ubi

---

*Concilium Toletanum IV. can. XVIII.* Metropolitanus non nisi in civitate Metropoli ab comprovincialibus Episcopis ibidem convenientibus consecrandus est. *Augustinus Brev. Collat. Die 3. cap. XVI. vide cap. XIX. num. XVII.*  
(23) *Joannes VIII. Epist. CCXLIII. CCXLIV. & CCXLV. apud Thomassinum Parte II. Lib. II. cap. 30.*  
(24) *Concilia Gallicana Tomo III. pag. 576. & Spiritu-*  
*le-*

3. Ubi Episcopi alicujus electio, ut confirmaretur, dispensatione opus esset. Hinc pro confirmanda Vulfadi in Archiepiscopum Bituricensem electione Carolus Calvus litteras dedit ad Nicolaum I. tum quia ab Ebbone Metropoli Remensi jam abdicato Diaconus ordinatus esset; tum vero quod in Concilio Sueffionensi restitutio eorum, qui ab Ebbone post suam abdicationem ordinati essent, Sedi Apostolicæ reservata fuerat (25).

4. Ubi Metropolitanus electionem jam a Clero, & a plebe legitime peractam confirmare negligeret. Hinc Joannes VIII. electionem Optati in Episcopum Genevensis auctoritate firmavit, id negligente Metropolita Viennensi, qui, ut partes Bosonis regis tueretur, Optati ordinationem differebat (26).

5. Demum, si partium dissidia sedari non possent, nisi auctoritas Summæ Sedis intervenisset. Atque hinc Joannes VIII. videns Vercellensem Clerum, & plebem impacato dissidio in duos competitores fluctuare; utrumque Episcopatus spe dejecit, ac ipse, assentientibus provinciæ Episcopis, Gospertum Episcopum ordinavit (27).

XXV.

*legium Tomo VI. pag. 562. Prefecto ex Chronico Abbatum Lobbensium constat Richerium a Romano Pontifice confirmatum, & ordinatum fuisse. Confer Thomassinum ibidem.*

(25) *Epistole Caroli Calvi ad Nicolaum I. in Cont. Gallie. Tom. III. pag. 300. 614. & 616. Concilio accepto omnes Episcopi, & fideles Regni nostri, ipsaque etiam Diocesis unanimiter in electione prædicti Vulfadi consenserunt. . . Bituricensem Ecclesiam quia dare absque Apostolatus vestri determinatione distulimus, commendare sibi eandem Ecclesiam cum rebus sibi pertinentibus acceleravimus.*

(26) *Joannes VIII. Epist. CCLXXXI. CCXCII. & CCXCV. apud Thomassinum ibidem.*

(27) *Du Chesne Tom. II. pag. 895. 897. & 901. apud Thomassinum ibidem.*

XXV. Atque hæc præcipuæ sunt causæ, cur in aliquibus Episcoporum electionibus Sedes Apostolica aliquando intervenit. In quibus cave putes veteres illos Romanos Pontifices Metropolitana jura ulla ratione violare intendisse: quum tantummodo canonicæ devolutionis jure, utilitate, ac necessitate Ecclesiæ id exigente, Episcoporum, & Metropolitanorum extra Italiam electiones confirmaverint. Quamvis negandum non est tenuia hæc fuisse initia, unde tam varia in Ecclesiam mutationum documenta profecta sunt, ut tandem postrema hac ætate Episcoporum confirmatio ab Apostolicæ Sedis examine, & ad sensu toto pæne christiano orbe suspensa, & relegata sit; uti recte advertit Cl. Thomassinus de Veteri, & Nova Ecclesiæ disciplina *ibidem*.

§. VII. De Regio Ad sensu in electionibus Episcoporum.

XXVI. Per eadem tempora regius quoque ad sensus in Episcoporum electionibus requiri consuevit. Licet enim veteres christiani Imperatores nullis Ecclesiasticis se interposuerint electionibus, nisi ut exortas dissensiones compescerent; uti in electionibus Nectarii, Nazianzeni, Chrysostomi (28), aliorumque ac-

X. 4

ci-

(28) *Socrates Lib. VII. cap. 29.* Post obitum Sisinnii propter homines inanis gloriæ studiosos placuit Imperatoribus neminem ex Ecclesia Constantinopolitana ad Episcopatum promovere. . . . Peregrinum igitur hominem Antiochia evocare satius visum est. Elapso igitur trium mensium spatio Nectarius Antiochia adducitur &c.

*Episcopi Aegyptii Maximus Cynicum eligerant Regiæ urbis Episcopum.* At Theodosius Aegyptiorum conatus fregerit: tum Nazianzeno Sedem Constantinopolitanam his verbis confirmavit: O Pater, Deus tibi, tuisque sudoribus per

cidit: attamen paulatim plurimum hac in re Imperatoribus tributum est: præsertim quum de præcipuis ageretur Ecclesiis. Hinc IV. exeunte sæculo Ecclesia Mediolanensi sacro viduata pastore *Concilium Episcoporum* ( id attestante Theodoro Lib. IV. cap. 16. ) *contendit ab Imperatore, ut ipse, utpote sapientia, & pietatis insignibus præclare exornatus, Episcopum deligat.* Tum in Oriente Imperatores interdum Episcopum Constantinopolitanum nominarunt; præsertim ubi populus, & clerus in diversa scinderentur. Atque hinc, defuncto Chrysostomo, *visum est Imperatori, scribit Socrates Lib. VII. cap. 29. propter homines inanium rerum adpetentes, neminem ex illa Ecclesia ad Episcopatum illum eligere, sed advenam Antiochia arcessere.*

XXVII. Romanam Ecclesiam quod spectat, primus Odoacer Italiæ Rex, defuncto Simplicio an. 483. Edicto evulgato vetuit, ne novus se inconsulto Pontifex eligeretur; *Can. I. Dist. 96. (29).* Tum an. 498. clero, & plebe Romana ob novi Pontificis electionem acriter inter se contendentibus, res ad Theodoricum

---

per me Ecclesiam committit. In sacram ædem, & thronum tibi trado . . . Ceterum ei *Nazianzeno* ad extremum usque obsistere non licuit, quominus in throno collocaretur. Pontificum enim multitudo eum quamvis nolentem, vehementerque recusantem in Archiepiscopali Sede constituit.

*Palladius Vit. Chrysostomi.* Plebs Fidelis . . . Regem pia intentione sollicitat Pastorem peritum sibi dari suppliciter postulans. *Sozomenus Lib. VIII. cap. II.* Postquam populus & Clerus suffragium suum contulissent, Imperator adstipulatus fuit.

(29) *Can. I. Dist. 96.* Meministis sub obtestatione fuisse mandatum, ut propter illum strepitum, & venerabilis Ecclesiæ detrimentum, si eum de hac luce transire contigerit, non sine nostra consulatione cujuslibet celebretur electio.

eum delata est, cujus iudicio Symmachus Romanam Sedem obtinuit: *Anastasius in ejus vita* (30). Adhæc cleri populique concertationibus non adhuc sopitis Felix IV. per eundem Theodoricum ad Romanam Sedem vēctus est, uti narrat Cassiodorus (31). Porro hæc veluti quædam videntur fuisse præludia illius potestatis, quam Imperatores deinde, re in consuetudinem abeunte, sibi vindicarunt, ut nec Romæ, nec in famosioribus aliis Italiæ urbibus Episcopi crearentur, nisi quos Constantinopolitanus Imperator confirmasset.

XXVIII. Atque hinc Pelagius I. *Epist. ad Narsetem Italiæ Ducem* (quam Histenus in Collect. Rom. integram refert, Gratianus in plura dissectam fragmenta) enarrat, Paulinum Aquilejensem, & Honoratum Mediolanensem inconsulto Imperatore contra receptam Italiæ consuetudinem Episcopos fuisse constitutos: ac Principis auctoritatem implorat ad eos coercendos ob schismatis crimen (32). Et Gregorius M. Mauritium Imp. prævenit, ne suæ ipsius electioni consentiret (33). Ejus-

X 5

mo-

(30) *Anastasius Vit. Symmachi*: Facta contentione constituerunt partes, ut ambo Ravennam pergerent ad iudicium Regis Theodorici: Quod tandem æquitas in Symmacho invenit cognitionem veritatis. Et factus est Præsul Symmachus.

(31) *Epist. Athalarici Theodorici ex filia nepotis, ac in regno successoris apud Cassiodorum Lib. VIII. Epist. XV.* Gratissimo profitemur animo, quod gloriosi Domini avi nostri respondistis in Episcopatus electione iudicio. Oportebat enim arbitrio boni Principis obedire.

(32) *Epist. II. Pelagii I. ad Narsetem Italiæ Ducem*: Recolere debet Celsitudo vestra . . . non ante Mediolanensem Episcopum fieri permisistis, nisi ad Clementissimum Principem exinde retulissetis, & quid fieri debuisset, ejus iterum scriptis retulissetis . . .

(33) *Joannes Diaconus Lib. I. Epist. XXXIII. & XL.* Gregorium licet totis viribus renitentem Clerus, Senatus,

Po-



modi Regum, & Imperatorum jus secutis temporibus pro variis temporum conditionibus modo abrogatum, modo revocatum est; ut in nostris Canonicis Institutionibus *Lib. I. Tit. XIX.* jam observavimus.

XXIX. Quod vero ad reliquas attinet Ecclesias; jam inde ab VI. sæculo plerumque Episcoporum electiones imperiali, vel regio ad sensu vel ante, vel post accedente, celebratæ sunt. Id moris primum in Gallia obtinuit, uti ex Concilio Aurelianensi V. (34) perquam manifestum est. Quinimmo in Hispania Episcopi ad Regis nominationem eligi consueverunt: Concilium Tolet. XII. *Can. VI.* (35).

XXX. At negandum non est in Episcoporum electionibus præcipuas Episcoporum provinciæ, ac Metropolitanæ partes fuisse. Concilia namque, atque adeo ipsi Principes sollicitè caverunt, ne propter civilis potestatis consensum antiqua electionum disciplina, præcipue quod ad eligentium libertatem, vel minimum læderetur: uti ex pluribus etiam me-

dii

---

Populusque Romanus sibi concorditer Pontificem delegerunt. Quem ille apicem evitare decernens *Græc.* At ubi Decretum generalitatis evitare nequivit, consensurum tandem aliquando simulavit, & Imperatori Mauritio, cuius filium ex lavacro sancto susceperat, latenter litteras destinavit, adjurans, & multa prece deposcens, ne unquam ad sensum populis præberet. *At nihilominus Imperator data præceptione ipsum ordinari præcepit.*

(34) *Conc. Aurel. V. can. X.* Sed cum voluntate Regis juxta electionem Cleri, & Plebis, sicut in antiquis Canonibus tenetur scriptum, a Metropolitanano cum Comprovincialibus Pontifex consecratur.

(35) *Conc. Toletanum XII. can. VI.* Unde placuit omnibus Pontificibus Hispaniæ, ut salva Privilegia uniuscujusque Provinciæ Hispaniæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoscumque *Regalis potestas elegerit*, & jam dicti Toletani Episcopi iudicium dignos esse probaverit. in quibuslibet provinciis in præcedentium Sedibus præficere Præsides, & decedentibus Episcopis eligere successores.

dii ævi monumentis late demonstrat Thomafinus *P. II. Lib. II. Cap. XIII. & seq.*

XXXI. Igitur ut paucis rem omnem complectar, octo prioribus Ecclesiæ sæculis in Episcoporum electionibus præcipuas sibi vindicabant partes Clerus, & Populus: Populus proponendo, petendo, testando; Clerus vota, petitiones, testimonia plebis expendendo, expensis accedendo, aut refragando, simulque plebem ad alium designandum divertendo, dirigendoque. Tum Synodus Provinciæ electionem a Clero, & a Populo peractam examinabat, iudicioque suo confirmabat. Demum Metropolitano reservata erat Consecratio. Regius quidem adensus requiri consuevit; at ea adjecta cautione, ne eligentium libertas ulla ratione violaretur. Plebs quidem successu temporis exclusa; at in ejus locum advocati Proceres, & Magistratus. Tandem extraordinariis quibusdam de causis R. Pontifices Episcoporum electionibus etiam extra Romani Patriarchatus fines intercessere.

*Partis I. Libri I. Finis.*

## I N D E X

## PARTIS I. LIBRI I.

De Christianis generatim, ac in specie de Clericis, Fidelibus, Laicis, & Catechumenis. Pag. 1

## C A P U T I.

**D**E Evangelii per Orbem universum propagatione tum in antiquo Fœdere Dei promissionibus, Prophetarumque oraculis, tum in novo Christi Domini vaticiniis prænuntiata.

- §. I. *Evangelii per orbem universum propagatio divinis in antiquo Fœdere pollicitationibus præmonstrata.* 2
- §. II. *Evangelii per orbem universum propagatio Prophetarum oraculis manifestius prænunciata.* 5
- §. III. *Evangelii per orbem universum propagationem ipsemet Christus Dominus manifestissime prædixit.* 10

## C A P U T II.

De Evangelio per Orbem universum Apostolica Prædicatione propagato generatim. 14

## C A P U T III.

De Evangelii per Orbem universum propagatione speciatim.

- §. I. *De Gestis S. Petri.* 27
- §. II. *De Gestis S. Pauli.* 32
- §. III. *De S. Andreae Apostolatu.* 38
- §. IV.

F N D E X.

§. IV. De S. Jacobo Majore.	493
§. V. De S. Joannis Theologi Apostolatu.	40
§. VI. De S. Thoma.	40
§. VII. De Apostolatu S. Matthai.	43
§. VIII. De Apostolato S. Bartholomai.	44
§. IX. De S. Philippo.	ibid.
§. X. De S. Jacobo Minore, sive Alphaeo.	45
§. XI. De SS. Simone sic dicto Zelote, & Ju- da Thaddao.	ibid.
§. XII. De S. Matthia.	47
	ibid.

EXCURSUS I.

De Certamine S. Petri cum Simone Mago.	48.
--	-----

EXCURSUS II.

De S. Petro unico Ecclesiae Capite.	56.
-------------------------------------	-----

CAPUT IV.

De Evangelii per Regiones Occidentales Pro-  
pagatione.

§. I. De Evangelii per Regiones Occidentales propagatione generatim.	62.
§. II. De Prædicatione Evangelii per Britan- niam.	64.
§. III. De Evangelii per Hiberniam propaga- tione.	73.
§. IV. De Evangelii per Scotiam propaga- tione.	75.
§. V. De Fidei Christianæ per Gallias prædi- catione, & propagatione.	76.
§. VI. De Fidei Christianæ per Hispanias pro- pagatione.	80.
§. VII. De Evangelii per Germaniam, alias- que finitimas Gentes prædicatione, & pro- pagatione.	86.

## C A P U T V.

De Evangelii per Italiae Provincias Propagatione.

- §. I. De Evangelii per Italiae Provincias propagatione generatim. 94  
 §. II. De Evangelii per Italiae provincias propagatione speciatim. 100  
 §. III. In Veronensis Ecclesiae Origines speciatim inquiritur. 103

## C A P U T VI.

De Apostolica per Oras Regni Neapolitani Evangelii Propagatione.

- §. I. De Apostolica per Oras Regni Neapolitani Evangelii propagatione generatim. 109  
 §. II. De Ecclesia Tarentina. 112  
 §. III. De Ecclesia Bariensi. 113  
 §. IV. De Ecclesia Beneventana. 117  
 §. V. De Ecclesia Puteolana. 119  
 §. VI. De Ecclesia Capuana. 121  
 §. VII. De Ecclesiis Regni Siciliae, ac primo de Panormitana. 124  
 §. VIII. De Ecclesiis Catanensi, & Messanensi. 127  
 §. IX. De Ecclesia Syracusana. 128  
 §. X. De Ecclesia Melitensi. 129  
 §. XI. Nonnulla subnectuntur ad firmandas Regni Neapolitani Traditiones. 130

## C A P U T VII.

Vindicatur Urbi Neapolitanae Apostolica Principis Apostolorum Prædicatio. 132

## C A P U T VIII.

De Evangelii per Africa Oras Propogatio-

ne.

154

## C A P U T IX.

De Persecutionibus, quas primum ab Judæis, dein &amp; ab Ethnicis, ac Philosophis per quatuor priora sæcula Ecclesia passa est.

- §. I. De Persecutionibus, quas ab Judæis Ecclesia passa est. 156
- §. II. De Persecutionibus, quas ab Ethnicis Christiana Religio perpessa est. 161
- §. III. Persecutio Neronis. 162
- §. IV. Persecutio Domitiani. 163
- §. V. Persecutio Trajani. 164
- §. VI. Persecutio Hadriani. 165
- §. VII. Persecutio Antonini. 166
- §. VIII. Persecutio Severi. 169
- §. IX. Persecutio Maximini. 171
- §. X. Persecutio Decii. 172
- §. XI. Persecutio Valeriani. 173
- §. XII. Persecutio Diocletiani. 176
- §. XIII. Philosophi quoque Christianis bellum indixerunt. 184

## C A P U T X.

De Variis Nominibus, quibus Christiani antiquitus donati sunt.

- §. I. De splendidis quibusdam Nominibus, quibus olim sese vocare Christiani consueverunt. 192
- §. II. De Cognomine Catholici, aliisque à dia-copis Christianorum Nominibus. 196
- §. III. De Probrosis Nominibus, quæ olim Ecclesie hostes Christianis imposuere. 197
- §. IV.

- §. IV. De aliis quibusdam Nominibus speciatim  
ab Hæreticis Christianis Catholicis contume-  
liose adscriptis. 207

## C A P U T X I.

De Diversis in Ecclesia Hominum Ordinibus,  
& de Distinctione Laicos inter, & Cleri-  
cos.

- §. I. De Diversis in Ecclesia Hominum Ordini-  
bus. 205  
§. II. De Nomine Clerici, ejusque Etymo, &  
Usu. 207  
§. III. Clericos a Fidelibus Laicis divino jure  
distingui Sacræ Literæ aperte edicunt. 210  
§. IV. Clericos a Laicis jure divino distingui  
ex antiquissima Ecclesiæ Traditione manifesto  
evincitur. 212  
§. V. De Sacerdotio lata notione accepto. 213  
§. VI. Explicatur perdifficilis Tertulliani lo-  
cus. 215

## C A P U T X I I.

De Episcoporum Origine, eorumque honori-  
ficis Titulis, & Prærogativis.

- §. I. Episcopi jure divino Presbyteris Ordine,  
& Potestate præstant. 222  
§. II. Episcopos jure divino Presbyteris Ordine,  
& Potestate præstare Sacræ Literæ aperte præ-  
dicant. 223  
§. III. Eadem Episcoporum supra Presbyteros  
jure divino constituta Potestas ex antiquissima  
Patrum Traditione manifesto evincitur. 225  
§. IV. De diversis honorificis titulis, quibus in  
primitiva Ecclesia Episcopi ornabantur. 228  
§. V. De quibusdam observantiæ indicis, qui-  
bus Episcopi a Fidelibus colebantur. 232  
§. VI.

I N D E X. 497

- §. VI. *Singulis Civitatibus nonnisi singuli præficiendi Episcopi.* 235  
 §. VII. *Episcopi in parvis Oppidis haud ordinandi.* 239

C A P U T XIII.

De Episcopatus, eidemque adnexæ Potestatis origine. 241

- §. I. *Episcopi a Christo Domino æqueos immediate plenitudinem Sacerdotii, supremamque in Ecclesie regimine potestatem accipiunt.* 242  
 §. II. *Episcopalis potestas nullis personarum, aut locorum finibus divinitus circumscripta est.* 245  
 §. III. *Episcopis antiquitus in omnes proorsu suarum Dioceseon fideles potestatem exercere jus erat.* 249  
 §. IV. *De Episcoporum Potestate in Caussarum Secularium Cognitione.* 253  
 §. V. *Episcopi jus erat Presbyteros, aliosque inferiores clericos ad reddendam sui ministerii rationem adigere.* 260

C A P U T XIV.

De præcipuis Episcoporum muneribus in Ecclesie ministerio. 262

- §. I. *Divini Verbi Prædicatio Episcopis incumbit quod maxime.* 263  
 §. II. *Episcopi quoque proprium munus est Sacramentorum administratio.* 271  
 §. III. *Tum & Oratio pro populo æque privata, ac publica.* 272  
 §. IV. *Miserabilium quoque personarum curagenerenda Episcopo est.* 275  
 §. V. *Fidei depositum ab Episcopo fideliter custodiendum.* 277  
 §. VI. 277



- §. VI. *Propria Paræcie, sive Diæceseos visita-  
tio Episcopo incumbit.* 279

## C A P U T X V.

De Chorepiscopis.

- §. I. *De Chorepiscoporum Origine.* 281  
 §. II. *Chorepiscopi veri nominis Episcopi non  
fuere.* 284

## C A P U T X V I.

De Romano Pontifice. 292

- §. I. *De Honorificis quibusdam Nominibus,  
quibus R. Pontifex antiquitus decorari, ac  
distingui consuevit.* 293  
 §. II. *Romana quoque Ecclesia præ reliquis ho-  
norificentioribus quibusdam nominibus donata  
est.* 297  
 §. III. *R. Pontifex jure suo Canones condit,  
& ad Canonum observationem tum manda-  
tis, tum exemplis reliquos cogit in Episco-  
patu fratres.* 300  
 §. IV. *Romanus Pontifex Unitatis Custos &  
Vindex.* 306  
 §. V. *R. Pontifex jure suo fidem tuetur, de-  
vios ad fidem revocat, pertinaces a Fidei  
communione segregat.* 313  
 §. VI. *Ad Romanam Sedem oppressorum omnium  
ex universo orbe perfugium, ac recursus.* 320  
 §. VII. *Romane Sedis in dubiis sive doctrina,  
sive discipline communis consultatio.* 323  
 §. VIII. *Graviorum Causarum judicium R. Se-  
di reservatum.* 328  
 §. IX. *Romani Pontifices in Synodo saltem Diæ-  
cesana graviora expediebant negotia.* 331

## EXCURSUS.

De Vicariis , five Delegatis Sedis Apostoli-  
cæ. 339

## C A P U T XVII.

De Patriarchis, Eorumque Origine, & Juri-  
bus.

- §. I. De Nomine Patriarchæ, ejusque in Ec-  
clesia usu. 350  
§. II. De Patriarcharum Origine. 353

## P R O P O S I T I O. I.

*In Synodo Constantinopolitana Patriarchæ pri-  
mum instituti non sunt; at duntaxat eorun-  
dem potestatis limites distinctius, exactiusque  
præscripti.* 354

## P R O P O S I T I O. II.

*Potestas Patriarchica Synodo Nicæna antiquior  
est. Canone VI. Nicæno tantummodo firmata  
fuit, non primum constituta.* 356

## P R O P O S I T I O. III.

*Patriarcharum potestas non integra, que postea  
late patuit, & omni ex parte, at vero pa-  
detentim in Ecclesiam inducã est.* 358

*Primum Patriarcharum privilegium erat omnes  
sue Dioceseos Metropolitans ordinare. ibid.*

*Alterum Patriarcharum Privilegium erat con-  
vocare Synodos Diocesanas, & in illis præ-  
sidere.* 359

*Tertium. Patriarcharum Privilegium erat Ad-  
pel.*

- pellationes a Metropolitanorum judiciis accipere. 360
- Quartum Privilegium erat in Metropolitanorum administrationem inquirere, in eosque censura Ecclesiastica uti. 361
- Quintum Privilegium erat, quod ab suis Metropolitanis in rebus magni momenti consulendi essent. ibid.
- Sextum Privilegium erat jus Metropolitanos suos Legatos constituendi. 362
- Septimum Privilegium: Leges Imperiales Ecclesiæ regimen spectantes, atque Ecclesiasticæ ab Patriarchis suis Metropolitanis communicabantur; a quibus rursus easdem Episcopi accipiebant. ibid.
- Octavum Privilegium: Enormium criminum absolutionem aliquando Patriarchæ per universam Diocesim sibi reservabant. 363

## P R O P O S I T I O I V.

Quod S. Petrus Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam Ecclesiam fundaverit, plurimum id contulit ad earundem Ecclesiarum patriarchica jura constituenda. 364

## P R O P O S I T I O V.

Ad Patriarchicæ Potestatis institutionem videtur quoque aliqua ratione contulisse Civilis Politicæ ordo. 366

## C A P U T V I I I.

De Exarchis & Primatibus.

- §. I. De Exarchis Asiatico, Pontico, & Heracleensi. 374
- §. II. De Primatu Carthaginiensi. 380
- §. III. De Primatu Cypri. 384
- §. IV.

I N D E X.

- §. IV. De Primatibus Thessalonicensi, & Justinianæ Primæ. 386

C A P U T XIX.

- De Patriarchis Constantinopolitano, Jerosolymitano, Aquilejensi, & Gradenfi.
- §. I. Patriarchatus Constantinopolitani Origo. 489
- §. II. Expenditur vis Canonis Constantinopolitani. 392
- §. III. De Canone Chalcedonensi XXVIII. 406
- §. IV. De Patriarchatu Jerosolymitano. 411
- §. V. De Patriarchis Aquilejensi, & Gradenfi. 419

C A P U T XX.

- De Metropolitanis.
- §. I. Vocabuli Μητροπαλίτης Metropolitanus Ety-  
mon, & usus. 423
- §. II. De Metropolitanarum Origine. 424
- §. III. De Primatibus, seu Metropolitanis in  
Africa. 429
- §. IV. De Primatibus, seu Metropolitanis Ho-  
norariis. 433
- §. V. De Præcipuis Metropolitanarum Muneri-  
bus. 434
- §. VI. De Metropolitanis in Regno Neapolita-  
no. 443

E X C U R S U S.

- De Αὐτοκεφάλοις. 445

C A P U T XXI.

- De Proprietatibus in Promovendis ad Episcopatum requisitis; necnon de Legibus in eorundem Ordinatione servatis.
- §. I.

- §. I. De Proprietatibus, quas in Episcopis Vetus Ecclesia postulabat. 447
- §. II. Episcopus ex Ecclesia, cui præficiendus erat, eligendus. 449
- §. III. Ad Episcopatum inferiorum Ordinum ministeria parabant viam. 451
- §. IV. De precipuis quibusdam Legibus in Episcopi electione servatis. 461

## C A P U T XXII.

## De Sacris Episcoporum Electionibus.

- §. I. De Singularibus quibusdam homines ad Episcopatum designandi modis. 467
- §. II. De Communiori Sacrarum Electionum Methodo. 470
- §. III. De Electione Episcoporum per octo priora Ecclesiæ secula. 475
- §. IV. De Extraordinariis quibusdam Episcopos eligendi rationibus, 480
- §. V. De Confirmatione, & Consecratione per octo priora Ecclesiæ secula. 482
- §. VI. Romani Pontifices Episcoporum electionibus aliquando intercesserunt. 485
- §. VII. De Regio Adsensu in electionibus Episcoporum. 487

F I N I S.

N O I

# NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

Concediamo Licenza a *Domenico de Maro* Stampator di Venezia di poter ristampare il Libro intitolato: *Antiquitatum Christianarum Institutiones novo &c. Autore Julio Laurentio Selvagio*, osservando gli ordini soliti in materia di Stampe, e presentando le Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 21. Marzo 1794.

(*Paolo Bembo* Rif.

(*Pietro Zen* Rif.

(*Francesco Vendramin* Rif.



Registrato in Libro a Carte 157. al Numero 5.

*Marc' Antonio Sanfermo* Secr.

Adi 31. Marzo 1794.

Registrato a Carte 181. nel Libro esistente nel Magistrato Eccellentissimo contro la Bestemmia.

*Antonio Cabrini* Secr.

OLIFFOR MATO

Dalla Città di Padova

Questi sono i libri e documenti  
che sono stati acquistati  
per la biblioteca della  
Città di Padova  
il giorno 15 di Aprile  
del 1785  
per opera di  
Giovanni Battista  
Bianchi  
Bibliotecario



Stampato in Padova per Gio: Maria  
Bianchi

Prezzo Lire 100

Per la vendita di questi libri  
si è stabilito il prezzo  
di Lire 100 per ogni  
volume

